Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Immanuel Johann Gerhard Scheller

Imm. Io. Gerh. Schelleri Compendivm Praeceptorvm Styli Bene Latini In Primis Ciceroniani Sev Eloqventiae Latine Declarandae : In Vsvm Praelectionvm

Editio Tertia Emendatior Et Avctior, Lipsiae: Svmtibvs Caspari Fritsch, MDCCLXXXXV

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0001
DFG

Lb III
2955 3

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0002
DFG

IMM. IO. GERH. SCHELLERI

COMPENDIVM

PRAECEPTORVM

STYLI BENE LATINI

IN PRIMIS CICERONIANI

SEV

ELOQVENTIAE LATINE DECLARANDAE

IN VSVM PRAELECTIONVM

EDITIO TERTIA EMENDATIOR ET AVCTIOR.

LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH
cIↃIↃccLxxxxxv.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0005
DFG

PRAEFATIO

EDITIONIS PRIMAE

Cum *Praeceptis Styli bene latini* a me nuper in lucem emissa eruditis *) non displicuisse vidissem, et esse animadvertissem, qui istum librum, ut in praelectionibus usurpari posset, breviorem magisque adolescentibus parabilem esse optarent, meum esse duxi, illum, quantum fieri posset, in Compendium redigere. Quam in rem exempla e priscis congesta vel plane omisi, vel, ubi necessaria videbantur, pauciora esse curavi: itemque alia multa, v. c. admonitiones et quaestiones hic illic intextas plerumque exclusi; quia tales res magister peritus facile supplere atque me melius et uberius tradere poterit. Eundem tamen ordinem, quem in ipsis *Praeceptis styli* secutus eram, hoc in compendio servavi, ut, qui illum maiorem li-

 brum

*) In quibus praecipue nominandus est Cel. *David Ruhnkenius*, Leidensis Academiae decus, Vir ad literas adiuvandas natus, qui in literis ad me datis praeter alia benevolentiae signa suis animadversionibus in mea *Praecepta styli* me donandum putavit, quibus ad expolienda haec non sine grato animo usurus sum.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0007
DFG

brum consulere vel exempla inde petere cuperet, facilius, quae vellet, inveniret. Vitia in ipsis *Praeceptis stili*, vel mea vel typothetae manu commissa, quae plurima esse doleo, sedulo hic correxi; multa magis definite tradidi, paucula etiam, siquidem paucula nominari merentur, addidi. Sicubi vel in hoc libello vel in illo maiori libro peccavi, cogites, Lector erudite et humane, humanum esse errare; humanius, errantem in rectam viam amice ducere. Adcipias igitur hunc libellum placida fronte, omnique genere felicitatis, qua hominem frui fas est, perpetuo fruaris! Brigae, a. d. III Febr. a. Chr. cIↃIↃccLxxx.

IMM. IO. GERH. SCHELLERVS,
Rect. reg. Gymn. illustr.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0008
DFG

PRAEFATIO
SECVNDAE EDITIONIS

Quemadmodum anno elapso maius *Praeceptorum* styli Opus correctius et simul auctius edidi, sic, cum *Compendium* illius libri, divenditis exemplis, denuo recudendum esset, sedulo curavi, ut hoc quoque correctius auctiusque in lucem prodiret. Perlegi diligenter singulas paginas, et nonnulla, ubi opus videbatur, mutavi, resecui addidi. Quod quin gratum sit futurum lectoribus, nullus dubito. Cognitio nostra crescit indies; hinc saepe fit, ut, quae olim nobis placuissent ac recta visa fuissent, ea nobis post aliquod tempus displiceant ac mutanda videantur. In addendo tamen modum servandum censui, ne pretium libelli augeatur. Spero, in posterum nihil amplius in eo mutatum iri. Ceterum opto vehementer et ex animo, ut tibi, *Lector benevole*, summa felicitas, quam homini contingere fas est, per omnem vitam contingat. Vale mihique tuum favorem, si eo tibi dignus vijus fuero, perpetuo conserva. Brigae, mense Ianuario CIↃIↃCCLXXXV.

IMM. IO. GERH. SCHELLERVS.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0009
DFG

PRAEFATIO

AD TERTIAM EDITIONEM

Cum hunc libellum, divenditis iterum exemplis, tertium prodire redemtor vellet, illum sine nova cura mea in lucem emittere nefas duxi. Denuo eum totum, quantum quidem per temporis spatium et laborum statorum rationem mihi licuit, adcurate atque ita perlegi, ut non vitia tantum typographica, si quae irrepsissent, tollerem, verum etiam in singulis et versibus et verbis adtente considerarem, si quid restaret, quod non satis perspicue satisve definite a me dictum atque ita mutatione aliqua indigere videretur. Omnem enim scriptorem, si quidem religiosus esse ac lectorum gratia, qua fruatur, conservare sibi cupiat, certum est id praecipue agere debere, ut, si quae vitia, quantumvis levia, in ipsius librum quendam irrepserint, ea tum, cum illum denuo exscribi iubeat, diligentia quam possit maxima tollere studeat. Feci igitur hoc, ut primum, quaecunque vitia typothetarum negligentia commissa

missa esse vidissem, sedulo ea corrigerem; deinde nonnulla quoque parum adcurate a me olim posita adcuratius magisque perspicue ac definite traderem. Neque hoc cuiquam mirum videri potest. Quis enim experientia vel paulum edoctus nescit, hominem saepissime sententiam, quam olim fuisset cupide amplexus, ac vel acerrime defendisset, post plures annos, aucta praesertim ipsius cognitione, improbare et spernere? Monere nos hoc debet, ut semper modeste de nobis sentiamus, nec unquam eo delabamur, ut, quae aliquando dixerimus, pro oraculis habenda esse censeamus. Ceterum libellum hunc ipsum augere non magnopere studui. Si quae nunc forsan adcessere, paucula esse puto, quae vix, ut memorentur, mereri videantur. Vale, lector benevole. Scr. Brigae, mense Septembri 1795.

CONSPECTVS

TOTIVS LIBELLI.

Prooemium pag. 1

Pars I. de vocabb. ſcriptura, uſu, ordine, variatione, copia, brevitate 19

Cap. I. De orthographia ib.

Sect. I. quid ea ſit? ib.
Sect. II. commendanda eſt 20
Sect. III. eius regula ib.

Cap. II. De recto vocabulorum uſu 35

Sect. I. Vocabula debent eſſe *bona* ib.
Sect. II. Vocabula debent eſſe *apta* 36
Sect. III. Vocabula per ſe non ſunt *pulchra* ib.
Sect. IV. Cavendae ſunt fictae elegantiae 37
Sect. V. Eleganter ſcripturus, debes habere verborum delectum 45
Sect. VI. Delectum habiturus debes magna copia inſtructus eſſe ib.
Sect. VII. In primis debes vocabula recte intelligere 46
Sect. VIII. Vnde diſcenda eſt vera vocabulorum notio? 51
Sect. IX. In primis diſcenda eſt prima vocabulorum notio. 53
Sect. X. De fontibus primae et propriae notionis 57
Sect. XI. De tropis univerſis 64
Sect. XII. De metaphora 69
Sect. XIII. De metonymia 74
Sect. XIV. De ſynecdoche 79
Sect. XV. De ironia 87
Sect. XVI. Additamenta de vocabulis ſingulis 89
Sect. XVII. De compoſitione vocabulorum grammatica 91. I) an *unius*, *ſolius* cet. fruſtra interſerantur inter Subſt. et Adi.? 92. II) de *opus eſt* ib. III) duo ſubſtantiva poſtulant verbum plurale ib. IV) epithera adcommodant ſe

ad

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0012
DFG

ad subiectum propius ib. V) de genitivis pro praepositionibus *erga* cet. 93. VI) de verbo *esse*, serviente descriptioni rerum ib. VII) de *neutris* adiect. et pronom cum genitivo 94. VIII) de *interest* et *refert* ib. IX) de adverbiis *eo*, *pridie* cet. 95. X) de genitivis, quae adverbiis loci et temporis frustra adiici dicuntur ib. XI) de verbis activis s. transitivis ib. XII) de *oportet* cum accus. et inf. 96. XIII) de interrogationibus *womit*, *wodurch* cet. ib. XIV) de ablat. post comparativum ib. XV) de accus. cum infin. ib. XVI) de infinit. sine accusat. subiecti 99. XVII) de usu indicat. et coniunctivi 100. XVIII) de gerundiis 104. XIX) de ceteris participiis 105. XX) Additamenta de *Verborum* personis et temporibus 109

Sect. XVIII. De Germanismis A) veris B) fictis 118

Cap. III. De ordine vocabulorum 122

Sect. I. Ordo nonnullorum vocabulorum est fixus: v. c. I) *nam*, *at* cet. praeponuntur, *vero*, *enim* cet. postponuntur 122. II) duo substantiva, quorum posterius pro *alter* ponitur, v. c. *cuneus cuneum trudit*, hoc ordine servanda 123. III) *Quisque* τῷ *suus*, *sibi*, *se* postponitur 124. at etiam praeponitur ib. IV) *quisque* superlativo postpon. ib. V) *quisque* numeralibus ordin. postpon. ib. VI) Praepositiones suis casibus praeponendae, except. *cum* cet. ib. VII) In proverbiis, sollemnibus formulis et adpellationibus ordo receptus non mutandus 125. VIII) *ecce*, *o vae* suis casibus praepon. ib. IX) *non* verbo, ad quod proprie pertinet, praepon. ib.

Sect. II. Ordo verborum pendet ab ordine idearum 125. I) subiectum subiecto praeponitur, si prius cogitatur ib. II) subiectum praedicato praeponitur 126. III) Persona, ad quam praedicatum pertinet, huic praepon. ib. IV) Persona, cui rem tribuimus cet. huic praepon. ib. V) Causa, ob quam res fit, huic praepon. ib. VI) Res, e quibus una excipitur, huic praepon. ib. VII) Tempus, quo res fit, huic praepon. 127. VIII) Locus, in quo res fit, praepon. huic ib. IX) modus, quo subiectum praedicato convenit, praepon. praedicato ib. X) res, quacum res comparatur, praepon. huic ib. XI) Nomen proprium praepon. adpellativo ib. XII) *qui* praepon. ceteris vocabulis in eadem enuntiatione 128. XIII) *quis*, pro *is* positum, initio sententiae ponitur ib. XIV) Vocativus vocabulo, ad quod refertur, additur ib. XV) Ordo verborum alienis immiscendis ne turbetur ib. XVI) Inter Adiect. et Subst. interponitur *genitivus*, it. *erga* cet. 129. XVII) *qui* verbo, ad quod pertinet, statim subiici debet ib. XVIII) Vocabula sibi opposita arctius iungenda ib. XIX) e duobus vocabulis connexis monosyllabum polysyllabo praeponendum ib.

Cap. IV. De recto enuntiationum ordine 130

Sect. I. De praeponendis singulis enuntiationibus. Praeponuntur I) *Causales*, incipientes per *quia* cet. 131. II) condi-

conditionales incip. per *ſi*, *niſi* cet. ib. III) *locum* indicantes per *ubi*, *quo* cet. ib. IV) *tempus* indicantes per *quando*, *dum* cet. ib. V) *Conceſſivae*, incip. per *etſi* cet. ib. VI) *interrogativae* per *quis*, *utrum* cet. 132. VII) *Similitudinem indicantes*, per *ut* cet. ib. VIII) *relativae*, incip. per *qui*, *qualis* cet. 130

Sect. II. Quando plures enuntiationes praeponendae occurrunt, quaenam praeponenda? Hic exempla e priſcis adferuntur: I) cauſalem ſequitur temporalis 133. II) cauſalem conceſſiva ib. III) temporalem conceſſiva, et hanc cauſalis ib. IV) conditionalem temporalis 134. V) duae temporales iunguntur ib. VI) duae temporales praecedunt, quas cauſalis et conceſſiva, et iterum cauſalis ſequitur ib. VII) tres temporales praecedunt, ſequente conceſſiva ib.

Sect. III. Exceptiones: I) ſi praeponenda enuntiatio nimis longa eſt 134. II) vel longiori explicatione eget 135. III) vel non cohaeret cum ſeqq. ib. IV) ſi ambiguitas oriri poſſit ib. V) ob gravitatem 136. VI) ob negligentiam interdum, in re parva ib. Hic ſequuntur exempla e priſcis, ubi poſtponuntur I) enuntiationes cauſales ib. II) conditionales 137. III) locum indicantes ib. IV) tempus indicantes ib. V) conceſſivae ib. VI) interrogativae ib. VII) ſimilitudinem indicantes ib. VIII) relativae per *qui* cet. 138

Cap. V. De periodo 139

Sect. I. Quid ſit periodus? ib.

Sect. II. Quomodo diſſecanda enuntiatio primaria? 140

Sect. III. Quaenam enuntiationes inſerendae? ib.

Sect. IV. Quotuplex ſit periodus? 141

Sect. V. Quid profit periodus? ib.

Sect. VI. Exempla periodorum e priſcis; ubi inſertae ſunt I) enuntiationes cauſales 142. II) conditionales ib. III) locum indicantes ib. IV) tempus indicantes ib. V) conceſſivae ib. VI) interrogativae ib. VII) ſimilitudinem complectentes 143. VIII) relativae ib. IX) explicativae 144. X) aliae quoque ib. XI) *ut*, *daß*, verbo, a quo regitur, adeo praeponitur ib.

Sect. VII. De enuntiationibus, quas habemus, apte inſerendis: 1) cauſali 144. 2) conditionali ib. 3) locum indicante ib. 4) tempus indicante ib. 5) conceſſiva ib. 6) ſimilitudinem continente ib. 7) interrogativa 145. 8) relativa ib.

Sect. VIII. De inveniendis enuntiationibus ad inſerendum aptis: I) meditando, an deſit idea cauſae, conditionis cet. 145. II) enuntiatione per accuſ. cum infinit. vel per *ut* cum coniunct. efferenda 146. III) commutandis inter ſe vocabulis ib.

Sect. IX. Cautiones de uſu periodi: 1) interiecta enuntiatio debet habere aptam ſententiam 148. 2) periodo non ubique utendum ib. 3) periodi non debent nimis longae fieri 149. 4) enuntiatio inſerenda debet eſſe non nimis longa ib. 5) in compoſitis periodis conſequens ab antecedente

te non nimis differre debet longitudine ib. 6) periodo ubique uti licet ib. 7) diviſio in bimembres cet. eſt parvae utilitatis 141

Cap. VI. De *numeris oratoriis* (numero oratorio) 150

Sect. I. Quid ſit *numerus?* (numeri) ib.
Sect. II. De utilitate numeri 151
Sect. III. Quotuplex ſit numerus? 152

Cap. VII. De modis connectendi vocabula, enuntiationes cet. 158

Sect. I. De connexione vocabulorum: I) duo vocabula iunguntur per duplex *et*, per repetitionem vocabuli, per *ut* ſeq. *ita* cet. 158. II) duo vocabula ſibi oppoſita iunguntur per duplex *aut*, *vel* 159. III) duo vocabula negantia iunguntur per duplex *nec* ſ. *neque*, per repetitionem vocabuli negativi, per *ne quidem* ſeq. *nedum*, per *non modo*, *ſed ne quidem* ib. IV) de aliis connectendi modis, v. c. per *utrum*, *an* cet. 160

Sect. II. De connexione enuntiationum I) per duplex *et* 160. II) per duplex *aut*, *vel* 161. III) per duplex *nec* ſ. *neque* ib. IV) per *ut* pro *quare* ib V) per *ita* ſeq. *ut* pro *et* 162. VI) per *ita* ſeq. *ut* pro *quidem*. *ſed* ib. VII) per *is* ſeq. *qui* cet. ib. VIII) per *utrum* ſeq. *an* ib. IX) per *nec* ſ. *neque* pro *et non* 163. X) per *quia*, *cum* pro *hinc* ib. XI) per *tantum abeſt*, *ut* ib. XII) per *ut* ſeq. *ita* ib. XIII) per *etſi* pro *quidem*, per *quia* pro *nam* ib.

Sect. III. De connexione ſententiarum abſolutarum I) per *qui* 164. II) per *neque* ſ. *nec* a) pro *et non* b) pro *non* ib. III) per alia, v. c. *nam cum*, per *At* cet. 165

Sect. IV. De connexione argumentorum 166

Sect. V. De connexione ſectionum ſ. maiorum partium libri cet. 166

Cap. VIII. De variatione vocabulorum univerſa 167

Sect. I. De commutatione ſubſtantivorum: I) Subſtant. pro ſubſtantivo 168. II) pro Adiectivo 169. III) pro Pronomine ib. IV) Nom. Proprium pro Subſtantivo et Pronomine ib. V) duo ſubſtantiva pro uno ib. VI) ſubſtant. pro adverbio 170

Sect. II. De commutatione adiectivorum: I) Adiectivum pro adiectivo 171. II) pro ſubſtant. 172. III) pro adverb. 173

Sect. III. De permutatione numeralium I) inter ſe 173. II) cum adiectivis ib.

Sect. IV. De permutatione pronominum I) inter ſe 174. II) pronom. pro adiect. ib. III) pro adverbio 175. IV) pro praepoſitione ib. V) pro coniunctione ib.

Sect. V. De variatione Verborum I) inter ſe 176. II) partium verbi A) modus pro modo 182. B) numerus pro numero 183. C) tempus pro tempore ib. D) perſona pro perſona 184. E) genus pro genere ib. III) Verbum pro ſubſtantivo ib. IV) pro adiectivo 185. V) pro adverbio ib. VI) pro praepoſitione ib. VII) pro coniunctione 186

Sect.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0015
DFG

Sect. VI. De commutatione adverbiorum I) inter se 186. II) adverb. pro substant. 187. III) pro adiectivo ib. IV) pro pronomine ib. V) pro Verbo 188. VI) pro coniunctione 186
Sect. VII. De permutatione praepositionum I) inter se 188. II) praepositio pro substant. 190. III) pro Verbo ib. IV) pro coniunctione ib.
Sect. VIII. De permutatione coniunctionum I) inter se 191. II) coniunctio pro Verbo 192. III) pro adverbio ib.
Sect. IX. De commutatione interiectionum 192
Sect. X. De fontibus permutationis vocabulorum: I) duplex negatio pro vocabulo adfirmante 193. II) Antecedens pro conseq. 194. III) Conseq. pro antec. ib. IV) causa pro effectu ib. V) Effectus pro Causa 195. VI) aliae metonymicae locutiones ib. VII) Synecdochicae ib. VIII) metaphoricae ib. IX) genus pro specie ib. X) conversio relationis 196. XI) quando modus, forma simul indicatur ib. XII) per deminutiva ib. XIII) per proverbia ib. XIV) per pleonasmum vel ellipsin ib. XV) per circumscriptionem ib.
Sect. XI. De variatione constructionis grammaticae 197

Cap. IX. De copia dicendi s. verborum 198
Sect. I. Quid sit copia dicendi? ib.
Sect. II. De copia dicendi in verbis singulis. Hic I) additur uni vocabulo aliud: iunguntur ergo A) Causa et effectus 199. B) Anteced. et conseq. 200. C) Totum et partes, Genus et Species ib. D) additur fortius ib. E) iunguntur e diversis tropis ducta 201. F) adfirmans et negans ib. G) et alia ib. II) Ex uno substantivo fiunt duo: additur pars, adtributum, causa 202. III) substantivo adduntur adiectiva 203. IV) additur participium ib. V) Verbo mutato in participium additur aliud Verbum 204. VI) Verbo finito mutato in infinitivum additur aliud Verbum ib. VII) Verbo mutato in Gerundium aliud Verbum additur 205. VIII) Additur notio causae, modi, temporis, loci ib. IX) Repetitur idem vocabulum ob gravitatem 206. X) Vocabulum circumscribitur per definitionem, partitionem vel comparationem ib.
Sect. III. De copia dicendi in enuntiationibus: I) Vocabulum circumscribitur per partitionem aliquot enuntiationibus constantem 211. II) enuntiatio circumscribitur per *ita, ut* 1) praeponenda causa ib. 2) postponendo effectu 212. III) enuntiatio circumscribitur per comparationem ib. IV) singulis vocabulis additur *Verbum* proprie dictum ib. V) Coniungitur enuntiatio negativa et adfirmativa 213. VI) coniunguntur duae enuntiationes idem notantes, sed posterior est fortior ib. VII) Additur enuntiatio *modum* indicans ib. VIII) vel explicationem prioris continens 214. IX) vel comparationem ib. X) adduntur exempla et testimonia 215. XI) additur enuntiatio *causam* continens ib. XII) vel *effectum* 216. XIII) vel *contrarium* ib. XIV) vel *conditionem* ib. XV) vel *tempus* ac *locum* 217. XVI) addi-
tur

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0016
DFG

tur enuntiatio conceſſiva ib. XVII) vel continens id, per quod res ſit 198
Sect. IV. De pleonaſmo I) vero 218. II) ficto 219

Cap. X. De brevitate dicendi 221

Sect. I. De brevitate in vocabulis ſingulis, I) unum ponitur pro pluribus 221. II) unum omittitur 225
Sect. II. De brevitate in enuntiationibus, I) uno vocabulo exprimitur enuntiatio 229. II) una enuntiatio omittitur 232

Pars II. De virtutibus eloquentiae primariis, perſpicuitate, gravitate ac ſuavitate 235

Cap. I. De perſpicuitate dicendi ib.

Sect. I. Perſpicuitas eſt ſumme neceſſaria ib.
Sect. II. Quid ſit perſpicuitas dicendi? 236
Sect. III. De fontibus perſpicuitatis remotioribus; I) Ingenium bonum 237. II) doctrina ſolida et lata 238. III) modeſtia 239. IV) cognitio hominum ib. V) linguae adcurata cognitio ib. VI) prudentia ib. VII) hilare ingenium cet. 240
Sect. IV. De fontibus perſpicuitatis propioribus in univerſum 240
Sect. V. A) de fontibus propioribus in explicandis ideis ib.
Sect. VI. 1) de adiectione cauſarum: I) Theſi generali adduntur cauſae 1) ſatis firmae 241. 2) ſatis multae ib. 3) cauſae debent recte tractari ib. 4) debent repeti 242. II) adduntur cauſae aliis enuntiationibus A) diſerte 243. B) tecte 1) omiſſione particulae cauſalis ib. 2) per *qui* 244. 3) per *ſi* ib. 4) per adpoſitionem ib. 5) per participia ib. 6) per periphraſin ib. 7) cauſa praeponenda ib.
Sect. VII. 2) De adiectione exemplorum: ea debent 1) rei convenire 245. 2) eſſe vera ib. 3) recte tractari ib.
Sect. VIII. 3) De adiectione teſtimoniorum 245
Sect. IX. 4) De adiectione conditionis 246
Sect. X. 5) De adiectione modi ib.
Sect. XI. 6) De adiectione inſtrumenti 247
Sect. XII. 7) De adiicienda idea temporis 248
Sect. XIII. 8) De addenda idea loci ib.
Sect. XIV. 9) De adiectione effectus 249
Sect. XV. 10) De periphraſi ib.
Sect. XVI. 11) De diſſolutione Totius in partes, Generis in ſpecies 250
Sect. XVII. 12) De ſimilitudine addenda 251
Sect. XVIII. 13) De repetitione idearum 253
Sect. XIX. 14) De pictura rei addenda 255
Sect. XX. 15) Additamenta ad fontes perſpicuitatis rerum ib.
Sect. XXI. B) De fontibus propioribus in uſu verborum 256
Sect. XXII. 1) De delectu vocabulorum ſingulorum. Debent eligi I) vera ib. II) nota ib. III) ſumi ſignificatione nota 260. IV) eſſe apta 261. V) ambiguitate carere. 262

Sect.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0017
DFG

Sect. XXIII. 2) De perspicuitate in coniungendis vocabulis 262. I) substantivis debent *Verba* addi convenientia ib. II) *Verbis* adduntur adverbia convenientia ib. III) substantivis adduntur adiectiva convenientia et sufficientia 263. IV) Adiectiva mutantur in substantiva ib. V) substantivo substantivum additur 264. VI) Non peccari debet in casu, numero, genere, tempore cet. 265. VII) nec in usu participiorum 266. VIII) subiectum a praedicato facile debet discerni posse ib. IX) Nominativus princeps non facile omittendus ib. X) praepositio *a* notans initium temporis libenter ante se habet *inde* 267. XI) Parentheses longae vitandae ib. XII) Post parenthesin additur *inquam*, *ergo*, *sed* cet. ib. XIII) Vocabulum obscurius explicatur ib. XIV) repetitur eadem idea vel per idem vocabulum vel per aliud 268. XV) rarae constructiones vitandae ib. XVI) In usu particularum coniunctivarum inesse debet perspicuitas 269. XVII) Vocabula similia cum cautione adhibenda ib. XVIII) Periodis longioribus et crebrioribus abstinendum 271. XIX) ellipsibus durioribus abstinendum ib. XX) Vocabulis relativis *hic*, *ille*; *alter*, *alter* recte utendum ib. XXI) duo pluresve genitivi non facile iungendi 272. XXII) Vitandus est concursus plurium infinitivorum 273. XXIII) superlativus vernaculus exprimitur per comparativum ib. XXIV) brevitas dicendi saepe commendanda est 262

Sect. XXIV. 3) De ordine vocabulorum, ut fonte perspicuitatis 274

Sect. XXV. 4) De connexione vocabulorum 277

Cap. II. De gravitate dicendi 278

Sect. I. Quid sit gravitas? ib.

Sect. II. De fontibus gravitatis remotioribus: I) animus generosus 279. II) ingenium praeclarum ib. III) doctrina lata et solida 280. IV) Cognitio animorum humanorum ib. V) Cognitio opinionum humanarum ib. VI) Linguae adcurata cognitio ib. VII) auctoritas hominis ib.

Sect. III. De fontibus gravitatis propioribus. I) debet doceri rei magnitudo 1) e fontibus s. causis magnis 281. 2) ex effectis ib. 3) ex modo ib. 4) e consilio ib. 5) ex instrumentis ib. 6) e temporis celeritate et opportunitate ib. 7) e loci ratione 282. 8) e personarum conditione et ratione ib. 9) e comparatione cum aliis ib. II) Circumscriptio 284. III) Partitio ib IV) Pictura rei s. descriptio vivida 285. V) testimonium grave 286. VI) sententia acuta et gravis ib. VII) loqui adseveranter et cum animi persuasione 287. VIII) dilemma 289. IX) interrogatio ib. X) exclamatio ib. XI) Sermocinatio, Prosopopoeia, Apostrophe ib. XII) Repetitio idearum per eadem vel diversa vocabula 290. XIII) correctio 291. XIV) Confirmatio, adversarium rem concedere ib. XV) retorsio argumenti ab adversario prolati ib. XVI) Concessio 292. XVII) Praeteritio ib. XVIII) dubitatio 293. XIX) occupatio ib. XX) Praeparatio lectoris vel auditoris ad rem magnam

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0018
DFG

magnam ib. XXI) Communicatio 294. XXII) Oxymora ib. XXIII) ironia ib. XXIV) adiectio cauſae 295. XXV) brevitas dicendi in omittendis ideis ib. XXVI) brevitas in arctius contrahendis ideis 296. XXVII) abruptum dicendi genus ib. XXVIII) oppoſitio idearum contrariarum 298. XXIX) honeſtatis ſtudium ubique adparens 299. XXX) repetitio eorundem vocabulorum ib. XXXI) mutatio languidioris vocabuli in fortius 300. XXXII) adiectio vocabuli ad vocabulum 303. XXXIII) mutatio unius enuntiationis in plures 305. XXXIV) crebra repetitio copulae ſ. polyſyndeta ib. XXXV) collocatio verborum gravis 306. XXXVI) periodi clauſula gravis ib. XXXVII) concinnitas membrorum 307. XXXVIII) delectus literarum et ſyllabarum ib. XXXIX) vocis gravitas 308

Cap. III. De ſuavitate dicendi 309

Sect. I. Quid ſit ſuavitas dicendi? ib.
Sect. II. De eius neceſſitate ib.
Sect. III. De fontibus ſuavitatis remotioribus 310
Sect. IV. De fontibus ſuavitatis propioribus I) perſpicuitate dicendi 310. II) gravitate dicendi ib. III) iuſta brevitate et copia dicendi ib. IV) modeſte de nobis dicendo 311. V) humanitate erga alios declaranda ib. VI) obſervanter loquendo de magnis viris 312. VII) leniter loquendo de inimicis ib. VII) recte vituperandis hominibus 313. IX) ſignificando, nos eſſe virtutum amantiſſimos ib. X) vitandis plebeiis vocabulis 314. XI) et obſcoenis ib. XII) vitandis vocabulis rem ingratam proprie indicantibus ib. XIII) novitate elocutionis 315. XIV) variatione ſententiarum et vocabulorum ib. XV) genere ſcribendi non adfectato 316. XVI) aequali ſcribendi genere 317. XVII) vegeto ſcribendi genere ib. XVIII) deſcriptionibus rerum ſuavibus 318. XIX) iocis apte adhibitis ib XX) acute dictis ib. XXI) repetitione vocabuli eodem ſenſu 322. XXII) repetitione eiusdem vocabuli diverſo ſenſu ib. XXIII) repetitione eiusdem fere vocabuli ſed una vel paucis literis mutati cum contrario ſenſu 323. XXIV) repetitione eorundem vocabulorum, ſed inverſo ordine ib. XXV) Coniunctione contrariorum ſ. antithetorum 324. XXVI) Periodo ib. XXVII) numeris oratoriis 325. XXVIII) vitanda inani vocabulorum repetitione 326. XXIX) vitanda repetitione eiusdem ſyllabae 329. XXX) vitanda eadem terminatione plurium vocabulorum ib. XXXI) vitando nimio concurſu eiusdem literae 330. XXXII) vitando aſpero concurſu vocabulorum ib. XXXIII) Cavendo, ne ſententia proſaica clauſula poetica terminetur, vel ne nobis verſus poeticus excidat 332. XXXIV) Vitando concurſu ſyllabarum vel literarum habente aliquid ſimilitudinis cum vocabulo obſcoeno 333

Appendix I. De ſubſidiis ſtyli latini 334

Sect. I. De lectione priſcorum. Haec debet eſſe I) adſidua 334.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0019
DFG

334. II) adcurata 335. A) in lectionibus publicis ib. B) domi 340
Sect. II. De exercitatione in latine ſcribendo, dicendo, cogitando, 1) in ſcribendo 1) ſcholaſtica 343. 2) domeſtica 344. II) in dicendo ib. III) in cogitando 345
Sect. III. Additamenta de imitatione priſcorum I) qualis debeat eſſe? 346. II) quis priſcorum praecipue imitandus? 347

Appendix II. De elaborationibus 351
Sect. I. De elaborationibus ſ. ſcriptionibus in genere ib.
Sect. II. De elaborationibus in ſpecie 352
Sect. III. De orationibus ib.
Sect. IV. De narrationibus 356
Sect. V. De conſcribendis epiſtolis 358
Sect. VI. De libellis ad doctrinam pertinentibus 363

Appendix III. De variis diviſionibus generum dicendi 365
Sect. I. Prima diviſio in *demonſtrativum*, *deliberativum* et *iudiciale* ib.
Sect. II. Altera diviſio in *tenue*, *mediocre* et *ſublime*; I) *tenue* 366. II) *mediocre* 367. III) *ſublime* ib.
Sect. III. Tertia diviſio in *Aſiaticum*, *Rhodium*, *Atticum*, *Laconicum*; I) *Aſiaticum* 371. II) *Rhodium* 372. III) *Atticum* ib. IV) *Laconicum*, an fuerit? 373

PRO-

PROOEMIVM.

SECT. I.

An ſtylus dici poſſit pro ſcriptione?

Stylus apud Romanos proprie erat *graphium*, h. e. inſtrumentum ferreum, quo ſcribebant in tabulis ceratis, quae *codicilli* et *pugillares* vocabantur, ita factum, ut inferior pars eſſet acuta, qua literas in cera formarent et quaſi *effoderent*, quod proprie *exarare* dicebatur, ſuperior obtuſa et plana, qua literas perperam factas cera obducerent atque ita delerent: unde intell. Horat. Sat. I, 10, 72. *ſaepe ſtylum vertas* h. e. *ſaepe, quae ſcripſeris, deleas et corrigas;* quia, ſi literae delendae et cera obducendae erant, ſtylus verti debebat. Sed iſta ſcriptione Romani utebantur tantum, quando vel ſubito vel meditandi exercendique cauſa ſcribere aliquid cuperent: in iis enim, quae accuratius ſcripta vellent, charta, calamo et atramento utebantur: unde verbum *exarare* a nobis, qui ſtylo illo non amplius utimur, vel plane non de noſtra ſcriptione, vel ſaltem tantum de ſubita et extemporali uſurpari poteſt. Deinde *ſtylus* per metonymiam, quae cauſam pro effectu interdum ponit, dictus eſt de *ſcriptione ipſa*. Sic Caecin. ad Cic. in Epp. Cic. ad Div. VI, 7. in. *cum — ſtyli poenas dem* h. e. *poenas ſufferam, quia contra Caeſarem ſcripſerim.* Sic Quintil. Inſt. I, 1. *Non eſt aliena res — cura bene ac velociter ſcribendi. Nam — tardior ſtylus* (*das langſame Schreiben*)

ben) cogitationem moratur, rudis et confusus intellectu caret: ubi *tardior stylus τῷ velociter scribere*, ac *rudis et confusus stylus τῷ bene scribere* aperte opponitur. In primis tamen *stylus* ap. Ciceronem dicitur de ea *scriptione, quae tantum exercitationis causa instituitur ac propterea crebro repetitur;* v. c. Orat. I, 33. *Caput autem est — quam plurimum scribere. Stylus* (h. e. *creber* styli usus, seu *crebra scriptio*) *optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister: nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto adsidua et diligens scriptura superabit.* Sic et Orat. II, 23. *ubertas orationis stylo depascenda est*, h. e. *saepius scribendo:* quia, quo saepius eandem sententiam tractamus, eo vulgariorem eam nobis reddimus, et multas eius illustrationes omittimus. Ibid. III, 49. *cum exercitatione tum stylo — formanda nobis oratio est:* ubi *exercitatio* ad *saepius dicendum*, *stylus* ad *saepius scribendum* pertinet. Interdum etiam *stylus* dicitur pro *genere* seu *ratione scribendi:* Cic. Brut. 45, *Huius orationes tantum argutiarum — tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stylo scriptae esse videantur*, h. e. *genere scribendi Attico* seu *ea ratione, qua Attici scribere solent.* Nos in hoc libello *stylum latinum* intelligimus de *scriptione latina* in universum; non, quatenus exercitationi soli servit, vel etiam de *ratione latine scribendi.* Vtraque notio, non valde discrepans, e praecedd. patet.

SECT. II.

Stylus latinus hodie complectitur simul elocutionem.

Stylus et *elocutio* sunt hodie apud nos fere eadem, et differunt hactenus, quod ille ad scribendum, haec ad dicendum pertinet, h. e. ille scribendo, haec dicendo rem explicare studet: ut adeo, quaecunque prae-

praecepta elocutioni ſerviant, eadem ſtylo ſerviant. Non ita apud Romanos. Hic eloquentia fuit domina, ſtylus eius, ut ſic loquar, ſervus. Summo ſtudio colebant *elocutionem*, ac magis bene dicendo, quam bene ſcribendo inclareſcere ſtudebant, quia arte bene dicendi via ad ſummos honores et ſummam dignitatem muniebatur: hincque indefeſſo ſtudio in dicendo ſe exercebant, ut in ſenatu, coram iudicibus et pro concione apte, ſuaviter et graviter dicere poſſent: quam exercitationem ne in ſenectute quidem omiſſam eſſe notum eſt. Stylo ſeu ſcriptione tantum ad res vulgares, v. c. epiſtolas conſcribendas etc. et in primis pro ſubſidio elocutionis, omninoque eloquentiae uſi ſunt. Stylo ſeu ſcribendo operam dabant, eoque exercebantur, non, ut melius ſcribere, ſed ut melius dicere poſſent. Hinc intelligendi ſunt Cicero et Quintilianus, quando de ſtylo ſeu ſcribendo loquuntur, eiuſque exercitationem commendant. Hanc propterea commendant, quod ita exercitatio dicendi adiuvatur: qui enim bene ac celeriter ſcribit, is deinde quoque bene et celeriter dicit. Huc pertinent loci ſupra adlati, it. Cic. ad Div. VII, 25. ext. *nec transverſum unguem a ſtylo: is enim eſt dicendi opifex.* Neque enim credendi ſunt illi duumviri viam ad bene ſcribendum proprie monſtrare, ſeu praecepta ſtyli bene latini edere voluiſſe. Imo cuncta illorum praecepta eo tendunt, ut orator romanus fingatur, h. e. qui apte poſſit in ſenatu de republica dicere, populo legem ſuadere aut diſſuadere, coram iudicibus vel nocentem accuſare vel innocentem defendere. Noſtrae eloquentiae alia eſt ratio, ac fuit eloquentiae Romanorum. Noſtri oratores longe aliam perſonam gerunt, ac geſſerunt oratores romani, qui non modo reipublicae adminiſtrandae peritiſſimi, eiusque adeo duces, ſed ſimul quoque patroni cauſarum erant.

Noſtri oratores in Germania alios auditores habent, ac romani habebant. Hi dicebant coram ſenatu h. e. conſeſſu virorum reipublicae gerendae, rei militaris legumque peritiſſimorum: dicebant coram iudicibus, a quibus non erat ad alios provocatio, et qui non raro magis verborum quam rei gravitate, magis eloquentiae lenociniis et artibus quam cauſae veritate ad hominem vel damnandum vel abſolvendum incitabantur: dicebant coram populo univerſo, eoque libero et imperante, cui placere non parum oratoris intererat, e cuius arbitrio tota res, quae vel ſuadebatur vel diſſuadebatur, pendebat, et qui oratorem, ut exſibilare, ita laudibus et vero etiam honorum amplitudine ornare poterat. Longe quoque alias materias priſcos oratores, quam noſtri habeant, tractandas habuiſſe ſponte patet. Tales igitur oratores cum fingere voluerint Cicero et Quintilianus, facile intelligitur, quidquid dixerint, ad romanae reipublicae ſtatum, non ad noſtra tempora proprie pertinere. Multa tamen inde noſtrum in uſum quodam modo transferri poſſe, negari nequit; ſicut nihil eſt, unde non aliquid diſci poſſit. Certum utique eſt Romanos magis eloquendo quam ſcribendo inclareſcere ſtuduiſſe, ac, ſi quando de ſtylo loquantur Cicero et Quintilianus, eos hanc ſcriptionem conſideraſſe ut praeparationem et adiutricem elocutionis. Nos contra hodie, quibus lingua latina eſt mortua, magis bene ſcribere quam dicere, ac ſtyli latini potius quam elocutionis latinae laude inclareſcere ſtudemus. Duplici maxime conſilio ſuſcipi a nobis ſolet cura ſtyli bene latini: et, ut orationem ſolennem habeamus, quae antea chartae mandari, atque, ut ſic loquar, ſtyli acumen ſubire ſolet: et in primis, ut ſcribamus aliquid, quod in vulgus exire poſſit, ut ſermones familiares, qui ab eruditis inter ſe latine inſtituuntur cet. taceam. Hinc *elocutionem* proprie dictam,

tam, licet ad orationes proprie pertineat, tamen, quia etiam ſtylo niti illa ſolet, h. e. quia nulla fere oratio hodie dicitur, quae non antea ſcripta fuerit, et quia omnis bonus orator non modo bene dicere, ſed etiam bene ſcribere ſolet, recte mihi videor cum *ſtylo* coniungere ac ſub uno *ſtyli* nomine comprehendere poſſe: ita, ut *ſtylus bene latinus* ſit *ratio bene latine* non modo *ſcribendi*, verum etiam *dicendi*.

SECT. III.

Quid ſit ſtylus bene latinus, preſſius quaeritur.

Iam ſi quaerimus, quid ſit *ſtylus bene latinus*, ſeu *ratio bene latine ſcribendi*, in eius notione adcurate definienda non parum difficultatis deprehenditur; hincque non mirum eſt, de ea inter eruditos non convenire. Vt enim eos taceam, qui *ſtylum bene latinum vocabulis ex aurea*, quae vulgo dicitur, *aetate petitis* et *ornata quadam*, ut appellant, *illorum compoſitione* ſ. *ſyntaxi*, nulla ſententiarum, nullaque contextus ratione habita, *conſtare* ſtulte opinantur; ipſorum Philologorum bona pars, ſi, quid ſit *bene latine ſcribere*, quaeris, hac reſponſione defungi ſolet, ut dicat, hoc nihil aliud eſſe, quam *eo modo ſcribere, quo priſci Latini aureae aetatis ſcripſerint*, v. c. Nepos, Cicero, cet. At haec reſponſio, vera illa quidem, tamen eſt tam indefinita, ut rem non explicare, ſed explicando ludere videatur. Nam ſi cui v. c. dicerem, *bene pingere* eſſe eo modo pingere, *quo boni pictores pinxiſſent*, an ille crederet, me explicaſſe? nonne potius, ſe a me ludibrio habitum? Pergeret enim quaerere, quinam eſſent boni pictores, cur ita vocarentur, quibus ex regulis pinxiſſent, et cur illorum imitatio pro arte bene pingendi habenda eſſet. Ita, qui reſpondit,

bene latine ſcribere eſſe *more priſcorum Latinorum ſcribere*, is nondum ſatis reſpondit: ſuboritur enim alia quaeſtio, cur iſta ipſa priſcorum imitatio pro arte bene latine ſcribendi habenda ſit, et quibus in rebus haec conſiſtat. Videamus igitur, an via alia, eaque certiore rem iſtam expedire ac ſimul ſtylum bene latinum a contemtu, quem propterea, quod vocabulis meris conſtare vulgo creditur, patitur, vindicare queamus.

Quemadmodum hodie omnes ſcriptores vernaculi *theodiſce* quidem, at non omnes *bene theodiſce*, et omnes ſcriptores francici *francogallice* quidem, at non omnes *bene francogallice* ſcribunt, ita ſcriptores latini, qui Romae, in Italia, Hiſpania cet. vixerunt, etſi omnes *latine*, tamen non omnes *bene latine* ſcripſere. Iam ſi quaerere volumus, quid ſit *bene latine ſcribere*, debemus ante quaerere, quid ſit in univerſum *bene ſcribere*: tum enim ſponte ſequetur, quid ſit *bene latine ſcribere*. Nam qui *bene ſcribendi* peritus eſt, is poſtea *bene francogallice*, *bene latine*, *bene theodiſce* cet. ſcribere facillime poteſt, ſi quidem iſtas linguas callet: quemadmodum, *qui bene canere ſcit, is omnibus linguis*, ſi earum cognitione inſtructus eſt, *bene canere* ſciat neceſſe eſt. Nempe ego puto, in hac formula, *bene latine ſcribere*, vocabulum *bene* non ad τὸ *latine*, quo vulgo referunt, ſed ad τὸ *ſcribere* pertinere, ac proprie ita verba iungi debere: *bene ſcribere latine* h. e. *bene ſcribere*, *idque latina lingua*. Qui vocabulum *bene* cum τῷ *latine* coniunxerunt, in hunc ſimul deinde errorem, ut fere neceſſe erat, inducti ſunt, ut crederent, *bene latine ſcribere* nonniſi vocabulis aureae aetatis earumque coniunctione quadam contineri. *Bene ſcribere* et *dicere* (nam *ſcribere* et *dicere* hic pro eadem re habeo, quia qui bene dicere poteſt, is ſcit quoque bene ſcribere, et contra) eſt ubique

per-

perſpicue, *ſuaviter*, et, ſi quidem opus, ſimul *graviter ſcribere* et *dicere*, uno verbo *eloquentem eſſe*. *Eloquentia* enim eſt *facultas* de rebus *perſpicue*, *ſuaviter* et *graviter dicendi* (ac *ſcribendi*): *perſpicue*, ut facile intelligaris: *ſuaviter*, ut libenter atque ita attente audiaris vel legaris: *graviter*, ut rei, quam tractas, magnitudo ſentiatur. Addunt nonnulli *copioſe*: at iuſtam, ut *brevitatem*, ita *copiam dicendi* equidem potius habuerim pro ſubſidio perſpicuitatis, ſuavitatis et gravitatis. Cicero quidem Or. 21. ab eloquente poſtulat, ut *probet* (ſ. *perſuadeat*), ut *delectet*, ut *flectat*. Sed, quod ille per *probare* intelligi vult, id ego per *perſpicuitatem dicendi* intelligo, quod infra patebit; ut adeo res eodem redeat. Vt igitur nemo *bene ſcribit*, niſi *eloquens*, ita *bene latine ſcripſerunt* e priſcis Latinis nonniſi *eloquentes*, ut Cicero, Caeſar, Livius, Virgilius, Ovidius cet. Hi itaque *boni ſcriptores* dicendi: nam fuerunt eloquentes, licet orationibus habendis non omnes operam dederint. Potuiſſe tamen Livium, Virgilium cet. egregias orationes ſcribere, quis in dubium vocaverit? Omnis ergo *bonus hiſtoricus* eſt eloquens, quia perſpicue, ſuaviter et graviter narrat: omnis *bonus poeta* eſt eloquens, quia res perſpicue, ſuaviter et graviter explicat cet. Iam ſi omnes *eloquentes* Romani fuerunt *boni ſcriptores*, ſeu *bene latine* ſcripſerunt, ſequitur *primum*, hanc laudem in primis in ſcriptores aureae aetatis, quae dicitur, cadere, quia hac aetate ſtudium eloquentiae ob commoda publica regnabat; *deinde*, Ciceronem horum omnium optimum ſcriptorem fuiſſe, ſeu horum omnium optime latine ſcripſiſſe, quia omnium Romanorum eloquentiſſimus fuit, h. e. omnes Romanos in dicendo et ſcribendo perſpicuitate, gravitate et ſuavitate dicendi vicit.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0027
DFG

Ergo et hodie *bene latine scribere* est *in latine scribendo ita versari, ut perspicue, graviter* et *suaviter scribas*, uno verbo, *latine eloquentem esse*. Et quia hoc vulgo placet, (cui enim haud placet eloquentia?) propterea vocatur etiam a nonnullis *pulchre latine scribere:* id enim cuique pulchrum est, quod ei placet. Quia porro, si perspicue, suaviter graviterque dicere ac scribere cupis, non promiscue proferendum est, quidquid in buccam venit, sed diligenter *eligenda* sunt ea, quae istam perspicuitatem, suavitatem ac gravitatem omnium optime adiuvent, v. c. aptae sententiae, apta argumenta, testimonia, aptae similitudines, apta verba, aptus eorum ordo cet. hinc quoque *eleganter latine dicere* ac *scribere* a nonnullis non male vocatur. Nam *elegantia* h. e. *der Geschmack* cernitur in eo, si in dicendo ac scribendo inter multa, quae poni posse videbantur, aptissima quaeque iudicii subacti ope eligimus. Hinc *elegantia* *) a Cicerone tribuitur et philosophis,

*) *Elegantia* proprie est, quando in iis, quae vel agimus vel dicimus ac scribimus, optimum quidque eligimus; v. c. *elegans* in vestitu cet. sic qui domum sibi aedificat, omnesque eius partes ita instituit, digerit et instruit, ut ipsius commoditati ac simul pulchritudini optime serviant, is, licet sumtibus, quantum potest, diligenter parcat, nec magnificentiam proprie adhibeat, tamen *elegans* in aedificando dici potest: sic Nep. de Attico, c. 13. *elegans, non magnificus* cet. Nec tamen hinc sequitur, qui per maiores sumtus et cum magnificentia quadam domum suam sibi aeque commodam ac pulchram reddat, eum non esse *elegantem*. Vterque est *elegans*, ille per minores, hic per maiores sumtus, ille sine magnificentia, hic cum ea. Sic, qui rem vulgarem, quae animos commovere nec debet nec potest, sed tantum tradenda est, ut nota fiat, ita refert, vt eius ratio perspiciatur, is, licet non copiose narret, tamen *eleganter* h. e. apte narrat. Hinc Caesa-

losophis, omninoque omnibus scriptoribus, licet non *copiose* scribant; dummodo apte rem enarrent atque explicent. Interdum enim materia non admittit copiam dicendi: interdum etiam brevitas perspicuitati, itemque suavitati et gravitati magis servit quam copia. Manifestum vero est, *τὸ pulchre* et *eleganter scribere* non ad verba per se, sed ad ideas in iis latentes, harumque aptam compagem pertinere. Quemadmodum vero haec tria, *bene latine scribere*, *pulchre latine scribere*, *eleganter latine scribere* plane eadem sunt, sic possit quoque pro iis dici *subtiliter latine scribere:* quia *subtilitas dicendi scribendique* in eo consistit; si ita dicis ac scribis, ut nihil vitii (scil. non modo contra linguam, sed etiam contra eloquentiam) committas. Iam, si quis ubique perspicue, suaviter, et, ubi opus, graviter scribit, hancque in rem non nisi aptis argumentis eorumque iusta tractatione et exornatione, aptis testimoniis, similitudinibus, vocabulis, eorumque iusto ordine, aptis tropis, figuris, aptaque brevitate ac copia utitur, atque ita nil vitii contra eloquentiam committit, nonne is subtiliter, h. e. recte scribere dicendus est? Hinc subtilitas scriptorum laudandi causa a Cicerone dicitur, et cum elegantia coniungitur, ad Div. IV, 4. §. 2. *facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiae:* Orat. II, 7. *cui non solum nos latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque*

Caesaris commentarii recte dicuntur *eleganter* scripti: omnia enim ille dixit, e quibus res suae gestae earumque ratio perspici possit: sic et Nepos, Terentius cet. elegantes scriptores. Nec tamen hinc sequitur, qui rem gravem copiose tradat, eum non esse elegantem; v. c. Cicero in Orat. Manil. aeque elegans est ac Terentius, Caesar, cet.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0029
DFG

que concedere: sic Brut. 9. Lysias vocatur *subtilis* et *elegans scriptor, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere.*

Iam ut luculenter patet, neminem posse bene latine scribere, qui non sit eloquens, sic certum est, quotquot recentioribus temporibus bene latine scribendi laude inclaruerint, eos hanc laudem non vocabulis meris e Cicerone sumtis, sed eloquentia latine declarata sibi comparasse. Hinc sequitur, bene latine scribendi cupidum eloquentiae magnopere debere studere, et, qui cum vera utilitate velit alios docere bene latine scribere, eum illos ad eloquentiam simul ducere debere. Quae si deest, stylus quoque bene latinus deest. Patet quoque, stylum bene latinum non meris in vocabulis posse consistere. Nam eloquentia non tractat mera vocabula, more Lexicographi. Etsi enim verbis, per quae notiones et sententiae verae pulchraeque explicentur, opus quoque esse per se intelligitur, quia hae sine illis apparere et cognosci nequeunt, tamen verba per se et extra istarum notionum et sententiarum compagem ac contextum nil pulchritudinis, nil elegantiae habere possunt. Lapides ipsi non sunt pulchri, at pulchritudini domus, quae inde construitur, serviunt; domus proprie tantum pulchra est. Pulchra verba, (siquidem verba vocare licet pulchra) nulla alia queunt esse, quam quibus pulchrae aptaeque notiones declarantur. At istae notiones singulae sunt partes totius: omnium partium pulchritudo nititur apta earum compage. Quae si dissolvitur, partes desinunt esse pulchrae. Ergo interrupta notionum singularum seu verborum singulorum (nam verba et notiones sunt eaedem res) coniunctione, dissoluto eorum ordine, omnem relationem atque ita omnem pulchritudinem perire quis non videt? Nullum profecto vocabulum

cabulum per se et extra relationem coniunctionemque pulchrum et elegans est, nec aliud alio pulchrius vel elegantius dici per se potest. Omnis pulchritudo, omnis elegantia singularum notionum et vocabulorum pendet a contextu. Huic interdum vocabulum vulgare et minus sonans melius convenire potest, quam phrasis longa aut vocabulum longe petitum ac sonantius: et tum illud est pulchrius et elegantius h. e. aptius perspicuitati, suavitati ac gravitati. Nam ad has tres eloquentiae virtutes semper respicere debet et dicens et scribens. Est vero etiam solis luce clarius, artem bene latine scribendi, cum eloquentia consistat ab eaque non differat, nisi nomine, non pro re vulgari et contemnenda, sed pro praeclara ac laudabili habendam. Quis enim laudem eloquentiae non appetat? quis nolit perspicue, suaviter graviterque dicere? Patet vero etiam, artem bene latine scribendi pro re difficili habendam. Sensit hoc Taubmannus, quando in dissert. de ling. lat. p. m. 68. dixit, *facilius esse in triplici Facultate doctorem hodie fieri posse, quam orationem latinam aut Ciceronianam elaborare.* Quid enim primum difficilius est *perspicuitate?* qua tamen nemo, ac ne agricola quidem, carere potest. Cicero, qui ei per totam vitam sedulo dedit operam, non tamen interdum obscuritatis cuiusdam speciem ac crimen effugere potuit. Quis vero nescit, neminem posse de re perspicue dicere vel scribere, nisi ipsam distincte et omnibus ex partibus planeque intelligat, atque ita omnia argumenta, testimonia, similia, quibus illa certissima et clarissima reddi possit, non modo egregie sciat, sed etiam inde, quae quoque loco aptissima sint, acute eligat, ac pro auditorum lectorumve captu et gustu, saepe inter se diverso, explicet, et verba aptissima, h. e. quae istam perspicuitatem possint omnium optime gignere, eligat, aptissimoque h. e. perspicui-

ſpicuitati maxime ſerviente ordine collocet? Quid deinde difficilius eſt, quam *ſuaviter* dicere ac ſcribere h. e. ita, ut libenter cupideque audiaris et legaris? Nonne hic opus eſt, noſſe, quibus rebus auditor lectorve delectari ſoleat, ut earum ope uti poſſis, deinde neque nimis vulgaria neque nimis abſtruſa proferre; porro in verborum uſu apte variare, in primisque troporum et figurarum aptarum ſuavitate, ſententiarum ingenium non vulgare ſpirantium acumine, antithetis, itemque tum perſpicuitate, qua ipſa nihil ſuavius eſt, tum declaranda modeſtia et probitate auditores lectoresve adlicere cupidosque plura cognoſcendi reddere? Quid denique difficilius eſt, quam *graviter* dicere ac ſcribere h. e. ita, ut auditor lectorve rem non tantum plane intelligat, ſed eius quoque magnitudinem ſentiat, eaque moveatur? Hic in ſcribendo, quia vocis et geſtuum nullus uſus eſt, maior deprehenditur difficultas, quam in dicendo. Nititur vero iſta gravitas dicendi in primis argumentorum et exemplorum iuſta tractatione et exornatione, ut illorum pondus adpareat; deinde in ſimilitudinibus et deſcriptionibus rerum, hominum, in primisque permotionum animi aptis et vividis: praeterea vi troporum, interdum audaciorum, figurarum gravitate, ac verborum apta, numeroſaque ſtructura.

Tres itaque primariae ſunt virtutes, ut eloquentiae, ita ſtyli bene latini, *perſpicuitas*, *ſuavitas* et *gravitas*. Cetera omnia, quae ad eloquentiam vulgo referuntur, poſſunt ſatis commode illis ſubiici ac pro rivis rivulisve haberi, qui ſe, quaſi in amnem, ita in unam harum trium virtutum exonerent. Orator et ſcriptor primum debet *perſuadere* auditori et lectori h. e. efficere, ut lector vel auditor rem firmiter ac ſine ulla dubitatione credat et pro vera habeat. Hinc

debet

debet rem eiusque naturam maxime perſpicuam reddere ac fere oculis legentium et audientium ſubiicere: id quod in primis fit argumentorum bene inventorum recta tractatione ac verborum delectu et ordine. Debet deinde etiam ſaepe *graviter* dicere ac ſcribere h. e. ita, ut auditor lectorve rei magnitudinem ſentiat, eaque moveatur, inflammetur cet. Debet vero etiam in primis *ſuaviter* dicere ac ſcribere, h. e. ita, ut placeat. Nam ſi non placet, fruſtra tentat perſuadere ac movere: auditor vel lector non adtendit ac ne vult quidem audire vel legere. *Perſpicuitas* igitur reddit auditores lectoresque *certos: ſuavitas adtentos*, ac legendi vel audiendi *cupidos*, *gravitas* denique *commotos* et *incitatos*.

Sed, ut rem prius cogitamus, quam eloquimur ac ſcribimus, ſic res, niſi antea *bene* ac *pulchre cogitata* eſt, non *bene* ac *pulchre exprimi verbis* poteſt. Verba enim ſunt tantum echo ac veſtis cogitationum. Cum vero nihil pulchrum eſſe queat, ſi veritate careat, ſequitur, ut, qui bene pulchreque cogitare velit, antea vere rectеque cogitare diſcat. At vere cogitare h. e. veras rerum notiones tenere et mente apte coniungere eſt nonniſi philoſophi h. e. hominis inveſtigandis et cognoſcendis omnium rerum cauſis, imo cauſarum cauſis diu adſueti. Hinc patet neceſſe eſſe, is, qui bene latine ſcribere cupiat, praeter felix ingenii acumen (oratores enim et ſcriptores boni naſci debent ut poetae) ac praeter adcuratam multarum rerum et cauſarum cognitionem, mature mentem adtentione diligentiſſima, longiſſima exercitatione ac recto Logices ſtudio ſub bono ſubtilique magiſtro acuerit et ſubegerit. Ac cum *rectе cogitare*, de quo hodie in Logicis, et *rectе dicere* ac *ſcribere*, de quo hodie in Rhetoricis traditur, tam arcte cohaereat, ut animi et

eor

corporis vinculum vix arctius esse possit, miror, nostra aetate Rhetoricen et Dialecticen seu Logicen seiunctas a se invicem esse, et alteram sine altera plerumque doceri, cum tamen altera alteram adiuvare sororio nexu debeat, et altera sine altera mortua fere et inutilis sit: miror cum Quintiliano, perito huius rei arbitro, philosophorum nonnullos arte cogitandi ita se iactare, ut prae ea artem dicendi scribendique contemnant, et pro nugis ac quisquiliis habeant (forsan, quia eam vocabulis constare opinantur), nec perpendere, cogitata, licet sint subtilissima, tamen nihil prodesse, nihil efficere, nisi in vulgus prodeant verbis, tanquam veste, induta et ornata: miror vero etiam, permultos eorum, qui viam ad bene dicendum scribendumve se monstrare aliis profiteantur, sententiarum ipsarum immemores in verbis tantum eorumque pulchra, quam vocant, vel potius adfectata, structura, commutatione, sono cet. haerere, nec considerare, cogitationum prius esse habendam rationem, quam verborum, quippe quae ad illas demum se adcommodare, illas vestire ac bene vestitas ornatasque in lucem et conventum hominum producere atque ita illis hominum favorem, admirationem ac vim omnem, v. c. persuadendi, movendi, conciliare debent. Verba sine sententia sunt vestis sine corpore. Verba exquisita, ornata, (ut loquuntur,) et sonora, sed cogitationes stultas vel nimis vulgares exprimentia, sunt instar vestis pulcherrimae, omnibusque ornamentis oneratae, quae corpus hominis stulti, vulgaris vel ridiculi tegit. Priscis temporibus sapientes seu philosophi erant iidem oratores vel eloquentes: putabant tum, neminem posse bene dicere ac scribere, nisi rem plane intelligeret. Et Cicero utramque artem coniunxit, utraque se exercuit, atque ita magnus orator factus est. Ipse profitetur,

fitetur, se philosophiae, non magistris eloquentiae, debere illam suae eloquentiae copiam. Vid. Orat. 3. seqq. Et quanquam academicam sectam proprie intelligit, tamen non video, cur non omnis philosophia, modo recte discatur, idem efficere queat. Philosophia et eloquentia sunt duae sorores sibi simillimae ac fere eaedem: nec male Zeno ille alteram cum altera ita comparavit, ut diceret, *philosophiam* esse instar *manus in pugnum compressae* et *complicatae; eloquentiam* instar *manus explicatae* et *dilatatae*, h. e. utramque non nisi hactenus differre, ut illa brevius, haec copiosius et ornatius eandem rem explicaret. Vid. Cic. Orat. 32. in. Hinc *subtilitatem* et philosophis et oratoribus apud Ciceronem tribui, quis in tanta illorum similitudine miretur? Quis adeo dubitet, quin, ut oratores, ita quoque philosophi eadem de causa *elegantes* dici recte queant? Eodem pertinet illud Horatii Art. 309. *Scribendi recte sapere est et principium et fons.* Add. Cicero Or. 21. *sed*, inquiens, *est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia*, h. e. philosophia, non illa e vulgaribus compendiis ducta, sed subtilis cognitio rerum humanarum et causarum, unde illae oriuntur, itemque animorum humanorum ac causarum, quibus illi ducuntur: quo pertinent quoque causae causarum tam longa serie ductae, quam mentis humanae vis et acies perferre potest. Sed iam Quintiliani tempore studium philosophiae a studio eloquentiae seiungi coeptum esse patet ex illius hac de re querelis in principio Institutionum.

Ex his vero, quae disserui, quodam modo adparet, cur numerus eorum, qui bene latine scribant, hodie sit tam exiguus, ac forsan superiori

aetate

aetate fuerit, neque vero maior esse possit. Adcedunt ad hanc artem vulgo sine philosophia atque sine eloquentia. Quod quid aliud est, quam volare sine alis, curru vehi sine equis? Volunt ante recte scribere, quam recte cogitare sciant: volunt ante scribere, quam, quod scribant, habeant. Quid aliud facere possunt, quam ut vocabula, utcunque lecta, intellecta, collecta, temere consarcinent? Debebant per lectionem Ciceronis aliorumque priscorum, qui ob artem recte pulchreque cogitandi, dicendi ac scribendi in scholis leguntur, certe legi debent, (haec saltem erat maiorum sententia, cum istam lectionem scholis mandabant) eloquentes ac philosophi fieri, ut virtutum exempla et praecepta inde petenda taceam: sed fiunt per istam lectionem aucupes vocabulorum et venatores elegantiarum fictarum, quas in vocabulis raris, in participiorum congerie aliisque rebus minutis ac somniis quaerunt, et his thesauris valde se iactant. Debebant totum Ciceronem imitando exprimere. Sed ut totum illum recte atque ordine imitari possent, debebant eum totum recte atque ordine intelligere, h. e. ita, ut in singulis versibus adcurate scirent, quid sibi singula verba vellent, cur Cicero isto nec alio modo locutus esset, cur modo latius modo brevius, cur circumscriptione, cur hac vel illa connexione aut collocatione verborum usus cet. Debebant singulas partes, etiam minutas, quibus eloquentia Tulliana constat, et quae non statim in oculos incurrunt, atque, ut ita dicam, singula eius lineamenta adcurate nosse ante, quam imitari tantum virum sustinerent. Cum imitatore Ciceronis aeque se res habet ac cum pictore. Pictor os vultumque hominis recte exprimere cupiens debet cognitione corporis humani levi non contentus esse, sed singulas partes, etiam minutas,

singula

singula lineamenta quam adcuratissime nosse. Adcedunt aliae causae permultae et internae et externae: v. c. 1) quod ars illa bene latine scribendi a magnis viris vulgo contemnitur: nec raro ii, qui ista arte excellunt, vocantur per contemtum *Verbalistae*, h. e. *Wortkrämer*, *Wortklauber*, *Sylbenstecher*, *Sprachmeister* cet. Audiunt hoc adolescentes nec deinde putant in tam nugatoria arte magnopere elaborandum esse. 2) quod non magna praemia iis, qui istam artem callent, proponuntur. Hinc eius studium in discipulis frigeat necesse est: nec etiam mirum videri debet, viros ipsos deesse, qui illa arte praeclare instructi alios eo ducere cupiant. Hinc fiat necesse est, ut iste labor veniat ad imperitos. Romae tempore Ciceronis eloquentia sponte colebatur, quia magna inde praemia magnique honores exspectari poterant: et magnus ibi magnorum oratorum numerus erat, licet nulla *methodus* illam discendi praescripta esset. Nec Roma Ciceronem nec Graecia Demosthenem tulisset et habuisset, nisi hi praemiis laudis et honoris ad istud studium eloquentiae acerrimum invitati fuissent. Praemia sponte studium incitant et inflammant, efficiuntque magnos viros in omni genere: et magni viri deinde ipsi methodos aptissimas facillime inveniunt. Omnes methodi praescriptae cogunt quodam modo: et omne coactum retardat ingenium ac studium in animis generosis: ut taceam, non omnes methodis ab alio praescriptis aptos esse, at aptissimos iis, quas ipsi sibi praescripserint.

SECT. IV.

Summa huius libelli.

Vt in toto hoc libello omnia praecepta bene latine ſcribendi ita inſtituimus, ut ubique eloquentiae rationem haberemus, ſic illum in *duas partes* deſcripſimus, quarum *prior*, eaque praeparatoria, de verbis per ſe eorumque ſcriptura, uſu, ordine, variatione, de dicendi copia et brevitate exponit: *poſterior* tres primarias eloquentiae virtutes ipſas, perſpicuitatem, gravitatem et ſuavitatem tractat; quibus denique pauca de ſubſidiis cet. ſubiecimus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0038
DFG

PARS PRIOR
EAQVE PRAEPARATORIA,
DE VOCABVLIS IN GENERE,
QVATENVS SVNT
INSTRVMENTVM ELOQVENTIAE,
DEQVE EORVM
SCRIPTVRA, VSV, ORDINE, VARIATIONE, COPIA ET BREVITATE DICENDI.

CAP. I.
DE ORTHOGRAPHIA s. VERA VOCABVLORVM SCRIPTVRA.

SECT. I.
Orthographia eſt una.

Orthographia h. e. *vera literas et vocabula ſcribendi ratio una* ſit neceſſe eſt: quia omnis *veritas* eſt *ſimplex*. Non igitur orthographia unius vocabuli duplex eſſe poteſt. Confundunt hic multi *orthographiam* cum *ſcriptura*; v. c. de vocabulo, quod dupliciter ſcribi ſolet, ut *cauſa* et *cauſſa*; *cocus* et *coquus* cet. dicunt: *quaeritur, utra orthographia ſit rectior?* Hoc nihil aliud eſt, quam dicere: *utra veritas ſit verior.* Debebant dicere: *utra ſcriptura ſit vera*, ſ. *recta*.

SECT. II.

Orthographia non eſt negligenda.

Quanquam per ſe non magni refert, utrum adoleſcens hoc, an alio modo vocabula ſcribat, dummodo plurium exemplum ſequatur, quia intelligentes in iudicando ſtylo non ſpectant, quali quiſque ſcriptura uſus ſit, ſed quam praeclare cogitaverit, haecque cogitata verbis expreſſerit, tamen, quia ſapiens omni vitio vacare cupit, (et orthographiam negligens committit vitii aliquid,) non inutile erit pauca de orthographia dicere, ut adoleſcens de ea iudicare diſcat.

SECT. III.

Quaenam ſit regula orthographiae?

Sicut omne *rectum* nititur regula certa, v. c. *recte canere, recte ſaltare* cet. ex *regulis canendi, ſaltandi* cet. iudicatur: ſic, ſi de recta vocabulorum ſcriptura ſ. orthographia iudicare velis, certam regulam, ad quam illa exigenda ſit, eſſe debere patet. Sed quaenam ea ſit, non inter eruditos convenit. Aliis eſt *ſcribendi uſus priſcorum;* aliis *ſcriptura codicum, numorum, lapidum;* aliis *etymologia* cum *analogia* et *teſtimoniis priſcorum.* Quaenam ſententia praeferenda?

I) Primum *ſcriptura, quae apud priſcos obtinuit, vel potius obtinuiſſe creditur, non certa regula noſtrae ſcripturae haberi poteſt.* Nam a) ſcriptura priſcorum valde *incerta* eſt; quia ipſorum priſcorum, ut Ciceronis, Caeſaris cet. manus non habemus: nec priſci ipſi de ſua ſcriptura nos docuerunt ſatis. b) Deinde etiamſi eorum ſcripturam ſciremus, vix haec certa regula eſſe poſſet, quia *varia* fuit, pfout ipſi vel etymologiam vel pro-

pronuntiationem vel aliam causam sequendam putarent. Omnibus in linguis vivis ista varietas scripturae deprehenditur, v. c. in vernacula *Papſt* et *Pabſt*, *ſtark* et *ſtarck*, *Raethſel* et *Raetzel:* sic apud Romanos *genetrix* et *genitrix*, *labſus* et *lapſus*, *coquus* et *cocus*, *haud* et *haut*, scriptum est vel scriptum videtur; sic *ſet*, *aput*, *Alexanter* scriptum esse a nonnullis monet Quintilianus.

Sed ut de veterum scriptura, quae saepissime se ad pronuntiationem (saepe itidem diversam) adcommodavit, melius iudicare possimus, deque eius tam mira varietate eo minus mirari cogamur, opus est illorum pronuntiationem nosse: et quanquam eam non totam novimus, tamen pro plane ignota haberi non debet. Omnis pronuntiatio linguae latinae priscis usitata vertitur et in pronuntiatione literarum et in tono s. accentu.

A) in *literis*, ac

1) primum in *consonantibus:* hic

B et *p* saepe, ut in vernacula, confusa sunt: hinc *ſcripſi* pro *ſcribſi*, *lapſus* pro *labſus* cet.

C nunquam ut *z* pronuntiatum, sed ut *k* vel saltem ut *g* (ut nostri fere *Gott* pronuntiant *Kott*): neque ergo *decimus*, *cilicium*, *carcer* pronuntiarunt *dezimus*, *zilizium*, *karzer* sed *dekimus* cet. Hoc ex etymologia, e vocabulis, quae graeca et theodisca lingua communia habet cum latina, et ex aliis rebus patet. Quomodo v. c. *decumus* pro *decimus* dici potuisset, nisi lectum esset posterius *dekimus*? Vernaculum *Kerker* nonne melius respondet latino *Karker* quam τῷ *Karzer*? sic ϙ *docitum* h. e. *dokitum* factum est *doctum* h. ϙ. *doktum;* quod e *dozitum* fieri non poterat. Hinc *g* cum *c* saepe commutatum, v. c. *viceſimus* et *vigeſimus* a *viginti:* sic in Col. Duil. *leciones* pro *legiones*. Forsan *g* et *c* est eadem litera, *g* recentioris, ϙ antiquioris formae. Hinc *Caius* et *Gaius*.

D cum *t* saepe confusum, ut apud nos: hinc *sed* et *set*, *Alexander*, *Alexanter*, *attraho* pro *adtraho*: sic olim vernacule scribebant *Hant* pro *Hand* cet.

Gn non pronuntiatum est, ut *ngn*, v. c. *signum* non pronuntiarunt *singnum*, sed *sig'num*: hinc *sigillum*; quod melius a *sig'no*, quam a *singno* derivatur, ut *tigillum* a *tigno*: et nostrum *Zeichen*, quod cum latino convenit, melius respondet *signo*, quam *singno*: ut Graecum δείκω, δείκνυμι taceam.

H in medio vix pronuntiatum, praeterquam post consonantem. Sic et in nostra, v. c. *sehen*, *gehen*, ubi non *se-hen*, *ge-hen*, sed *seen*, *geen* dicimus. Sic *nihil*, *mihi* pronuntiarunt prisci, *niil*, *mii*, ac deinde *nil*, *mi* cum accentu circumflexo. Sed ab initio vocabuli puto τὸ *h* enuntiatum esse, v. c. *hara*, *hauris* cet. quia alioquin commutata haec vocabula forent cum *ara*, *auris*. Forsan et in Compositis, v. c. *adhibeo* cet.

L videtur valde molliter pronuntiatum esse: hinc Itali recentiores id saepe vitant, v. c. *Fiorenza*, *Piacenza*, pro *Florentia*, *Placentia* cet.

M videtur in fine vocabuli ob celerem pronuntiationem vix auditum esse, v. c. *mensam*, *nubem*, fere ut *mensa*, *nube*: ut nostri festinanter dicunt *in mein Nam* pro *in meinem Namen*. Hinc factum, ut poetae totam istam syllabam, sequenti vocali, omitterent seu eliderent.

Qu (pro quo nonnullis praeplacet *q* sine *u*) lectum est ut *k*: v. c. *coquus* ut *cocus*, *quum* ut *cum*, *neque* ut *neke* s. *nec*: hinc inter *quum* et *cum*, inter *neque* et *nec* nihil discriminis: sunt eadem verba, ut *nihil* et *nil*. Hinc patet, quomodo praeter alia ex *equus* fieri potuerit *eculeus*, et quomodo Francogallorum *egal* ex *aequalis* factum sit. In nonnullis tamen videtur τὸ *u* lectum, v. c. in *quatio*, *quis*: hinc *concutio*, *cuius* cet.

S videtur in fine verbi fuisse tam tenui sono, ut vix audiretur. Hinc omittitur in versibus Ennianis cet. Sed τὸ *st* non enuntiatum est *scht*, v. c. *schtella* pro *stella* cet. quod nos quoque facimus in vernaculis verbis, ut *schtul* pro *stul*.

Ti sequente vocali pronuntiatum est ubique ut *ti* vel *di*, non ut *zi*. Legerunt *artium*, non *arzium*, sed *ardium*, *arthium*. Docent hoc, praeter etymologiam et derivationem

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0042
DFG

tionem vocabula graeca et theodisca multa, quae cum latinis cognatione coniuncta sunt.

V pronuntiatum est ut *W:* v. c. *vinum, vannus, vermis, vacillo* legerunt *winum* cet. sicut eadem vocabula in nostra lingua leguntur *Wein, Wanne, Wurm, wackele.* Hinc commutatio huius literae cum *b* in MSS. non mira est, v. c. *duvius* pro *dubius, Baleria* pro *Valeria.*

2) in *vocalibus.* Quae quia inde pendent, prout os vel laxius vel angustius aperitur, facile intelligitur, cum non omnes homines os eodem modo aperiant, non unam illarum fuisse enuntiationem, sicut et est in nostra lingua, ubi v. c. *Mahn* et *Mohn, Athem* et *Oden, Rüben* et *Ruben* cet. dicitur. Hinc v. c. *a* saepe mutatum in *e* vel *i,* ut *adspergo* pro *adspargo, abigo* pro *abago* cet. *e* in *i.* v. c. *colligo* pro *collego* cet. quae omnia veniunt e celeri pronuntiatione. Multa exempla talis, et consonantium et vocalium commutationis dedi in libello: *Gedanken von den Eigenschaften der deutschen Schreibart* cet. (Halae ap. Curtium) it. in *Grammatica latina* vernacule edita (Lipsiae, ap. Fritsch.). Vnum addam: quod nunc in vernacula est *ohne*, id olim scribebatur *ane* et *ano:* idemque est in graeca ἄνευ, in latina *sine;* sibilo addito, ut saepius. Hic *a, i* et *o* commutantur. NB. hic monuerim, ἀν in ἀναμάρτητος i. e. *qui non peccavit,* ἀνελευθέριος i. e. *illiberalis,* aliisque talibus compositis esse forsan illud *ane,* s. ἄνευ, et in iis vocabulis, quae per consonantem incipiunt, illud *ν* ob duram pronuntiationem omitti, v. c. ἄσοφος pro ἄνσοφος cet. Longe aptius et verisimilius hoc est, quam figmentum illud grammaticorum, dicentium, α in ἄσοφος esse α privativum ut et in ἀνελευθέριος, ac *ν* ob euphoniam, quam dicunt, insertum esse.

3) in *Diphthongis:* quarum vera pronuntiatio est, si utraque vocalis, in primis prior, auditur: id quod Romani, saltem adcuratiores, melius, quam nos in latina et vernacula lingua, videntur observasse.

1) *ae;* v. c. *mensae, Caesar* legerunt tribus syllabis, ita, ut *a* in primis, et *e* vix audiretur. Et quomodo, si prisci *Caesar* legissent *Kesar* vel *Zesar,* inde fieri potuisset nostrum *Kaiser?* Hinc commutatio *aulae* et *aulai* cet. sic *aire moltati* in lapide occurrit.

2) *ei:* v. c. *hei* duabus syllabis: *socieis,* quatuor. Sic maiores nostri *Rein* s. *Rhein* pronuntiarunt duabus syllabis, sed raptim: ita tamen, ut *e* praecipue audiretur:

hinc Caesar inde fecit *Renus* s. *Rhenus*, quod non facere potuisset, si *Rain*, ut nos loquimur, pronuntiari audivisset.

3) *eu:* v. c. *heus*, duabus syllabis, *he-us:* sed raptim, atque ita, ut *e* audiretur; estque nostrum *he!* quod illi male responderet, si lectum esset *hais*, ut nunc legimus.

4) *oe:* v. c. *Poeni* tribus syllabis, *(Po-e-ni)* ita ut *o* in primis, et *e* vix audiretur. Hinc patet, cur *Poeni* et *Puni*, *moerus* et *murus*, *coerator* et *curator* cet. commutari potuerint: nam *o* et *u* facile commutantur, ut pronuntiatio rusticorum in vernacula docet.

5) *au* pronuntiatum est plerumque *o*, ut apud Francogallos et nos, v. c. *Roch* pro *Rauch; Closter* pro *Claustrum;* sic *olla* ex *aula*, *Clodius* ex *Claudius* facile fieri potuit: interdum tamen quoque ut *aw*.

B) in *tono* s. *accentu*. Hunc Romani ad quantitatem syllabarum adcommodabant. Ergo

1) breves syllabas, quas hodie in Prosodia demum discimus, omnes Romani, etiam in communi vita, raptim pronuntiabant (corripiebant) h. e. ita, ut vix audirentur: id quod, ut in omnibus vivis linguis, ita in nostra fit, v. c. *Geduld* pronuntiamus *G'duld*, una fere syllaba, *Kinder Kind'r* cet. Sic Romani *mensa*, (nominat.) *servus*, *serve* cet. ita pronuntiarunt, ut posterior syllaba vix audiretur. Et haec ipsa causa est a) *Apocopes*, v. c. *dice*, *duce* cet. sonabant ut *dic'*, *duc'*, hinc ita scribebant: sic nostri *sag* pro *sage*. Omnis ista omissio oritur a celeri pronuntiatione. b) *Contractionis*, v. c. *mi*, *nil* pro *mihi*, *nihil;* ut nostri *Magd* pro *Maged*, *sehn* pro *sehen* cet. quae contractio, celeritatis pronuntiandi filia, aliis deinde syllabis contigit, ut *amasse* pro *amavisse*. c) *Commutationis*, v. c. *decimus* et *decumus* pronuntiabant, quasi *dek'mus*, ut audientes non possent discernere, utrum *dekimus* an *dekumus* pronuntiaretur: sic *navibus*, *genitrix* sonuerunt ut *nav'bus*, *gen'trix*, vel ut *navebus*, *genetrix*. Hinc scripserunt etiam multi, pronuntiationem tanquam unam scribendi regulam sequentes, *navebus;* (v. c. in Mon. Duill.,) *genetrix*, (ut in Codd. Virg.) sic in nostra, v. c. ex *Oberfier*, quia sonat *Obr'fter*, factum est *Obrister*.

2) Ion-

2) longae syllabae producebantur (*wurden verlängert*) h. e. longiori temporis spatio pronuntiabantur, quod fiebat ita, ut vocalis dupliciter pronuntiaretur, v. c. *pono* ut *poono*, *mensa* ablat. ut *mensaa:* deinde ita quoque scriptum videtur, donec brevitatis studio apicem h. e. forsan lineolam transversam adhiberent, quae indicaret, alteram vocalem deesse, v. c. *pōno*, *mensā*; sicut nostri *deū* pro *denn* scribunt: hinc patet, quomodo lineola transversa in Prosodiam venerit ad designandam syllabae longitudinem. Haec hactenus.

Ceterum ex his patet, quam varia scriptura apud priscos obtinuerit, cum a pronuntiatione et consuetudine pependerit: quis vero hanc variam incertamque scripturam pro certa scribendi regula habeat?

II) Deinde nec scriptura *codicum*, *numorum* et *lapidum* pro certa regula scribendi haberi potest. Nam 1) variat et ipsa: ut adeo semper incerti simus: at regula debet esse certa. 2) librarii fuerunt indocti plerumque ac saepe, quae scriberent, ne intelligebant quidem. Sic v. c. *Magister Varro*, *Magister Cato* scripserunt pro *M. Varro*, *M. Cato:* it. *dementia* pro *clementia* cet. Quis tales homines sequatur? sic in lapidibus occurrunt, v. c. *apsens*, *optinebit*, *set:* nec a numis, qui non semper a linguae peritis signati sunt, certam scripturae legem arcessere licet.

III) Nec *Grammaticorum priscorum* auctoritas sufficere potest. Hi repererant iam scripturam e pronuntiatione ortam, *variam*, et consuetudine corruptam: et magis stabilire (ut hodie fieri solet) quam emendare studebant. Pauciſſimi altius eam investigabant. Hinc inter eos lis oriebatur. Quid solatii certi hinc exspectandum?

IV) *Etymologia* est haud dubie longe certior regula. Dolendum quidem, eam in omnibus vocabulis nobis haud notam esse. At sumamus, quantum licet. Subiiciam aliquot vocabula, quorum recta scri-

ptura, licet non semper eruditorum usu et approbatione adiuvetur, per etymologiae legem firmatur:

Adfero, adtuli, adlatum, adsiduus, adcipio, adgredior cet. rectius quam *affero, attuli, allatum, assiduus, accipio, aggredior* cet. Et sic in omnibus vocabulis per *ad* incipientibus litera *d* manere debebat, perspicuitate ita iubente. Facilius tiro in *adfero, adtuli, adlatum, adcipio* cet. compositionem agnoscit quam in *affero* cet. Nec in vernacula quisquam talem commutationem tolerat. Vid. infra *In.* Putant vulgo quidem, *affero, attuli, aggredior* cet. per *euphoniam* dictum. Sed quid est euphonia? nonne a consuetudine pendet? Et omne, quod rectum est, bene sonat.

Adolescens rectius quam *adulescens:* est enim ab *ad* et *olesco* i. e. *cresco.*

Ancora, non *anchora*, est enim graecum, ubi non est *h:* omninoque τῷ *h* post *c* aliasque consonantes abstinendum, nisi e graeco transferri debet. Hinc videndum, an Cicero recte egerit, qui *pulcher* pro *pulcer* scribendum putarit. Hinc *sepulcrum, simulacrum, torus, Tuscia* et similia rectius sine *h.* Sic *carus*, non *charus*, nisi quis a χάρις vel χαίρω ducere velit.

Arctus, a, um, rectius quam *artus:* est enim contractum pro *arcitus* ab *arceo*, quod olim notavit *includo, contraho;* quod e *coerceo* videtur elucere; et includendo solent homines bestiaeque *prohiberi*, ne damnum aliis inferant. Sic *farctus* rectius quam *fartus.*

Asporto: pro eo haud dubie rectius est *absporto:* nam *as* non est *ab.*

Assimilare (vel potius *Adsim.*) rectius quam *assimulare* (adsim.), quia est a *similis:* sic *similare, dissimilare* rectius scriberetur quam *simulare, dissimulare.* Proprie enim *simulare* est *similem reddere*, et *dissimulare dissimilem reddere.* At usus dicendi manebit forsan hic quoque tyrannus.

Audacia, non *audatia*, quia est ab *audacis.*

Balineum rectius quam *balneum:* omnis enim contractio est recentior.

Benevolus, benevole, non *benivolus* cet. Est enim a *bene*, ut *beneficus;* sic *malevolus, malevole.*

Ceteri, non *caeteri:* e graeco ἕτεροι, non καὶ ἕτεροι. Sed *h* saepe abit in *c* et contra, ut *Cornu Horn, cervus Hirsch* cet.

Con-

Conligo, *Conlega*, *conmeo* cet. rectius quam *colligo*, *collega*, *commeo*, cet. cur τὸ *con* mutemus? vid. infra *In*.

Deliciae non *delitiae*, ut vel e *delicatus* patet: est ab antiquo verbo *delicio*.

Emtus, non *emptus*; est enim ab *emo*, non ab *empo*.

Exspectare rectius quam *expectare*: a *specio*. Sic *exstare*, *exsequi*, *exsequiae*, *exstruo* cet. rectius quam sine τῷ *s*.

Genitrix, non *genetrix*, a *genitum*, ut *genitor*.

Idcirco, non *iccirco*; ab *id* et *circa*.

Idemtidem rectius quam *identidem*; quia est ab *idem*.

Inclytus, non *inclitus*, a κλύω, κλυτός. Tolerandum videtur *inclutus*, ut *Sylla* et *Sulla*; quia Romani *u* ut *y*, vel Francogallorum *u*, saepe legerunt. Sed ut ex *inclytus* factum est *inclutus*, ita deinde per celerem pronuntiationem ex *inclutus* feciſſe videntur *inclitus*, ut *decimus decumus*, *optimus optumus* cet. Cf. nostrum *Knie* respondens latino *genu* et graeco γόνυ.

In dies, non *indies*: sunt enim duo vocabula, quorum alterum alterum regit: ut *in diem*. Sic *in posterum* sc. *tempus*, non *inposterum*, *in primis*, non *inprimis*; sic *cum primum* cet.

In non debet mutari in compositione: rectius ergo *inlino*, *inlustris*, *inmitis* cet. quam *illino*, *illustris*, *immitis* cet. male hic ad euphoniam quandam fictam provocatur: omne rectum bene sonat, nec contra. Sic et nostri *n* in *Anfang*, *anmuthig*, *anlachen*, *einladen*, *Iungfer*, *unmäßig* cet. non mutant in sequentem vel aliam consonantem, sicet non nulla horum vocabulorum vulgo pronuntientur per *m*, v. c. *Amfang*, *Iumfer* cet. Et cum *infinitum*, *infinitivus* cet. vulgo scribatur, quod tamen quoque a multis *imfinitum*, *imfinitivus* pronuntiatur, cur non idem faciamus in illis? Multo minus *imprimis*, *imposterum* scribendum, cum sint duo separata verba *in primis* cet.

Labsus, non *lapsus*, a *labor*; sic *scribsi*, non *scripsi*.

Lapicidina, non *lapidicina*; est enim a *lapis* et *caedo*.

Monimentum, non *monumentum*, a *monitum*. *Monumentum* venit e celeri pronuntiatione *mon'mentum*; ut *documentum* pro *docimentum*: sic *decimus*, *decumus* cet.

Musеum, *Numus*, *Opsonium*, *Poena*, non *musaeum*, *nummus*, *Obsonium*, *Paena*; sunt enim e graeco μουσεῖον cet.

Pomoerium, non *pomerium*, a *moerus* i. e. *murus*; quia fuit *post muros*, v. Liv. I, 44. Prisci dixere *moerus* et *murus*, *Poeni* et *Puni*, *coerator* et *curator* cet.

Ptolemaeus, non *Ptolomaeus*; e gr. πόλεμος s. πτόλεμος.

Quidquid, non *quicquid*; est enim duplex *quid*; sic *quidquam*, *quamquam*, non *quicquam*, *quanquam*. Euphonia est spectrum, quod in phantasia, non in re, cernitur.

Raetia, *Renus*, non *Rhaetia*, *Rhenus*: quia sunt vernacula, non graeca.

Scena, *straiegema*, non *scaena*, *stratagema* e Graeco.

Suboles, non *soboles*, a *sub* et *oleo* s. *olesco* i. e. *cresco*.

Sumsi, *sumtum*, sine *p*: quia est a *sumo*, non *sumpo*.

Taeda, non *teda*; a Gr. δᾳὶς, in accus. δᾷδα. At hinc per *d* scribendum *daeda*? Recte. At sic plura male scribuntur, v. c. *Bischof*, ab *Episcopus*, pro *Pischof*; *Pilz* a *boletus* pro *Bilz* vel *Bülz*.

Tiro, *Torus*, non *tyro*, *thorus*: non enim sunt graeca.

Tropaeum, non *trophaeum*, Gr. τρόπαιον. Contra *triumphus*, Gr. θρίαμβος, rectius sine *h* scriberetur: sicque olim scriptum est, vid. Cic. Or. 48.

Valitudo, non *valetudo*, a *valitum*. *Valetudo* tamen est ap. Horat., antepaenultima producta, quod in *valitudo* vix cadere possit.

Versus, non *vorsus*, a *verto*; et hinc nostrum *Vers*. *Vorsus* factum, quia *e* ante *r* non facile pronuntiari ab omnibus potest, hinc in *o* mutatur v. c. a nostris infantibus.

Sequentia, nisi certa etymologia, tamen magna veri similitudine se commendant:

Aegaeum, non *Aegeum*, quia ita Graeci. Plus nescimus.

Auctor, *auctoritas* rectius videtur, quam *autor*, *authoritas* cet. videtur esse ab *auctum*, licet significatio utriusque non satis conveniat: adcedit auctoritas Dionis, qui scripsit αὐκτώριτας.

Coelo, *are*, rectius quam *caelo*, quia videtur esse e gr. κοῖλον, eique respondere nostrum *hol*, *aushölen* cet.

Coena rectius videtur quam *caena*, e. Gr. κοινὴ, quia communis erat et domesticis et amicis. Romani non utebantur fere amicis nisi in coena.

Contio rectius videtur quam *concio*, contract. e *comitio*, a *comire*, ut a *comitiis* parum differat. *Concio* a *concire* est contra analogiam. Et prisca monimenta habent *contio*.

Con-

Convicium rectius quam *convitium*; quia videtur a *vox* descendere: quasi *convocium* i. e. *clamor multorum*: et sic *convicium* est Phaedr. I, 1.

Haud et *haut*, e. gr. οὐδὲ vel οὔτε, ut utrumque defendi possit.

Heres rectius quam *haeres*; quia fit *herus*; licet in *heres* longa, in *herus* brevis sit paenultima.

Hyems, non *hiems*, a Gr. ὕω. Et hyems est tum *tempestas pluvialis* s. *pluvia*, tum pars anni (*Winter*): sed haec erat Romanis plena pluviae.

Imo, non *immo*; ab *imus* s. *infimus*, ut *certo*, *tuto* a *certus*, *tutus* cet. Proprie est *im Grunde*, hinc a) *ja* in adseverando, b) *umgekehrt*, *au contraire*.

Increbresco, non *increbesco*, a *creber*, pro *increbrescо*. Sic ab *aeger aegresco*, a *niger nigresco* cet. Verba talia τῷ *r* carentia veniunt a verbis, ut *macesco* a *maceo* cet.

Infitiari, non *inficiari*; videtur esse a *fateor*.

Lacrymae, non *lacrimae*, ob gr. δάκρυον: mutatio τοῦ *l* non mira: sic *Ulysses* ex Ὀδυσσεύς. *Lacrumae* tolerari potest, ut *Sylla Sulla*, *inclytus inclutus*: *y* videtur fuisse nostrum *ü*, v. c. in *Dünkel*, et *u* ap. Romanos pronuntiatum esse, saltem saepe, ut nostrum *ü*, s. Graec. *v*. Hinc mutatio τῦ *y* in *u* non mira: sed per celerem pronuntiationem *lacr'mae*, ac deinde *lacrimae* factum est. At per *ch* scribere plane falsum, quia non est in Graeco.

Litera rectius quam *littera*; forsan a *lino*, ut *litura*.

Mulcta, non *multa*; forsan a *mulgeo*. Prisci plebeio sermone (sed omnis lingua initio est sermo plebeius) videntur dixisse, *mulgere aliquem* sc. pecunia, ut *emungere*: hinc venit significatio *privandi* s. *damnum inferendi*. *Mulcta* igitur proprie est *damnum* scil. pecuniae: vel participium, pro *pecunia mulcta*.

Praestringere v. c. aciem mentis rectius quam *praestinguere*.

Prelum, rectius quam *praelum*; a *premo*, ut videtur; licet prior syllaba illic longa, hic brevis sit.

Reciperare rectius quam *recuperare*, a *recipio*: *i* deinde in *u* mutatum, ut *decimus decumus* cet.

Stylus rectius videtur quam *stilus*, quia in graeco est στύλος: quod etsi *columnam* significat, non *graphium*, tamen aliqua similitudo intercedit: qua usus loquendi interdum contentus esse solet.

Sylva rectius quam *silva*, e gr. ὕλη. *S* praefixum est, ut in multis aliis v. c. ἅλς *sal*, ὗς *sus* cet.

Thus

Thus rectius quam *tus*, a Gr. θύω. Sacrificabant olim *thure*.

In nonnullis incertior vel plane incerta est scriptura, quia etymologia latet. Et tum sequenda est auctoritas lapidum, numorum, librariorum, vel magnorum philologorum; v. c.

Allucinari, *hallucinari* vel *alucinari*, *halucinari*. Origo ignota.

Annulus, *anulus*. Origo ignota. Et quia dicuntur prisci consonantes non geminasse, hinc maior difficultas. Plerique hodie scribunt *annulus*.

Arcesso, *accerso*. Posterius se commendat per *ac* i. e. *ad*: sed quid est *cerso*? Prius derivant ex *arcio* i. e. *adcio*, quia *ar* interdum pro *ad* reperitur, v. c. *arvehere*, *arfuisse*. Quid si ab *accedo*? ut *accesso* s. *arcesso* sit *facere*, *ut aliquis accedat*. Quidquid est, doctiores hodie praeferunt *arcesso*.

Bacca et *baca*; sic *bellua* et *belua*: vid. *Annulus*.

Caerimonia, *Caeremonia*, *Ceremonia*. Origo incerta. Si a *Caere*, Etruriae oppido, quo, Roma capta, sacra translata erant, nomen venit, ac, si, ut Valerius Max. I, 1. narrat, *inde institutum est, sacra caerimonias* vocari, rectius per *ae* scribitur et simul propter analogiam *i* in medio servandum.

Camoena, *Camena*. Origo dubia. Hinc nescio, cur per *oe* scribamus.

Causa et *caussa*. Origo incerta. Forsan a *caveo*, ut *cautor*. At, cur litera geminetur, cum non audiatur duplex *s*, nec enuntiari possit, nullam causam video. Sic *Paulus Paullus*, et *paulum paullum*.

Coecus et *caecus*: *Coelebs* et *caelebs*. Origo latet.

Coenum et *Caenum*. Origo dubia. Ducunt aliqui a κοινόν.

Comissari, *Comessari*; a κῶμος ducitur: quaeritur de terminatione *issari* an *essari*. Videtur utrumque pronuntiatum a celeriter loquentibus.

Cunctari, *Contari*. Illud a *cuncta videndo*, vel a *coniungi*, quasi *coniunctari* h. e. *cupere cum aliis coniungi*, *ac propterea illos exspectare*, arcessunt: hoc a *conto*, quo nautae aquae altitudinem pertentent. Doctiores video *cunctari* scribere. Sic *Percunctari*, *Percontari*: posterius a *conto* duci possit et priori praeferendum videatur.

Dum-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0050
DFG

Dumtaxat, *duntaxat:* huius mirabilis vocabuli origo forsan in perpetuum latebit. Videtur e pluribus vocabulis compositum: utrum e *dum taces*, *at:* an *tune taces? at*, an aliunde compositum sit, alii viderint. Si e *dum* compositum est, *m* non debet mutari.

Faex, *fex*. Origo latet. Hinc eruditi utroque utuntur.

Fecundus, *femina*, *fetus*, *fenus* et *foecundus*, *foemina*, *foetus*, *foenus:* si *feo* h. e. *procreo*, *fero*, ap. priscos usitatum fuit, rectius est *e* quam *oe:* respondet Graec. φύω et priscorum Germanorum *foden* i. e. *parere*, unde forsan *oe* defendi possit.

Fetialis, *fecialis*. Etymologia latet. Quia tamen Graeci per *t* scripsere, hinc eorum auctoritatem nonnulli sequuntur.

Glaeba et *gleba*. Origo latet. An nostrum *bekleiben* inde descendat, ut inde pro *e* aliquid concludi possit, non definiam.

Induciae, *indutiae*. Origo incerta. Gellius, Manutius, Vossius stant pro *t:* Manutius dicit esse pro *inductae:* Vossius derivat ab *indu* s. *endo* h. e. *in*, et *otium:* non male. Verum, quid si a *duco* derivetur, atque ita per *c* scribamus? *Ducere bellum* est *longius reddere*. *Induciae* ergo sunt, quando *bellum non longius redditur* h. e. *finis ei imponitur*. Induciae vero priscis erant fere idem, quod nobis pax est. Cessabat bellum ad certos et multos saepe annos.

Letum et *lethum*. Origo incerta. Prius a verbo *leo*, unde *deleo* factum, derivatur. Posterius a λήθη h. e. *oblivio* per euphemismum.

Litus et *littus*. Origo latet.

Mille et *mile*. Origo ignota. Si tamen hinc *miles* descendit, debet *mile* praeferri, praesertim cum nostrum *Meile* melius conveniat cum *miliari* quam cum *milliari*, quod inde derivatur.

Moereo, *maereo:* atque ita *moestus*, *maestus*. Origo incognita.

Nuntius et *nuncius*. Origo latet.

Obscoenus, *obscenus*. Origo latet. Alii a *scena* ducunt atque ita *obscenum* scribunt, quasi sit *id*, *quod scenae non conveniat:* valde coacte. Alii a Gr. κοινὸν i. e. *immundum*, de quo supra vid. in *coenum*. Nihil certi definietur.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0051
DFG

finietur. Si e vernaculo ducere liceat, possimus e *schön pulcher* derivare, ut *obscoenus* sit *non pulcher*.

Oppidum et *opidum*. Origo incerta. Hoc ab *opibus* derivant: nimis docte.

Paene, *pene* i. e. *fere*. Origo latet. Sic *paenultimus*, *paeninsula* et *penultimus*, *peninsula* cet.

Paulum, *paullum*: videtur esse e *pauculum* contractum, ut duplici *l* vix opus sit, et quis utrumque enuntiet? cf. supra *causa*.

Postumus, *posthumus* i. e. *post patris mortem natus*. Prius plerique defendunt, quia post patris mortem natus recte dici possit *postumus* s. *postremus*. Recte. At non omnis postremus filiorum est post patris mortem natus.

Saeculum, *seculum*. Origo ignota. Prius praeferunt nonnulli, quia in lapidibus et in primis in numis occurrit *saeculum*.

Satira, *Satyra*. Casaubonus docuit, satiram Romanorum venire a *lance satura*, atque ita per *i* scribendam. Sed ut concesserim, hoc cadere in satiram Romanam, quaeritur, an quoque in nostram?

Solennis, *Sollemnis*. Origo latet. Hoc Festus a *sollo* i. e. *toto* ducit, vocabulo Osco, ut sit *id*, *quod omnibus annis fieri debeat*. Tunc *sollennis* scribendum foret. *Solennis* a *soleo*, *solitus*: ut sit id, *quod per annum fieri soleat*. Non male. Hinc *solennes annui ludi* ap. Livium: nec forsan hic iunxisset *annuus* et *solennis*, nisi putasset *solennis* esse i. q. *solitus*.

Sollers, *solers*. Origo dubia. Illud Festus ducit a *sollo* i. e. *toto*, quasi *in omni re prudens*.

Solicitus, *Sollicitus*. Hoc a *sollus* etiam ducit Sanctius, illud a *solum* et *cieo* h. e. *moveo* arcessit Festus, ut sit proprie *de loco* s. *de sententia moveo*: non male.

Taeter, *teter*. Origo latet.

Tingo, *tinguo*. Illud est ut *pingo* cet. hoc codd. nititur.

Vngo, *unguo*. Hoc confirmant per *unguentum*: plerique tamen scribunt *ungo*.

Vnquam, *umquam*. Videtur ab *unus* vel *unicus* descendere, ut *unquam* rectius forsan sit. Sic *nunquam*, *numquam*.

In nonnullis nihil refert, utram scripturam sequare, v. c. *cotidie quotidie*: *cocus coquus*: plerique tamen

tamen ſcribunt per *qu:* ſic *locutus* et *loquutus:* illud plerisque placet. Sic *cum* (*wenn*, *da*) et *quum* (*unt* eadem; ſic *triceſimus trigeſimus; viceſimus vigeſimus*, quia *g* et *c* olim eaedem erant literae: adcuratiores tamen hodie ſcribunt per *c*. Sic *Caius Gaius*, ſic *dilectus* et *delectus*, *die Werbung*.

Haec de etymologia, cui, quia non ubique expedita eſt, vicariam quodammodo operam praeſtant *analogia, auctoritas graecorum* et *proſodia*.

1) *analogia;* v. c. ut *conditio, rectio*, ſic *auditio*, non *audicio;* et forſan ſic *contio* pro *comitio* ſ. *coitio*, non *concio*. Vt *decimus decumus*, ſic *optimus optumus:* ut a *divitis* fit *divitiae*, non *diviciae*, ſic a *prudentis* fit *prudentia:* ut ab *audacis audacia*, ſic a *ferocis ferocia* cet.

2) *auctoritas graecorum*, v. c. quia Dio ſcripſit αὐκτώριτας, ſequitur, hunc credidiſſe, Romanos ita locutos eſſe vel ſcripſiſſe. Sic *Maecenas*, *Mauricius*, *Magnentius*, quia graeci ſcribunt Μαικήνας, Μαυρίκιος, Μαγνέντιος cet. Sed et hic cautio magna: v. c. Britanni vocantur a graecis ſcriptoribus Βρεττανοί.

3) *proſodia:* v. c. *preces*, *ſedeo* nemo per *ae* ſcribet, quia brevis eſt prior ſyllaba: ſic *ſupellex* non *ſuppellex* cet. At et hic magna cautio, quia interdum quantitas ſyllabae mutata eſt, v. c. *peiero* a *iuro*, *voco* a *voce*.

Hactenus de etymologia, ut regula orthographiae. Addamus duo, licet ſint minuta:

1) de uſu literarum *u*, *v*, *i*.

a) de *u* et *v*. Multi hic ſcribunt, prout pronuntiant, v. c. *uva*, *vultus*, *violavimus:* Alii ubique *v* ab initio et ubique *u* in medio ponunt, ſive ſit conſonans ſeu vocalis, v. c. *vua*, *vultus*, *violauimus*, *vnus*. Alii ubique *u* uſurpant, v. c. *uua*, *uultus*, *uiolauimus*. Quid horum rectius? Cum non certum ſatis ſit, quomodo priſci ſcripſerint, melius eſt hic in ſcribendo pronuntiationem ſequi, v. c. *uva*, *vultus*,

tus, *violavimus*, praesertim cum haec scriptura sit captui puerorum adcommodatior. Ceterum tota res est minuta.

b) de *i*. Nonnulli consonantem *i* et vocalem *i* distinguunt scribuntque v. c. *conjicio*, alii scribunt *coniicio*, credentes se antiquitatem rectius sequi. Quid de hac re censendum? Prisci, puto, τὸ *i* ubique ut vocalem pronuntiarunt, etiam sequente alia vocali. At haec pronuntiatio, quia celeriter fiebat, sonuit fere ut *g* vel *j*: sic et nos, v. c. *meridies*, *Schlesien*, *Armenien* pronuntiamus vulgo *meridges*, *Schlesgen*, s. *meridjes*, *Schlesjen* cet. Illud *Iot* igitur nihil aliud est quam *i* celeriter pronuntiatum. Hoc vel patet ex *aio*. Si legis *aio*, tribus quidem syllabis, sed celeriter, patet, cur *ais*, *ait*, *aiunt* dici possit; scilicet aeque ac *audio*, *audis*, *audit*, *audiunt*: sin legis *ajo* s. *ago*, duabus syllabis, unde tum *ais*, *ait*? Sic *iacio*, proprie quadrisyllabum, fit celeriter pronuntiando trisyllabum, ut nobis *Schlesien* dissyllabum. Idem de *u* possis dicere: v. c. *Vidua* sonuit ut *Vidwa* etc. Sic *lingua*, *distinguo*, ut *lingwa* cet. Perperam nonnulli scribunt *lingva*, *distingvo*, quasi *v* pro *u* ponendum sit.

2) de divisione syllabarum. Alii derivationem sequentes scribunt v. c. *prod-eo*, *ab-igo*, *ad-eo*, *os-tendo*, *sus-cipio*, *sus-tineo*, *paen-insula* vel *pen-insula*, *pros-odia*, *pot-est*, *prod-est*, *Alex-ander*, *et-iam*, *neg-otium*: quo pertinent *a-ctus*, *ca-ptus*, *o-mnis*, *pro-pter*, *schi-sma*, *magi-ster*, quia verba reperiuntur per *ct*, *pt*, *mn*, *sm*, *st* incipientia, ut *Ctesias*, *Ptolemaeus* cet. Alii sequi malunt pronuntiationem, v. c. *a-bigo*, *po-test*, *eti-am* vel *e-tiam*, *pae-ninsula* vel *pe-ninsula*, *ne-gotium*, *ac-tus*, *cap-tus*, *schis-ma*, *magis-ter*. Non male. Priorem tamen dividendi rationem plerique hodie, ni fallor, sequuntur.

CAP.

CAP. II.

DE RECTO VOCABVLORVM VSV.

SECT. I.

Vocabula debent esse bona.

Omne *vocabulum* per se *bonum* est, h. e. usurpari potest, si quidem certum est, usurpatum esse a bonis scriptoribus. *Bonitas* ergo vocabulorum, per se considerata, consuetudine bonorum scriptorum nititur. Hinc

1) videndum est, an certo apud eos occurrant. Hinc utendum est editionibus illorum diligenter impressis ac Criticorum opera castigatis, ne vitium typographicum pro manu Ciceronis, Caesaris cet. aut vocabulum a Criticis eiectum vel damnatum pro bono priscisque usitato habeas, v. c. *distringere gladium* pro *destringere*, *divertere* pro *devertere*, *concilium* (de deliberantibus) pro *consilio*; it. *impraesentiarum*, ap. Nepotem cet.

2) *Boni scriptores* sunt ii, qui linguae usum adcurate tenuerunt, eiusque divitias recte adhibuerunt, uno verbo Oratores vel eloquentes: inter quos, ut supra dictum, referendi sun boni historici, boni poetae, boni comici, ut Caesar, Livius, Terentius, Virgilius cet. Ergo omnis bona latinitas e lectione priscorum ipsa est haurienda. Sed in illis legendis videndum, e cuius persona quaeque dicantur: in Ciceronis libris interdum inducuntur alii loquentes, v. c. poetae: ne horum verba pro verbis Ciceronis habeamus. In Comoediis videndum, quis loquatur, utrum herus aliusve homo bene educatus, an obstetrix, servus cet. Priorum verba semper pro bonis h. e. apud liberales usitatis haberi possunt, posteriorum non item. Videndum quoque, utrum serio an per iocum dicatur: v. c. *homo trium literarum* i. e. *fur* iocandi causa ap. Plautum dicitur. Interdum cogimur recentioribus vocabulis uti, ut *Marchio*, *Landgravius* etc.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0055
DFG

SECT. II.

Haec bona vocabula debent esse etiam apta.

Cum vocabula sint signa cogitationum, debent non modo bona h. e. usitata, sed etiam apta esse h. e. cogitationes singulas recte exprimere, ac sibi invicem quoque recte respondere. Iam cum omnis eloquentia, atque ita omnis stylus bene latinus perspicuitate, gravitate et suavitate cernatur, sequitur, totum vocabulorum usum his tribus virtutibus scribendi dicendique adcommodari debere. Quare etsi omnis vocabulorum tractatio ad eas proprie referenda est: tamen, ob copiam rerum in usu vocabulorum per se et ante, quam ad eloquentiam adcedas, observandarum, et, ut animus tironis sensim praeparetur, non alienum visum est hic quaedam praemittere ac praecipua locis dictis reservare.

SECT. III.

Vocabula per se non sunt pulchra.

In vocabulis per se et extra contextum nulla potest esse pulchritudo. Omnis vocabulorum pulchritudo, si quidem ipsis pulchritudinem tribuere licet, oritur e duabus rebus arcto vinculo connexis, a) ab idearum pulchritudine in vocabulis latente, b) ab earum apta coniunctione. Pulchritudo idearum (ergo et vocabulorum) est semper relativa, h. e. nulla idea per se pulchra est, sed quatenus congruit ceterarum idearum contextui, huiusque *pulchritudinem* h. e. perspicuitatem, suavitatem et gravitatem adiuvat. Neque igitur vocabulum per se et extra contextum potest esse pulchrum, nec aliud alio pulchrius et elegantius per se est. E vocabulis apte coniunctis oritur demum pulchritudo s. elegantia orationis et styli. Proprie igitur totus contextus

pul-

pulcher tantum dici potest, v. c. oratio Ciceronis pro Milone est pulchra, Livii libri sunt pulchri cet., quemadmodum tota hominis imago in tabula picta tantum pulchra dici potest. Partes imaginis singulae non possunt dici pulchrae; nisi vel omne id, quod ad totius rei pulchritudinem aliquid confert, pulchrum vocare libeat (qui usus dicendi durus est), vel partem aliquam tanquam totum aliquod atque ita sine connexione aliarum partium consideres, ut v. c. *pes pulcher, brachium pulchrum* interdum dicitur. Sed licet ita de maioribus partibus dici posse interdum concesserim, tamen minutis particulis, quales sunt vocabula, vel ideae singulae, nulla per se pulchritudo tribui potest. E lateribus pulchra domus aedificari potest: at lateres ipsi non sunt pulchri propterea. Idem dicendum de *venustate* et *ornatu*. Nullum vocabulum per se venustum, vel ornatum *(zierlich)* dici potest. Venustas et ornatus pertinet ad universum contextum.

SECT. IV.

Cavendae sunt fictae quaedam elegantiae.

Quam in rem fugiamus fictas, vel non satis definitas *pulchritudines*, quae sub nomine fallaci et obscuro *elegantiarum*, *pulchrorum* et, ut loquuntur, *ornatorum* (*zierlicher*) *verborum*, *syntaxeos ornatae* cet. vulgo circumferuntur, et fere in verbis et horum coniunctione atque ordine, sine idearum et contextus respectu, ponuntur. Sunt duplicis fere generis. Aliae plane nullae sunt: aliae quadam tantum ratione, non simpliciter ac per se, pulchritudini orationis serviunt. En indicem talium elegantiarum:

1) Dicunt, vocabula *aureae aetatis* esse elegantiora aliis. Male. Vocabula per se non sunt pulchra seu elegantia: vid. paulo ante. Imo interdum vocabula recentiora sunt aptiora et elegantiora, v. c. *Landgravius*, *Archi-Mareschallus* cet.

2) dicunt *elegantius* esse, phrasin pro verbo simplici ponere: v. c. *amore teneri* pro *amare: in amplexum alicuius ruere* pro *amplecti, ira inflammatum esse* pro *irasci.* Male. Nam a) simplex verbum, si ideam apte exprimit, aeque aptum est, ac phrasis: b) imo saepe est aptius, si ideam simpliciter ac sine idea secundaria exprimere cupis. Ac cum pauciſſima sint synonyma, quae prorsus inter se commutari possint, saepe in periculo sumus, ne phrasi quadam plus dicamus, quam dicere velimus: v. c. *amore teneri, von der Liebe gefeſſelt werden* est plus quam *amare; ruere in alicuius amplexum, in Iemands Umarmung, Arme ſich ſtürzen* longe plus est, quam *amplecti: ira inflammatum esse* plus significat quam *irasci.*

3) *Rarius vocabulum, rariorem phrasin* male pro *elegantia* (h. e. *pulchritudine*) habent, v. c. *duntaxat* pro *tantum; colophonem addere* pro *finem imponere, perficere; infitias ire* pro *infitiari; impraesentiarum* pro *nunc* cet. Imo, quo crebrius vocabulum occurrit apud priscos, eo certius est, hoc iis pulchrius s. aptius visum esse, et quo rarius est, eo magis credibile est, hoc iis excidisse. Pertinet huc formula *ut quisque* seq. *ita*, pro *quo quis* cet. v. c. *ut quisque est doctiſſimus, ita solet esse modeſtiſſimus:* hoc multi putant *pulchrius* (sic explico illorum *eleganter*) dici, quam, *quo quis est doctior, eo solet esse modeſtior;* v. c. Heineccius Fund. Styli p. 78. ait; „*quo, eo*, si occurrunt, *elegan*„*ter* mutari poterunt ita, ut in priori commate „*ut quisque*, in posteriore *ita* ponatur.“ Male. Nam sive dicas *ut quisque* cet. seu *quo quis* cet. nonne easdem ideas cum verbis coniungis? nonne eundem sensum? Iam, quae formula non pulchriorem sensum continet quam alia, non potest esse pulchrior.

4) Nec rarior vocabuli significatio ullam pulchritudinem et elegantiam per se adferre potest. Dicunt v. c. *gaudere* eleganter dici pro *habere*, v. c. *homo gaudet mente.* Imo timendum est, ne lector, nisi contextus aperte contrarium doceat, *τὸ gaudere* per *laetari* explicet: Sic *uti* elegantius dici putant pro *habere*, v. c. Rollin. *in der Anweiſung, die freyen Künſte* cet. p. 538. Male. Nec *utor* simpliciter est *habeo*, sed includit

dit simul *usum rei* proprie, v. c. *uti patre indulgente* cet. sed quis de homine suos libros non legente dicat: *utitur multis libris?* Sic *ita* pro *hac conditione*, *propterea* cum elegantia quadam dici putant, v. c. Ernesti Init. Rhetor. §. 306. it. *ipse* pro *sponte:* it. pro *totus*, v. c. *tres ipsos dies ibi fui.* Non inest pulchritudo et elegantia, quia pulchritudo idearum non adiuvatur vel augetur. Sic Heinecc. Fundam. Styli p. 52. ait: *Aliquando* versari *idem est ac* circumagi: *Et haec est elegans locutio;* Imo est propria significatio: sic Horat. Sat. I, 5, 72. active dixit *versare turdos* scil. assandos, ad ignem.

5) Nec ordo verborum pro libidine traiectus vel potius discerptus pulchritudinem efficere potest. Male v. c. Heinecc. ibidem p. 58. ff. ait a) *vocativum non ab initio statim, sed plerumque* (quando vero?) *post aliquot verba poni solere.* Interdum nihil refert, utrum post aliquot verba, an ab initio ponas: interdum orationis gravitas vel perspicuitas postulat, ut modo praeponatur, v. c. Terent. Andr. I, 5, 47. *O Mysis, Mysis* cet. modo postponatur. b) n. II. ait, *casus obliquos, si id sensus orationis ferat,* (quid hoc sibi vult?) *eleganter nominativo praemitti.* Debebat dicere, *si perspicuitas, gravitas vel suavitas dicendi id postulet.* Et hoc valet de omnibus eiusmodi regulis Heineccianis, v. c. n. VII. de *participio a verbo substantivo seiungendo;* ubi, ait, *pereleganter* hoc fieri, et laudat Cic. ad Qu. Fr. I, 1. *Non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii famaque denique ipsa esset sua celeritate superatura.* Addit: *rescribe superatura esset, et multum peribit elegantiae.* Male. Nulla est elegantia, nisi in ideis: aeque eleganter Cicero dixisset *superatura esset:* nisi dicas, Ciceronem *esset* interposuisse, ne lector τὸ *ipsa* cum *celeritate* coniungeret. Millies verbum substantivum post participium invenies. c) n. VIII. elegans est ei haec seiunctio ap. Cic. Fin. II, 16. *Quae est ista laus, quae possit e macello peti?* pro *peti possit.* Nihil elegantiae inest, et millies haec seiunctio non reperietur. d) n. IX. ait, *comparativos et superlativos elegantissime periodum claudere.* — At hoc non fit semper, ac, si causam adferre licet, est forsan numerosior clausula, vel alia causa.

e) n. X. dicit, *casus obliquos vocabuli* nemo *eleganter locum postremum occupare*. Male. Interdum praeponitur, interdum postponitur hoc vocabulum. f) n. XIII. ait, *inter adiectivum et substantivum* aliquid *interponere solere Latinos, iam pueris notum est.* Ridicule! quid enim est illud *aliquid?* An omne, quod vis? dicere debebat, *aliquid, quod arcte cohaereat cum his duobus nominibus, ad perspicuitatem adiuvandam;* v. c. *meus in te animus:* hic quisque sentit *in te* ad *animus meus*, nec alio pertinere. Exemplum Nep. Alc. 9. *Quem quidem adeo sua cepit humanitate*, non huc pertinet, nam aeque bene Nepos dixisset *sua humanitate*. Quod autem Heineccius addit: *At si dixeris:* adeo sua quidem quem human. cepit; *nulla amplius erit orationis venustas;* recte quidem ait: at quis tiro tam petulanter discerpet ordinem et *quem* post *quidem* ponet? Omnis ordo verborum, si quid pulchritudinis adferre h. e. orationem magis perspicuam, graviorem vel suaviorem reddere debet, pendet a contextu et re. Idem ordo alibi pulcher, alibi stultus esse potest. Et quam mire loquitur Heineccius ibid. n. XI. *Adiectiva substantivis sive praeponas sive postponas, perinde est: pronomina tamen* meus, tuus cet. *saepissime postponuntur.* Nec intelligo, quid Ernestius sibi velit Init. Rhet. §. 301. „*In adiectivis elegans est,* „*cum a substantivis divelluntur* v. c. *hoc est ad* (i. e. „*in Ansehung*) *fructum uberrimum*," h. e. *efficit fructum uberrimum*, non, ut ipse explicat, *hic est fructus uberrimus.*

6) Nec *commutatio partium orationis*, si fit sine respectu idearum, aliquid pulchritudinis adferre potest: v. c.

a) *eleganter mutari adiectivum in substantivum et hoc in illud*, dicit Heinecc. p 74. sed non addit, quando fieri debeat. Non enim ubique fieri potest. Recte quidem dico *nemo Herculis fortitudini resistere potuit* pro *Herculi forti;* at non: *emi mihi ferrum clavorum* pro *clavos ferreos.*

b) dicunt, *eleganter substantivum mutari in participium:* v. c. *re considerandа* pro *rei considerationе: mortuo patre* pro *post patris mortem.* Recte ita dicitur h. e. usitate; at non pulchrius.

c) dicunt,

c) dicunt, *eleganter verbum mutari in participium*: ſic Heinecc. p. 75. ubi nil Geſnerus monet. Male. In participiis non niſi brevitas ineſt.

d) dicunt, *eleganter gerundium in participium mutari.* Sic Heinecc. p. 77. v. c. *cupidus ſum virtutis amandae* pro *virtutem amandi.* At prius tantum *uſitatius* eſt. Sic Geſnerus ibid. dicit, et pro *venit ſalutatum amicos* elegantius dici *venit ſalutaturus amicos, ſalutandorum amicorum cauſa, ad ſalutandos amicos.* Dicere debebat: *uſitatius* pro *elegantius.*

e) dicunt, *eleganter mutari futurum infinitivi in fore, ut:* ſic Heinecc. p. 68. v. c. *ſpero fore, ut in gratiam tecum redeat* pro *eum in gratiam* cet. Male. Vtrumque ſaepe occurrit: niſi quod, ubi verbum futuro infinitivi caret, cogimur *τὸ fore ut* uſurpare.

f) *nomen in verbum eleganter mutari* ait Heinecc. p. 74. v. c. pro *omnibus par et pleriſque melior* putat Nepotem elegantius dicere: *Antefertur huic nemo, pauci pares putantur.* At 1) ſententia non ita fit pulchrior, 2) imo plane mutatur: Aliud enim eſt *parem eſſe* et *parem putari.* Saepe aliquis poteſt eſſe *omnibus par et pleriſque melior*, nec tamen ſemper ei contingit, ut nemo ei anteferatur.

g) dicunt, *dico non* eleganter mutari in *nego*, ſic Heinecc. p. 79. v. c. *negavi me venturum* pro *dixi me non venturum.* At illud eſt tantum brevius.

h) eleganter mutari *quidam* in *neſcio quis*, ait Heinecc. p. 79. Male. Nam *quidam* (*ein gewiſſer*) non ſemper de *homine obſcuro* vel *ignoto* dicitur, ut *neſcio quis*; v. c. Cic. Roſc. Am. 23. in *T. Cloelium quendam, Tarracinenſem, hominem non obſcurum* cet.

7) Elegantiam aiunt adiuvari *adiectione alius vocabuli.* Recte: ſi idearum pulchritudo, h. e. perſpicuitas, gravitas vel ſuavitas adiuvatur; non vero *adiectione univerſa et temeraria:* nihil enim addi debet temere: v. c.

a) *eleganter* addi dicit Heinecc. p. 67. ſuperlativis *quam, longe, multo*, v. c. *quam doctiſſimus, longe optimus.* At non *eleganter* illa vocabula adduntur, ſed augendi cauſa. Nam *quam doctiſſimus, longe optimus* plus valent quam *doctiſſimus, optimus.* *Quam*

doctissimus est *recht sehr gelehrt*, sed *doctissimus* est *valde doctus*, *sehr gelehrt.*

b) Ibid. n. 4. ait, *eleganter* superlativis addi *quisque.* Male. *Quisque* non additur *eleganter* h. e. *temere* (sic fere explicandum est istud *eleganter*) sed *necessario*, ad enuntiationem efficiendam universalem, quae sine eo non est: v. c. *optimus laudis studio ducitur* est *unus homo valde bonus* cet. at *optimus quisque laudis* cet. est *omnis valde bonus*, s. *omnes valde boni* cet. sic *optima* sunt *valde bona:* at *optima quaeque* sunt *omnia valde bona.*

c) Ibid. n. 5. ait, comparativis *non sine elegantia* addi ablativos *iusto*, *solito*, *dicto*, *spe*, *opinione:* v. c. *iusto adtentior*, *solito tristior*, *dicto citius* cet. Imo adduntur tantum, ubi sensus requirit: non frustra h. e. ad pompam inanem. Longe aliud est *adtentior* quam *iusto adtentior*, h. e. *adtentior quam iustum est:* sic *solito tristior* est *tristior quam solebat*, *trauriger als sonst:* *dicto citius*, *spe celerius* est *citius quam dictum erat*, *celerius quam speratum erat.*

d) ait p. 68. *elegantiam eandem* (scil. quam *fore ut*) *prae se ferunt formulae* adcidit, fit, factum est, futurum est, *quae verbis additae eventum vel consequentiam indicant.* Recte: adduntur, ubi sententia fert: v. c. si de rebus fortuitis sermo est, addere possum *adcidit*, *contingit*, v. c. *adcidit, ut rex moreretur: si contingat, ut istum videam* pro *rex mortuus est*, *si istum videbo:* at non, si de rebus physicis vel manifesto certis: v. c. quis dicat; *adcidit, ut deus sit iustus* pro *deus est iustus*, vel *adcidit*, *ut autumnus aestatem sequatur* cet.

e) ait p. 69. *quid* et *cur* eleganter mutari in *quid est, quod?* Est elegantia, sed tum tantum, ubi ob adfectum interrogatio vehementior reddi debet.

f) *quod si* pro *si* eleganter dici putant. At non ubique, sed 1) ab initio periodi post signum distinctionis maximae, ac debet 2) aliquid praecessisse, ad quod *τὸ quod* respiciat, sic et *Quod nisi* cet.

g) *id quod* pro *quod*, *ut ne* pro *ne* eleganter dici putant. At 1) pro *id quod* saepissime occurrit quoque *quod:* et *id quod* plerumque tantum respicit totam enuntia-

enuntiationem, raro unum vocabulum, ut *quod:* 2) *ut ne* pro *ne* vel *ut non* saepe occurrit. Ergo elegantius?

h) Heinecc. n. 12. dicit, *isque (et is, idemque) eleganter redundare emphaseos causa.* Mire. Nam si emphaseos causa, quomodo redundat? ac si redundat, nulla inest emphasis. At non redundat, sed est *adpositio* (ut in grammaticis dicitur) cum gravitate quadam, estque nostrum *und zwar*, v. c. *habeo multos libros, eosque pulchros* i. e. *und zwar schöne: Emit multos libros, idque parvo* cet.

i) Heinecc. n. 14. ait, interrogationibus eleganter addi *quaeso, obsecro, amabo*, aut, si ex ira procedant, *malum.* Recte: si sensus fert. Nam *quaeso, obsecro, amabo* sunt verba: hinc, quando iis uti liceat, sponte intelligetur. *Quaeso* et *obsecro* est i. q. *rogo;* et *amabo* vel *amabo te* (nam utrumque dicitur) est proprie *ich will dich auch lieb haben,* deinde i. q. *rogo.* Est itaque blandientis et rogantis, respondetque saepe nostro: *höre einmal* etc. *Malum* est nostrum *der Geier! beym Henker!*

k) *eleganter* addi dicunt verbum verbo, v. c. *rana rupto iacuit corpore* pro *rupta est: telo percussus cecidit* pro *percussus est.* Recte: sed utrumque verbum suum sensum habere debet. Recte ergo Nepos in praef. *cum relatum legerint* i. e. *cum apud historicos legerint: referre* est historici, *legere* lectoris. Male vero Caesar B. C. I, 65. *Quos ubi Afranius procul visos conspexit:* pro *procul conspexit.*

l) *substantivum* dicunt *substantivo eleganter addi.* Recte, sed non sine apto sensu, v. c. *offendere patris animum* pro *patrem: vulnerare hominis corpus* pro *hominem.* At male dixeris: *inveni pennae longitudinem* pro *pennam.*

8) Omissione quoque elegantiam adiuvari dicunt: v. c. a) *ut* omittendo post *velim, rogo:* At saepe addunt prisci, saepe omittunt: et neutrum elegantius. b) *si quis, si cuius, si quando, sicubi* elegantius dici putant pro *si aliquis, alicuius, aliquando, alicubi.* Non elegantius, sed usitatius: nam saepe *si aliquis, alicuius* cet. occurrit apud priscos: at longe saepius *si quis, si cuius, si quando* cet. Et proprie posterius est vitium: at

at usus dicendi vitia inter virtutes numerare gaudet. c) elegantius dicunt *aliquis, aliquid, aliqui* ante *pronomen relativum* omitti, v. c. *est, qui dicat: sunt, qui dicant: non est, quod fleas.* Sic prisci fere semper. Est ergo *usitatius.*

g) Vocant et nonnulli id *elegans,* quod tamen nonnisi rectum est.

a) *semet ipse interfecit* pro *semet ipsum:* at ita prisci adcuratiores fere semper: nec aliter potuerunt dicere: nam homo proprie *ipse interficit se, ipse est interfector sui:* non opus erat addere *ipsum,* quod iam in *semet* latet. Sic rectius *sibi ipse repugnat,* quam *ipsi.* Prisci tamen etiam dixere *se ipsum, me ipsum, sibi ipsi* cet. v. c. Cic. Nat. D. II, 3. *ut se ipsos — devoverent:* plura collegi in Observat. ad Cic. Orat. III, 53.

b) Accusativus cum infinit. post verba *sentiendi, intelligendi, dicendi* pro *quod* putant elegantius dictum. At prisci non fere aliter loquuntur.

c) *non modo, sed ne quidem,* pro *non modo non* cet. eleganter dici putant: Non *eleganter,* sed proprie *vitiose:* sed quia prisci posterius *non* saepe omittunt (per negligentiam): hinc et nobis ita loqui licet.

d) *creare consulem, praetorem: cooptare pontificem, legere senatorem, capere vestalem* cet. eleganter dici putant. Prisci ita quidem loquuntur: et recte: nam *creare* est *facere, cooptare* est *eligere, capere* est *sumere,* hinc *eligere.* Prisci vero etiam dicunt, *consulem dicere,* Liv. XXIV, 9. XXVII, 6. *consulem facere,* Cic. Agr. II, 1. *dictatorem creare,* Liv. II, 18. VI, 6. *dictatorem facere,* Liv. II, 21: *cooptare tribunos,* Liv. III, 64. *cooptare senatorem,* Cic. Verr. II, 49. *cooptare magistrum equitum,* Liv. VI, 38. *legere vestalem,* Liv. I, 3. Cic. legg. II, 8. e legg. XII. tabb. Ovid. Fast. II, 383. *dicere tribunos militum,* Liv. V, 13.

e) *An* post *utrum* s. *ne* enclit. eleganter dici putant pro *aut.* At semper fere ita prisci: v. c. *nescio, utrum scribam an legam: nescio, scribamne an legam,* vel *nescio scribam an legam.* Nunquam *aut* pro *an,* neque *an* pro *utrum* ponunt, qui adcurate scribere sciunt.

f) *contra, nusquam, commendare* pro *econtra, nullibi, recommendare* elegantius dici putant. At posteriora prisci plane ignota.

g) *tantum abest, ut* seq. *ut* eleganter dici volunt, v. c.

tantum

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0064
DFG

tantum abeſt, ut me adiuves, ut potius impedias, ſtatt mir zu helfen, hinderſt du cet. Sed vix aliter dici poteſt.

h) *isque, et is, idemque, idque* eleganter dici putant pro *et quidem*, v. c. *habeo multos libros, et eos pulchros: vidi te ſaepe, idque Lipſiae.* Sed priſci ſaepe quoque dicunt *et quidem.*

i) *ſine ulla dubitatione* pro *ſine omni* cet. eleganter dici dicunt. At prius tantum adcuratius. Occurrit *omni* ante *ſine*, v. c. *ſine omni ſapientia*, Cic. Or. II, 1. *ſine omni periculo*, Terent. Andr. II, 3, 17.

k) *dignus*, ſeq. pronomine relat. elegantius dici putant quam ſeq. *ut:* v. c. *dignus eſt, quem amem* i. e. *ut eum amem:* at ſemper ita dicendum, (quia hoc uſitatius) niſi iam *qui* praeceſſit, v. c. *vidi hominem, qui, ut amaretur, dignus erat;* non *qui, qui amaretur:* nec: *qui dignus erat, qui* cet.

l) *ne quidem* diiungi eleganter, dicunt. At priſci ſemper fere diiungunt vocabulo interpoſito. Cauſam vid. infra.

SECT. V.

Eleganter ſcripturus debes vocabulorum habere delectum.

Sed cum tota ars bene latine ſcribendi ſ. ſtylus bene latinus in eo cernatur, ut pulchre cogitata aeque pulchre exprimas, ſequitur, duo, ut omnis eloquentiae, ita ſtyli bene latini ſtudioſo eſſe obſervanda. Primum debet *pulchre cogitare*, quae eſt res primaria, h. e. ex omnibus ſententiis, argumentis, exemplis, ſimilibus cet. ea deligere, quae perſpicuitatem, gravitatem et ſuavitatem omnium optime adiuvent. Deinde debet iſta pulchre cogitata pulchra veſte induere: hinc rem quamque aptiſſimis verbis, aptiſſimaque eorum ſtructura exprimere. Poſterius non minus difficile eſt quam prius. Nam non per ſe neceſſe eſt, pulchre cogitata ubique pulchra adpareant. Nam in verbis male vel lectis vel coniunctis ſaepe peccari poteſt. Cum igitur non parvi referat, qualibus verbis hic utaris, videndum ante omnia eſt, ut ſcias *verborum delectum habere.*

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0065
DFG

SECT. VI.

Si vis delectum vocabulorum habere, debes magna illorum copia instructus esse.

Sed ut delectus iste recte haberi queat, magna vocabulorum et phrasium copia, in primis eiusdem vel similis significationis (*Synonyma* vulgo quoque haec vocantur) instructus esse debes, ut pro contextus ratione aptissima quaeque eligas, ac modo vocabula, ideam simpliciter h. e. sine admistione ideae secundariae indicantia, v. c. *mori*, *vita*, *esse*, *irasci*, *amare* cet. modo, ubi ob gravitatem vel suavitatem opus est, ea vocabula usurpes, quae praeter istam unam ideam simul ideam secundariam contineant, v. c. *mortem oppetere* et *cadere*, quibus inest simul idea *violentiae*, pro *mori: vitam trahere*, in quo est notio saepe cuiusdam *miseriae*, pro *vivere: vita frui*, in quo est simul notio *suavitatis*, pro *vivere: ira incensum esse*, in quo est notio *vehementiae*, pro *irasci: amore teneri*, ubi est notio *vehementiae* vel *firmitatis*, pro *amare* cet. Sic *stare*, *sedere*, *haerere* cet. indicant quandam *firmitatem*, v. c. *stat mihi sententia*, non est simpliciter pro *est mihi sententia*, sed *firma: sic haerere in malis* plus est quam *esse in malis*. Sic *versari* non est *esse* simpliciter, sed *aliquamdiu esse*, hinc *occupari*. — Sed omnia pendent a contextu: nullum vocabulum tam bonum est, quod non in contextu quodam sit ineptum, et nullum tam vulgare est, quod non in contextu quodam sit aptum.

SECT. VII.

In primis debes vocabula recte intelligere, si vis delectum habere.

In primis opus est vocabula recte intelligere h. e. scire, quae notiones iis vere a priscis subiectae fuerint: quia sine hac cognitione delectum habere non potes. Subiiciamus nonnulla vocabula, quae non satis recte interdum intelliguntur:

Am-

Ambitio, non est *superbia*, sed *studium honoris*, *Ehrliebe, Ehrgeiz, Eitelkeit.*

Anima est non *Seele*, sed *spiritus*, *Athem:* v. c. *anima ei foetet:* hinc *vita.*

Adparere non est *videri*, *scheinen*, sed *cerni*, *manifestum esse.* Male ergo dicitur *malum adpareus*, *Scheinübel* pro *opinato.*

Arma sunt, quibus corpus tegebant prisci, v. c. *galea*, etc. in primis *clypeus:* at *tela*, quibus hostem petimus, v. c. gladius, hasta, bombardae cet.

Avarus non est *parcens nimis pecuniae;* hic *tenax* dicitur, sed *pecuniae nimis cupidus*, *habsüchtig*, quasi *avidus aeris.* Saepe is, qui pecuniam maxime profundit, est *avarissimus.*

Auctoritas dicitur de rebus multum valentibus, v. c. de *imperio*, *exemplo* cet. saepius est nostrum *Vorstellung*, si a viro prudente proficiscitur.

Calamitas non est *malum* simpliciter, sed cum *damno graviori coniunctum*, vel *ipsum damnum.*

Calumnia non est, *quando quis in conventibus hominum alterius dignitatem minuere studet*, *Verläumdung:* sed *falsa accusatio* v. c. *ap. iudices:* exprimitque francogall. *Chicane.*

Clemens non est, *qui aliis beneficia tribuit*, sed *qui facile ignoscit.*

Conari est *tentare*, *unternehmen*, *wagen*, *wollen:* interdum *sich unterstehen.*

Consilium non modo est id, *quod suadetur*, *Rath*, sed etiam *decretum*, *Entschluß;* ac *factum ipsum:* saepe et *prudentia*, quae sciat sibi facile consilium dare.

Convincere, *überzeugen*, tantum malo sensu dicitur: *peccantes* et *peccata convincuntur. Convincere* est docere, rem aliter se habere quam aliquis dixit. Sed *überzeugen*, bono sensu, i. e. *facere*, *ut aliquis aliquid credat*, est *persuadere*, v. c. *persuasum mihi est de dei iustitia* cet.

Crimen non est *das Laster*, *Verbrechen* per se (nisi ap. poetas) sed *quidquid alicui obiicis*, *Vorwurf*, *vorgeworfenes Verbrechen:* hinc *crimina diluere.*

Destituere est *deserere.* Ergo *destitui* est *deseri.*

Dignitas est *existimatio hominum bona*, *Reputation*, *Ehre*, *Ansehn bey der Welt.*

Diligens non est *fleißig* h. e. qui multa agit, sed *qui adcurate ac suo quaeque ordine tractat*, *ad singula vel minima adtendit*, *si quid prosint* cet. *genau*, *vorsichtig*, *ordentlich*, *sorgfältig.* Est ergo *diligentia Genauigkeit*, *Pünktlichkeit*, *Behutsam-*

hutſamkeit, *Sorgfalt*, non *Fleiß*. A *diligentia* et *induſtria* (Fleiſs) differunt quodam modo *ſtudium*, *labor*, *adſiduitas*, *opera*. *Studium eſt impetus animi*, *der innerliche Trieb*: *adſiduitas* eſt *diuturna induſtria*: *labor* eſt *induſtria magna* et *moleſta*: *Opera* eſt *induſtria*, *corporis viribus utens*: ac cernitur, v. c. *in eundo*, *loquendo*, *ſcribendo* cet.

Divertere non eſt *einkehren*, ſed *in diverſas partes ire*, *aus einander gehen*: dicitur ergo de pluribus; e *di* i. e. *in diverſas partes*, et *vertere* ſcil. *ſe*. At *devertere* eſt *einkehren*: proprie *de via* (ſe) *vertere* ſcil. ut eas in locum hoſpitii. Ergo *deverſorium*, non *diverſorium*, eſt *locus hoſpitii*.

Exſiſtere eſt *oriri*: vix per *eſſe* explicare cogare. In locis, ubi *exſiſtere* pro *eſſe* videtur poſitum, rectius per *adparere*, *ſe oſtendere* explicatur.

Fas eſt, *quod legibus divinis*, *ſive ſcriptis ſeu innatis conſentaneum eſt*: *Ius*, quod *humanis*. Hinc intell. *nefas* i. e. *Sünde*.

Fides eſt non modo *Treue*, ſed et *Ehrlichkeit*; omninoque cernitur in eo, ſi quis ita agit, ut acturum eſſe confidebamus, vel quia iuravit, vel quia promiſit, vel quia per ſe h. e. ob humanitatis legem credebamus. *Contra fidem* igitur *egiſſe* dicitur, qui id non egit, quod acturum ſe promiſerat, iuraveratve: it. qui v. c. amicum in domo ſua occidit: quia tale quid amicus ab amico non exſpectabat. Saepius vertere licet *Zutrauen*, vel *Zutraulichkeit*.

Flagitium eſt omne peccatum turpe; proprie eſt *Schande*.

Forte eſt ſemper i. q. *caſu*, a nom. *fors* i. e. *caſus*.

Gloria Romanis eſt *fama multas terras pervagata et illuſtris*, nec reſpondet ſemper noſtro *Ruhm*, quod ſaepe de parvis rebus dicitur, ubi *laus* dici debet: v. c. *ſeinem Amte mit Ruhm vorſtehn*; *ein rühmlicher Fleiß* cet.

Hactenus raro eſt ad *hoc uſque tempus*, ſed intell. *parte*, eſtque fere 1) i. q. *eatenus*, *in ſo fern*, *mit der Einſchränkung*: 2) in ſcribendo utimur, ſi rem copioſe perſequi nolumus; v. c. *Haec hactenus*, *ſo viel hiervon*, *ſo weit*.

Honoratus non eſt noſtrum *geehrt* (in titulis) h. e. *honore dignus*, ſed *qui honore fruitur* vel *qui honoribus functus eſt*.

Hoſtis non eſt is, qui *nos odit*, (ein Feind:) hic dicitur *inimicus*: ſed *qui bellum inferre conatur*, *qui nos oppugnat* cet.

Imo ſaepius corrigit: exprimitque noſtrum *ja* correctivum: it. noſtrum *vielmehr*, *umgekehrt*, Francog. *au contraire*.

In-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0068
DFG

Ineptus non est ubique nostrum *ungeschickt:* sed *quidquid tempore et loco alieno fit:* ac de homine, *qui alieno loco ac tempore aliquid agit;* estque nostrum *ungereimt, abgeschmackt, nicht passend.*

Infans est, *qui nondum fari potest.*

Integrum est omne, *quod in pristino statu mansit, quod nondum inceptum, laesumve est* cet. v. c. *causa (Process)* est *integra*, quae nondum in foro initium cepit: *milites integri* sunt vel *non vulnerati* vel *non defatigati*, prout vel *vulneratis* vel *fessis* opponuntur. Hinc *homo integer, ein rechtschaffener, ehrlicher Mann* h. e. nondum vitiis corruptus.

Invidia non solum est *Neid*, sed etiam *Haß, Blame.*

Laqueus non est *omnis funis*, sed quatenus nodus inest, ad capiendum, suffocandum cet. Est nostrum *Fallstrick, Schlinge.*

Levis differt a *facili. Facile* est, *quidquid sine magno labore effici potest: leve* est i. q. *nullius ponderis, vanum, inconstans.*

Liberi Kinder non simpliciter, sed cum relatione ad suos parentes: v. c. recte dico: *hic sunt liberi mei* cet. At non: *hic sunt liberi, hier sind Kinder.*

Libertus et *libertinus* idem notant: sed *libertus* vocatur in *relatione ad patronum* suum: *libertinus* in *relatione ad ordinem* suum h. e. quatenus non est servus. v. c. Tiro erat *libertinus* per se, et *libertus Ciceronis.*

Magistratus non est *senatus*, sed *honores* s. *munus honorificum;* v. c. consulatus erat *magistratus:* it. *praetura.* It. de uno homine illud munus gerente dicitur.

Magnus, de homine, non indicat eius *staturam*, sed animum et virtutes.

Momentum non est *pretium*, vel *omnis gravitas, Wichtigkeit:* nec recte dicitur *res magni momenti* pro *magna* in genere, sed quatenus confert aliquid ad aliquid efficiendum: Est ergo *der Ausschlag.* v. c. in pugna ventus adversus interdum affert momentum s. est res magni momenti, h. e. *gibt dem Treffen oder dem Siege den Ausschlag.*

Necesse dicitur, *quidquid aliter esse mutarive nequit*, v. c. *Necesse est moriamur, edamus* cet. *Oportet* dicitur de eo, quod *ob conditionem, ob commodum fieri debet*, v. c. *oportet discamus:* scil. ut docti fiamus cet. *Debeo* de *officio.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0069
DFG

Omnino non est particula adfirmandi *allerdings;* nec quaerenti: *an legisti Livium?* respondere debes: *Omnino,* sed: *legi. Omnino* significat 1) *prorsus.* 2) *in universum, überhaupt.* 3) explicari potest per *allerdings,* si hoc *allerdings* est i. q. *überhaupt,* vel *gänzlich.*

Opes non solae sunt *divitiae,* sed omnia, quae magno adiumento esse possunt; v. c. *amici potentes, classes, divitiae* cet. Parum differt a *potentia.*

Opinio est *sententia incerta, Vermuthung: opinari, vermuthen.*

Oratio non tantum est oratoris, de suggestu dicentis, sed omnino significat *verba,* quae quis dicit aut scribit: Hinc saepe verti potest, *das Reden, die Worte,* v. c. *ex tua oratione colligo, aus deinem Reden, aus deinen Worten* cet.

Parum non est nostrum *ein wenig,* quod de mediocritate, qua contenti interdum sumus, usurpamus, v. c. *dis hat mir doch ein wenig geholfen,* ubi male *parum* dicas: sed est nostrum *wenig,* quod fere est i. q. *nihil;* v. c. *parum prodest, nützt wenig oder nichts.*

Petulantia non est solum *lascivia (Muthwillen)* puerorum, qua per lusum aliquid agunt, quod severis hominibus displicet; sed saepissime longe plus indicat, cerniturque in eo, si quis aliis insultare damnumque inferre, homines verberare gaudet: est nostrum *Schadenfreude:* et *petulans, schadenfroh.*

Pietas non est ubique *Gottesfurcht,* nisi contextus docet, vel *erga deum* cet. additur. Est enim quoque *amor erga parentes, liberos* et omnes, quibuscum vel naturae vel beneficiorum vinculo coniuncti sumus. Saepius exprimit nostrum *Zärtlichkeit, zärtliche Liebe, schuldige Liebe* cet.

Potestas differt saepe a *potentia. Potestas* est *regum* et *magistratuum,* qua possunt nocentes punire. *Potentia* cernitur in divitiis, amicis magnis, omnibusque, quibus multa efficere possumus.

Probabilis est, qui *probatur* h. e. *placet.*

Publicus non fere est *manifestus, öffentlich,* sed *ad rempublicam totam pertinens. Sumtus publicus* est, quem suppeditat tota civitas, vel, huius nomine, senatus. *Literae publicae* i. e. epistola ad senatum vel a senatu scripta: *aedificia publica* sunt *toti civitati communia.* Sic *publice* i. e. *nomine civitatis* cet.

Quidem non tantum est *zwar,* sed etiam *wenigstens.*

Reme-

Remedium est tantum *id, quo utimur ad malum quoddam avertendum*, v. c. *morbi*: nunquam vero est *res* (*Mittel*) *ad aliquid consequendum pertinens.*

Salus non tantum est *sanitas*, sed etiam *vita* vel potius *securitas vitae* h. e. cum homo non habet, quod de vita sua timeat. Romani et usurpant de *vita civili* h. e. *iure civitatis, honoribus* aliisque commodis, quibus cives romani fruebantur: quae quia is, qui in exsilium abit, amittit, hinc *exsul* dicitur *salutem amisisse*, ac, si in patriam revocatur, *salutem recuperare*. Saepius vertitur *Heil, Rettung, Sicherheit.*

Scilicet non tantum dicitur apud priscos in explicanda re, ut nostrum *nämlich*; sed saepius quoque respondet τῷ *freylich.*

Seducere non fere est *decipere*, sed *seorsum ducere* h. e. *in locum secretum.*

Si de *conditione*, non fere de *tempore* debet usurpari, v. c. male dicas: *gaudeo, si te video*, pro *cum.*

Stultus est, *qui citra praemeditationem agit*, *einfältig, Thor* cet.

Tunica est *vestis interior*, *Weste*, *Camisol.*

Verba facere non est simpliciter *loqui*, non fere de paucis verbis dici potest. Vsurpatur fere nonnisi de pluribus verbis; v. c. de *oratione solenni*, de *relatione consulis ad senatum*, de *formula dedicationis recitanda.* Triplex hic usus reperitur apud Ciceronem.

Versari non est *esse*, simpliciter, sed *morari in loco.* Exprimit nostrum *sich befinden.*

Vulgus non est solum *plebs*, sed etiam saepe *homines in universum*, nostrum *das Publicum.* Hinc *vulgo dicitur* i. e. *a vulgo, durchgehends, insgemein: vulgare rem* i. e. *cum vulgo communicare: res vulgaris* i. e. *omnibus nota* vel *communis.*

SECT. VIII.

Vnde discenda vera vocabulorum notio?

Sed unde hae verae vocabulorum notiones discendae sunt? Hoc omnium optime fit e *contextus cognitione*, atque ita frequenti et adcurata priscorum lectione. At haec est res difficilis et multorum annorum. Hinc utile est, praeter magistri fidelis praecepta, libros con-

sulere, ubi istae notiones recte explicatae sunt; quo pertinent a) *Lexica bona.* Sed haec sunt rara, ac praeter *Lexicon Fabri* a Gesnero locupletatum et *Gesneri thesaurum Stephanianum* it. *Lexicon Forcellini*, vix novi Lexicon, cui confidere tuto possis. Et nec illa carent mendis. Ego propterea edidi Lexicon maius 1783 (edito ante minori), quod postea auctius et emendatius prodiit, in quo superiores Lexicographos vincere studui. b) *Indices* priscorum a philologis editi, v. c. *Bosianus* Nepotis, *Freinshemianus* Flori, in primis *Ernestianus* Ciceronis: c) *Notae* in scriptores priscos a philologis editae, v. c. a *Gronoviis*, *Graevio*, *Burmanno*, *Dukero*, *Drakenborchio*, *Oudendorpio*, *Ruhnkenio*, *Ernestio*, *Heynio* cet. quo pertinent quoque *Gesneri chrestomathiae* et *Ciceroniana* et *Pliniana.* Hi libri saepe consulendi: quanquam et hic cautio adhibenda, quia eruditi interdum vim vocabuli aliquam tradunt, quae illi vel plane non, vel non tuto tribui potest. V. c. 1) *atque* pro *statim* non usurpaverim, licet Gronov. ad Liv. et Ernesti in Clave, aliique hanc vim tradant: 2) nec *aliquanto* pro *longe*, ut in illa Clave traditur. *Aliquanto* semper est medium inter *paulo* et *longe*, estque nostrum *um ein ziemliches*, v. c. *aliquanto plus*, *um ein ziemliches mehr.* Locus Ciceronis in Clave adlatus per figuram, quae litotes dicitur, explicandus: sicut nos quoque loquimur. 3) *Aetas* in illa Clave explicatur per *adolescentiam:* non opus. 4) *humare* ibid. explicatur per *cremare;* male: *humare* semper est *humo tegere:* Nec Cicero Legg. II, 22. pro *cremare* usurpat: sed dicit tantum, omnem *sepultum* (sic Cicero loquitur) h. e. *crematum* posse vocari *humatum*, scil. quod ad ossa adtinet. Recte: nam qui cremabantur, deinde ex parte, h. e. quod ad ossa adtinet, humabantur. Recte ergo *crematus* per metonym. (conseq. pro antec.) dici poterat quodam modo *humatus* i. e. *humo tectus.* At propterea *humare* non est *cremare.*

In

In Nepote vero Eum. extr. ubi *humaverunt* pro *cremaverunt* esse putant, legendum est *cremaverunt*. 5) nec *denique* ubique usurpaverim pro *ut paucis dicam*, licet Graev. ad Cicer. ita explicet. Quis adlocutionem suam ad aliquem brevitatis studio ita incipiat: *denique veniam* pro *ut paucis dicam, veniam.* Quis hoc intelligat?

SECT. IX.

In primis discenda est prima et propria vis vocabulorum.

Egregium adiumentum praestat investigatio *primae* vocabulorum notionis. Quam ubi tenes, ceterae facile, ut rivi e fonte, fluunt, certiusque discuntur. Sed *prima notio*, quam et *propriam* vocant, non hic subtiliter sumitur pro ea, quae ab origine linguae certo prima fuit: nam hanc in plerisque vocabulis periisse credibile est ei, qui novit, quantas mutationes omnes linguae, quoad vivae sunt, praesertim arte typographica non adiutae, subire cogantur: id quod ex vernacula patet, ubi multa vocabula primam propriamque vim amiserunt, v. c. *schlecht*, quod olim *planum* notabat, hodie per contemtum dicitur, v. c. *ein schlechter Mensch, schlecht Latein: Schalk*, olim *servus*, hodie est *convicii* nomen: contra *Scherge* olim honeste dicebatur, v. c. in libris sacris: *er wird in Ehren sitzen wie ein Scherge.* Per *primam* igitur verbi significationem intelligimus hic eam, quae inter notas significationes prima est vel esse videtur, quia ceterae ex ea derivari facilius possunt. Nec tam certo prima est, ut non aliquando alia pro prima haberi possit. Nam ex qua notione ceterae omnium facillime derivari possunt, ea maxime digna est *primae* nomine. Ceterum nos hic saepe tantum verisimilitudine contentos esse debere, sponte patet. Subiiciamus hic nonnullorum vocabulorum primam notionem, quae quidem nobis nota est vel esse videtur:

Adfligo, ex *ad* et *fligo* i. e. *percutio*, est proprie *percutere rem ad aliquid*, v. c. ad terram: hinc *deprimere, evertere*: v. c. *animus adflictus* est *tam timefactus, ut colligi erigique vix possit, niedergeschlagen: opes adflictae* i. e. *valde depressae et debilitatae.*

Ambitio est 1) propr. *circuitio* praesertim illa Romanorum ad petendos honores: ex *amb* i. e. *circa*. Omnis, qui honores cupiebat, praesens petere, in eamque rem circum eos, qui suffragia laturi erant, ire eosque rogare cogebatur. Hinc per meton. consec. pro antec. 2) *petitio honorum* ipsa. 3) *studium honoris aliisque placendi, Ehrliebe, Ehrgeiz, Eitelkeit.*

Ango (gr. ἄγχω, theod. *enge, Angst*) est propr. *angustum reddere, constringere*, in primis *fauces.*

Anima propr. est aër; hinc *spiritus, der Athem*: hinc metonym. *vita.*

Calamitas, a *Calamo, Halm*, est propr. *eversio frugum grandinis et tempestatis iniuria, Wetterschaden am Getreide*: hinc 2) *omnis gravis iactura*, v. c. rei familiaris, honorum cet. Verti et potest *Unglück*, si *iactura gravis* simul intelligitur.

Callidus, a *callo*, est propr. *cuius manus callum duxere s. diutina rei tractatione durae factae sunt*: hinc 1) *valde expertus*, quia, qui diu rem tractavit, experientia carere nequit: sic *imperator callidus* i. e. *magnae experientiae*: 2) *astutus, prudens (vorsichtig).*

Cogo e *co* et *ago*, est propr. *congrego*, sive vi, seu sine vi: hinc est *vi impellere, zwingen*: hinc *cogere pecuniam, eintreiben, einnehmen.*

Crudus est propr. *cruoris adhuc plenus, nondum coctus.*

Debilis, propr. *mancus, cui pars sui deest*: hinc *infirmus, nervis carens.*

Dignitas propr. id, *quod nos reddit dignos* v. c. honoribus: *Würdigkeit*: hinc *merita*, it. *bona opinio hominum de nobis.*

Diluo, e *lavo*, propr. *liquorem adfusa aqua reddo tenuiorem*, v. c. *diluere vinum, atramentum, dünner machen, wässern*: hinc infirmiorem reddere, debilitare, v. c. molestias, crimina.

Egregius, propr. *e grege separatus*, vel *segregari dignus*, v. c. *hostia egregia*, in qua nihil vitii inesse debebat: hinc 2) *praestans.* Sic et *eximius* propr. *exemtus e pluribus*, vel dignus qui eximatur e pluribus.

Fri-

Frigere propr. *frigus physicum pati:* hinc meton. *parum* vel *nihil agere*, vel *agere posse*, *otiosum esse;* quia frigus impedit laborem; et otium facit, ut frigus sentiamus magis, ut contra *calere, fervere* de *labore*. In Clav. Ernest. explicatur etiam *non placere, contemni*. Non forsan opus: nec sequitur ex frigore.

Gratia propr. *Annehmlichkeit*, hinc *Dank:* quia *habere gratiam, agere gratias* pro re indicat, rem nobis esse gratam.

Humanitas est propr. *sensus humanus* s. *sensus cuique homini innatus, menschliche Empfindung*, quo ducti et nos tuemur et aliis gratificamur, opem ferimus cet. Hinc 2) *amor erga homines in universum et studium iis operam navandi; Menschlichkeit, Menschenliebe, menschliche Gesinnung, Leutseligkeit, Höflichkeit, Gefälligkeit, Artigkeit, Manierlichkeit*. Hinc *studia humanitatis* sunt *studia*, quae *humanitatem (die menschliche Empfindung) adiuvant*, et ea sunt *poesis* in primisque *philosophia*. Hae duae res emolliunt mores. Nonnullis *humanitas* est *humana natura*. Male: Cicero enim distinguit *humanitatem* ab *humana natura* Rosc. Am. 22. *Magna est vis humanitatis: — reclamitat ipsa natura;* cf. Cic. Or. I, 12. ubi Orator dicitur debere *omnem vim humanitatis tenere* h. e. *sensus humani*.

Infans propr. *qui fari nescit:* hinc *indisertus omnis*.

Levis propr. *omni pondere carens;* v. c. pluma: hinc *inconstans* cet.

Locuples propr. *dives:* hinc *fide dignus;* nam divitibus, pro aliquo spondentibus, fides habetur.

Micare propr. *se celeriter movere:* hinc de *luce trepidante, schimmern*.

Momentum propr. *id, quod facit, ut lanx descendat:* hinc omne, quod in re dubia facit, ut ea decernatur vel fiat.

Morosus vel a *mora* duci potest, ut fit propr. *qui valde moratur* in *re*, v. c. ad eam adcuratius inspiciendam: hinc, qui rem valde vel interdum nimis adcurate examinat: vel potius a *more* i. e. *Eigensinn*, hinc *eigensinnig;* vide Lexicon meum maius.

Nobilis propr. *notus:* hinc, *cuius pater vel maiores gessere summos honores in republica*. Talium nomina notiora esse solent, quam plebeiorum, quia homines magis de principibus loqui gaudent quam de plebe.

Offendere propr. *adlidere* per imprudentiam, v. c. ad lapidem, hominem: hinc 1) *peccare imprudentem:* et, quia adlidenti ad rem adcidit, ut eam reperiat, hinc 2) *reperire* casu, *antreffen.* Quia vero v. c. ad saxum adlidens incommodum patitur, hinc 3) *rem infeliciter gerere:* et, quia ad hominem adlidendo huius iram excitare possumus, hinc 4) *animum hominis iratum reddere, beleidigen.*

Persona propr. *facies histrionis ficta, Maske,* quae varia erat, prout ille senem, adolescentem cet. agebat: hinc 2) de *hominibus,* quatenus eorum honores, animi rationem cet. spectamus, *der Character.*

Probum propr. *verum,* s. *tale, quale esse dicitur,* vel *esse debet, gut, echt,* v. c. *aurum probum, echt Gold:* hinc de hominibus, si tales sunt, quales se iactant, *rechtschaffen, redlich.*

Rationem habere rei propr. *computare, in computando non praeterire:* quod quia rei curam indicat, hinc in universum *non praetermittere, non negligere; curare, Rücksicht haben.*

Scrupulus, a *scrupo,* est *lapillus acutus:* qui quia, si in calceum se insinuavit, pedem angit: hinc ad animum translatus, 2) *dubitatio animum angens.*

Spectare, frequent. a *specio* i. e. *video,* est propr. *rem intueri,* quod quia facimus in re examinanda, hinc *examinare, explorare.*

Sublevare propr. *erigere aliquem humi iacentem:* hinc *opem ferre misero.*

Subsidia, a *subsideo,* propr. sunt *triarii* h. e. ea pars peditum romanorum, quae, dum priores pugnabant, ab horum tergo *subsidebat,* ne ab hoste conspiceretur, ac, cedentibus illis, in aciem procedebat: hinc *subsidia, subsidium* de omni *ope, quam alicui, indigenti illa, ferimus.*

Tollo, 1) propr. *sursum moveo, hebe in die Höhe;* hinc 2) *removeo;* per meton., quia removenda sursum antea moventur: et hinc 3) *occido:* quia occisi *sublati* sunt e conspectu hominum. *Tollere laudibus, durch Lob erheben,* pertinet ad vim primam: quia, si quis valde laudatur, sermones laudem eius celebrantes in auras surgunt.

Tueri propr. *inspicere.* At rem saepe inspicimus, ut, quid ei desit, videamus, quo ipsam adiuvare et curare possimus: hinc 2) *curam gerere:* sic et nostri: *er sieht gar*

gar nicht nach seinen Kindern i. e. *non curat: hinc* 3) *defendere*, quae vel species vel effectus curae est.

Versare, frequent. a *verto*, propr. *saepe vertere, oft herum drehen*, v. c. carnem assandam: hinc de Verre omnium, quae pulchra essent, cupido, nec tamen aperte abripere conante Cic. Verr. I, 51. *versat se, quaerit, quid agat* i. e. *er drehte sich bald da, bald dort hin, machte allerhand Wendungen.* Hoc faciunt cupidi rei videndae et artificium meditantes, quo voluntati suae satis fiat: sic et *versari*, eodem sensu Cic. Verr. II, 76. 2) *versari*, quia est propr. *sich herum drehen*, quae actio aliquid temporis postulat, non simpliciter pro *esse* dici potest, sed est *per aliquod tempus in loco esse*, s. *morari, sich wo befinden:* hinc *versari in re* v. c. *literarum studiis* pro *occupari.*

SECT. X.

De fontibus primae s. propriae notionis.

Praecipui fontes sunt hi duo: 1) *Comparatio omnium unius vocabuli notionum inter se*, ut, quae mater, quae filia sit, perspicias. E quacunque ceterae facilius fluunt, ea est mater, ea est prima significatio. V. c. varias notiones verbi *offendo* contemplans video a notione *adlidendi* ceteras sponte sequi; qui *adlidit*, is *reperit*, is *iram alicuius movet*, is *infeliciter rem gerit*, et vero etiam *peccat:* hinc *adlidere* est prima vis. Si ex harum una ceterae melius deduci possent, haec tunc foret prima. Sic *tollo* proprie *sursum moveo* cet. Deinde verisimile est, priscos prius de rebus corporeis, quam de iis, quae mente intelliguntur, cogitasse. Hinc *persona* primum *Maske*, deinde *Character; scrupulus* primum *lapillus*, deinde *dubitatio angens.* 2) *etymologia.* Haec ostendit verborum originem; quam si novi, ad vocabuli inde ducti vim facile est concludere. Sed origo vocabulorum est multiplex: hinc res difficilis. Potest vocabulum e latina, graeca aliave lingua ductum, vel ex historia, antiquo ritu, mytho-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0077
DFG

logia in uſum vulgarem receptum eſſe. En ſpecimina:

1) E *latina lingua*: quanquam forſan prima origo in alia lingua latere poteſt, v. c.

Acclivis (*adclivis*), a *clivo*, ergo *ad clivum verſus*: ſic *declivis* eſt *de clivo*.

Ambitio ab *ambeo* h. e. *circumeo*, ex *amb*, Gr. ἀμφὶ i. e. *circum*.

Armenta videtur eſſe contr. pro *aramenta*, ab *arare*: quia propr. intell. *boves*, quibus priſci arabant, non equis. Hinc *optat ephippia bos piger*, *optat* cet. de iis, qui cupiunt id, quod ipſis non convenit.

Avarus ex *aveo* et *aes*: quaſi *aviaus aeris*.

Calamitas a *frugum calamo*, qui grandine frangitur.

Callidus a *callo* h. e. duriori cute.

Caveo forſan a *cavus*, ut ſit propr. *occulto me*. In ſpecubus occultabant ſe primis temporibus.

Cogo e *co* et *ago*, *ich treibe*: ergo *zuſammentreiben*, *congrego*.

Crudus pro *cruidus* a *cruore*, i. e. *plenus cruoris*. Terminatio *idus* notat *copiam*, v. c. *herbidus*.

Damnare eſt propr. *damno adficere*, a *damno* i. e. *iactura*: ſic Plaut. Trin. IV, 1, 10. *damnare divites*: et *poenae* primis temporibus nil aliud erant quam *damna* quaedam, v. c. pecoris cet. quae inferebant iudices nocenti: ac deinde *damnum pecuniae*, *capitis*. Ac forſan *damnum* eſt a *dare*. Certe, qui ſummam pecuniae *dare* cogitur, is *damnum* patitur.

Debilis forſan ab *habilis* pro *dehabilis* i. e. *non habilis*: hinc *mancus*, *parte ſui carens*: talis enim eſt aperte *non habilis*.

Dignitas a *dignus*. Ergo *die Würdigkeit*.

Diligens a *di* et *lego* i. e. propr. *e variis rebus eligo id, quod maxime convenit*: hoc eſt ſignum hominis adcurati: hinc *diligens* eſt *adcuratus*, *adtentus ad ſingula*. Sed et hinc patet, cur *diligere* ſit quoque *magni aeſtimare*; nam e multis hominibus aliquem eligens, quo utatur, indicat, ſe illum magni facere.

Diluo e *di* et *lavo*, quaſi *zerwaſchen*, propr. *liquorem reddere tenuiorem*.

Egregius ab *e* et *grex*: ergo propr. *e grege lectus* vel *legendus*.

Ex-

Examen ab *exactum*, supino verbi *exigo*. Sed *exigere* duo notat, 1) *abigere:* hinc *examen* est *abactio fetus*, de apibus, *Bienenschwarm:* 2) *perpendere, explorare:* hinc *examen* est *spectatio, diligens exploratio.*

Exemplum videtur esse ab *exemtum*, supino verbi *eximo*, pro *exemtulum* s. *exemptulum*, per contract.: scripsere enim et *emtus* et *emptus*. Ergo proprie est, *quidquid e pluribus rebus eximitur (heraus genommen wird)*, ut aliis proponatur vel ad imitandum vel ad fugiendum; v. c. res aliqua gesta, fabula cet.

Eximius ab *ex* et *emo* i. e. *heraus nehmen, e pluribus sumo, eligo*. Nam *emo* et nostrum *nehmen* sibi respondent, alterum ex altero ductum est, τῷ *n* vel abiecto vel addito. Hinc est *kaufen:* sic nobis *nehmen* pro *kaufen*, v. c. *Wo nehmen Sie ihre Waaren?* cet. Ergo *emo* propr. *sumo* in universum, deinde *sumo pro certo pretio* i. e. *kaufen*. Ex hac *sumendi* notione est *adimo, demo* pro *deemo* s. *deimo;* et *eximo* h. e. *e pluribus lego:* ergo *eximius* est *e pluribus* exemtus et *lectus* vel eximi et *legi dignus*.

Fabula a *fari:* ergo *quidquid homines dicunt, narrant*, sive verum sive falsum: hinc *narratio:* et hinc *tragoedia* vel *comoedia*.

Faustus forsan a *fautum:* ut propr. sit is, cui *favent* vel homines, vel dii, vel venti cet.

Gens contr. pro *genus (a geno, gigno)* propr. ut *genus* notat *ex eodem homine genitos*, uno nomine *familiam:* ex hac *familia* latius dispersa factus est *populus:* hinc pro *populo* dicitur. Aeque se res habet cum vocabulo *nationis*.

Infans ab *in* et *fari:* ergo *fari nescius*.

Ingenium a *geno* s. *gigno:* ergo *quidquid ingenitum* s. *innatum est, ratio ingenita* s. *natura*.

Intra pro *intera* scil. *parte:* ab antiquo *interus*, unde *interior;* sic *extra* pro *extera* sc. parte: sic *dextra* pro *dextera* cet.

Lautus a *lautum:* ergo *gewaschen*, hinc *reinlich, prächtig*.

Locuples forsan a *locus* et *pleo:* ergo, qui *locum* vel *loca implet* h. e. *agrum, agros possidet*.

Morosus vel a *more, Eigensinn*, ergo *eigensinnig, mürrisch* vel a *mora:* ergo, *qui diu in re moratur:* nam *osus* copiam, interdum nimiam, notat: v. c. *vinosus:* haec terminatio est graeca ὠδης contract. idem notans. Prior derivatio (a *more*) praeplacet, vid. sect. IX.

Multa

Mulcta a mulgeo, plebeio sermone, ut *emungo*, pro *privo*: ergo propr. *damnum*. V. paulo ante *Damnare*.

Nobilis, quasi *noscibilis*, a *nosco*.

Paulus, *a*, *um*, e *pauculus* contractum.

Petulans a *peto* i. e. *adgredior*: hinc, *qui alios adgreditur*. Forsan est participium verbi obsoleti *petulo*, frequent. a *peto*, ut sit, *qui crebro homines adgreditur*.

Praetor contr. pro *praeitor* a *praeire*: hinc *dux belli*: quia hic praeire et milites ducere solet. Sic *praeesse* propr. est *primum esse*: sic *praecedere*: sic *praesidere*, *praestare* est *ante alios* h. e. *primo loco sedere*, *stare*.

Publicus a *populo*, contr. e *populicus*: *b* et *p* pronuntiatione confundi vid. supra, v. c. *scribsi* et *scripsi*: hinc *Publicola* pro *Populicola*: ergo *publicae res* sunt *res populi totius* i. e. *incolarum urbis*, qui saepe dicuntur *populus*.

Semis est contractum e *semias* i. e. *dimidius as*: Et *as* propr. est *unum*: ergo *pars dimidia unius rei*. Nisi forsan est e gr. ἥμισυ ortum.

Sinister forsan est a *sinu* togae, qui fiebat in parte laeva.

Stultus est forsan contractum e *stolidus*.

Superstitiosus a *superstes*: et *osus* indicat *copiam*, eamque fere *nimiam*: est ergo forsan, qui aliis supereſſe atque ita diu vivere cupit: vitae cupidi omnia timent, v. c. somnia, omina cet. hinc *abergläubig*. Ciceroni Nat. D. II, 28. est, qui totos dies deos precatur et immolat, ut sibi sui liberi sint *superstites*. Ciceronis auctoritas in etymologia non magna est: sic idem Orat. 47. ait, *ignotus*, *ignavus*, *ignarus* esse pro *innotus*, *innavus*, *innarus*, ob euphoniam: male: cur non etiam *ignumerus* cet.? Imo *gnotus*, *gnavus*, *gnarus* sunt ipsa vocabula: *gnotus* et *gnarus* sunt e γνωσκω, et γνωρίζω: ergo *ignotus* est potius pro *ingnotus* cet.

Uncia est contract. ex *unicia* sc. *pars*. *Unicius*, *a*, *um*, fuit adiect. ab *unicus*: ergo *uncia* propr. est *pars unica assis*, atque ita *duodecima*. Sufficiant haec. Addam adhuc coniecturam de *lex*, et *religio*. *Lex* propr. videtur esse *via*, ex hebr. *halach*, *lech*: hinc *actio*, ut *via* apud Hebraeos, et tandem *actio praescripta* s. *praescriptum*, *Gesetz*. *Lego* propr. videtur notasse *eo*: hinc *legare* i. e. *facere ut eas*, s. *mittere*: hinc *legio* i. e. milites, *qui eunt* adversus hostem: hinc *intelligo* i. e. *eo* ac *penetro in*

sensum

sensum verborum: hinc *legere aliquem pugno* ap. Plautum, i. e. *invadere:* et *legere oculis* Virg. Aen. VI, 34. *mit den Augen durchgehen:* hinc *negligo* i. e. *ne eo quidem ad rem,* ut nos: *ich stehe deswegen nicht einmal auf* i. e. *contemno, non curo:* hinc *legere lesen, perlegere durchlesen,* ut nos *ein Buch durchgehen, durchlaufen:* ergo *relego* s. *religo* est *retro ire,* v. c. ob adspectum periculi: hinc *metuo:* ergo *religio* 1) *reditus,* v. c. ob metum, 2) *timor:* et hic est fons omnium caerimoniarum et religionis apud gentiles: hinc 3) *cultus deorum.* Hinc intelligis versum, sensu alioquin carentem, apud Gell. IV, 9. *Religentem esse oportet, religiosum nefas; religens* est, qui deos timet; *religiosus,* qui nimis timet.

2) Multa vocabula latina originem trahunt e graeca, hebraica aliave lingua, vel e communi illa prisca, e qua graeca, hebraica et cetera natae sunt. Cum Graeca conveniunt, v. c.

Ango ἄγχω; *autem* αὖτε; *aestus* ab αἴθω *uro; basium* a βάζω *loquor,* ut sit propr. *os, osculum; crumena* γρυμαία, quod *perae* genus esse traditur in Lexicis; *donum* δᾶνος vel a δόω; *eo, ich gehe,* ἔω unde εἶμι; *extrico* a *tricis,* et hae sunt τρίχες, ut expl. Baxt. ad Hor. Sat. I, 3, 88; *furfures* videntur esse βόρβορος i. e. *coenum; gaudeo* γηθέω; *garrio* γαρύω; *madeo* μαδάω; *mors* μόρος; *num* μῶν per metathesin; *nae* ναί; *navis* ναῦς; *novus* νέος; *nervus* νεῦρον; *neo* νέω; *nuo* νεύω; *nebula* νεφέλη; *nox* νύξ; *nunc* νῦν; *ovis* ὄϊς; *scruta* γρύτη; *taeda* δαὶς a δαίω *incendo; vado* βάδω; *vita* βίοτος et innumera. Cum theodisca conveniunt, v. c. *abscheiden abscedo; anzeigen indico; bitte peto; es beliebt libet; berauben privare; Bilz* (non *Pilz*) *boletus; doppelt duplex; Esel asellus; Eimer amphora; Eber aper; einig unicus; eins unus,* εἷς, ἑνὸς, *as; falsch falsus; Faß Vas; Fackel facula; Flegel flagellum; Flocke floccus; Füllen pullus; gelb gilvus; Garten hortus; gestern hesternus; Grube scrobs* addito *s; heute hodie; Haber avena; Hanf cannabis; Haut cutis; Horn cornu; Herr herus; Hirsch cervus; jagen agere; immer semper* addito *s; Kerze Cereus; Katze catus; kalt Kälte gelidus; kurz curtus; legen locare; läppisch* forsan *lepidus* per abusum; *lauter* i. e. *rein* a *lautum, lautus; Mark* i. e. *Gränze, margo;*

mischen

mischen miſceo μίσγω; *nüchtern* forſan *nocturnus* vel *νυκτερινός*; *nützlich utilis*; *oder aut*; *Ort* i. e. *extremitas, ora*; *Pacht pactum*; *Pfund pondo*; *Pfeiler pila*, ſic *Pfoſte, Fiſch, Filz, Pforte* cet. eſt *poſtis, piſcis, pileus, porta*; *putzen putare* i. e. *mundum reddere* et *inutilia demere*, de arboribus; *Parchen* (circa hortum) *paries*, quaſi *Parjet, rauh raucus* et *ravus*; *Rahm* (lactis) *cremor*; *roh rudis*; *Ruthe rudis*; *rotten, ausrotten*, a *radix*; *ſchökern, jocari*; *Schrein* i. e. *Schrank, ſcrinium*; *ſchreibe ſcribo*; *Stiefeln tibialia*, et ſic innumera in *s, tilge deleo*; *Tiſch diſcus* ob formam: *Vieh pecus* cet.

Haec hactenus, ut de hebraica taceam. Hinc patet, quam ſimiles ſibi ſint linguae, et quam commendanda ſit comparatio omnium linguarum, quarumcunque notitiam conſequi licet, in primis in rebus, generi humano communibus, nec ad certam philoſophiae vel religionis ſectam aut ad doctrinam pertinentibus.

3) Multa vocabula ex hiſtoria priſcisque ritibus in linguam ipſam et communis vitae uſum venere. Si itaque cognitione hiſtoriae ac rituum cares, fruſtra in eruenda illorum prima notione deſudabis, nec ipſa vocabula apte uſurpabis; v. c. *Croeſus* non facile de *quovis divite* ſed de rege divite dici debet: *Cineres* et *urna* non hodie de noſtris mortuis dici poſſunt; quia hi non comburuntur, nec cineres urna conduntur: qui ergo dicit: *maneo ad cineres uſque, ad urnam uſque tuus amicus*, is ridiculus eſt h. e. mentitur. Nec *colophonem addere* dicere licet. Dubitandum igitur eſt, an *legio, cohors, laurea* de *victoria, triumphus, faſces* de *imperio, toga* de *pace, ſagum* de *bello, arma* de *bello* cet. hodie apte dicantur: quo pertinent in primis haec, quae ſaepe uſurpari vidi:

Diſcedere in alicuius ſententiam pro *adſentiri*: apud Romanos propr. *diſcedebant* ſenatores. Sic *pedibus ire in ſententiam* cet.

Puncta

Puncta omnium ferre i. e. *plauſum.* Vbi eſt nobis ille rogator, qui ad ponticulum ſtans ſuffragia colligit et puncto notat?

Pro roſtris dicere. Vbi ſunt nobis *roſtra?* ridicule dicunt nonnulli *pro roſtris ſacris dicere.*

Patres conſcripti pro *ſenatu:* male.

Cenſor vitio creatus: faſces ſubmittere; ſcriptores proletarii vel *capite cenſi*, non auſim dicere (niſi forte per iocum), quia noſtris temporibus non conveniunt, licet Heinecc. p. 163. dicat ea eſſe elegantiſſima.

In arenam deſcendere cum aliquo pro *diſputare cum aliquo velle*, vix ſine inhumanitate dici poteſt. *In arenam deſcendebant* gladiatores: quales homines? infimae ſortis, ſervi: et pugnabant ad mortem uſque, nec ad veritatem defendendam, ſed ad populi oculos paſcendos.

Quod ad *deos* adtinet, quaeritur, an dici poſſit *vario Marte* pro *fortuna belli; Vulcanus* de *igne; invita Minerva* cet. quia iſti dii ſunt *Nonentia?* Nec per *Iovem, Herculem* aliosque deos iurare licet, v. c. *hercle, pol, edepol* cet. Quaeritur, an *Minervam, Muſas, Apollinem, Gratias* ſ. *Charites, Heliconem* cet. noſtris carminibus intexere liceat. Si per iocum, recte: ſin ſerio, quaeritur, quid per *Muſas, Heliconem* cet. intelligamus? Haud dubie priſci, v. c. Homerus, Virgilius, ſi noſtra aetate viverent et Chriſtianorum ſacris uterentur, Bacchi, Cupidinis, Veneris, Muſarum cet. nominibus abſtinerent, ſeque potius ad ſua ſacra adcommodarent.

Tria adhuc ſubſidia etymologiae addam:

1) *cognitionem pronuntiationis priſcae:* v. c. quia *ci* pronuntiatum eſt *ki*, hinc video, *doctum* e *docitum* fieri potuiſſe. Quia ob celerem pronuntiationem vocalis atque adeo tota ſyllaba omiſſa eſt, v. c. *doctum, lectum, amaſti* pro *docitum, legitum, amaviſti:* hinc video, *praetor* e *praeitor* fieri potuiſſe: ſic et *uncia* pro *unicia;* nempe ex *unicus* factum eſt *unicius:* deinde *i* omiſſo, ut in *doctum*, factum *uncius;* ergo *uncia pars* eſt *pars unica Totius.* Quia ſcio per celerem

rem pronuntiationem *cis*, *gis* mutatum in *x*: hinc video, *quincunx*, *septunx* e *quinque*, *septem* et *uncia* conflatum, et *septuncem* esse *septem partes unicas* s. *uncias*, *sieben einzelne Theile*: *quincunx* est pro *quinquunx*, quia *qu* lectum ut *k*. Saepe etiam vitiosa pronuntiatione una litera in fronte vel adiecta vel omissa est, v. c. *sal* est gr. ἅλς, *sorbeo* est gr. ῥοφέω; *series* ὄρχος, *sulcus* αὖλαξ, *segnis* ὄκνος, *scrobs Grube* cet. ubi *s* praefixum est: contra in nostra additur, ubi in alia deest, v. c. *ich salbe* est gr. ἀλείφω; *Schlüssel* κλείς; *ich sorge* ὀρέω; *ich spare parco* cet. Interdum transpositae sunt literae, v. c. *τέρην tener*, *ἰατρὸς Arzt*. Dixi de hac re supra, et pluribus in libello: *Gedanken von den Eigenschaften der deutsch. Schreibart* cet.

2) *cognitionem librorum de etymologia scriptorum*: quo pertinent in primis Vossius in Etymologico et Perizonius ad Sanct. Minervam: qui adcuratiores sunt quam Varro, Cicero, item Festus aliique Grammatici. Hi enim saepe magis ludunt quam explicant.

3) *cognitionem troporum*: qui sicut me a propria vocabuli vi ad translatam ducunt, sic iidem me retro ferunt a translata ad propriam, atque ita ad verbi originem. Vt enim a causa ad effectum, ita ab effectu ad causam concludi potest. De his igitur tropis nunc separatim agetur.

SECT. XI.

De tropis universis.

Tropus est adpellatio valde indefinita, ut pleraque technica vocabula e peregrinis linguis petita. Ad verbum est *conversio* s. *commutatio*, intell. *vocabulorum* vel potius *notionum*. *Tropus* igitur est *translatio vocabuli* s. notionis *a pristina propriaque sede in alienam recte* h. e. e certis regulis *instituta*: nam non pro libidine transferre licet, et v. c. ponere *ovem* pro *lupo* vel contra. Quaenam sunt regulae istae? *Perspicuitas* maxime, deinde *suavitas* et *gravitas*. Iam quia prudentes observarunt, istam translationem quatuor tantum modis fieri posse, salva

salva perspicuitate, hinc quatuor genera fecere. Videbant pro idea, quae loco alius ideae poneretur, non posse nobis eam ideam, cui illa substituta esset, in mentem venire, ut perspicuitas quidem postulat, nisi inter utramque similitudo aut coniunctio quaedam intercederet, quia e lege phantasiae nobis, rem cogitantibus, ea tantum simul res, quae cum illa aliquid commune vel coniunctum habet, in mentem venit. Ad hanc igitur similitudinem et coniunctionem respexere, et cum tantum *tres* deberent translationis *modos* pleno iure ponere, quia tantum tres iustae causae erant, *similitudo*, *coniunctio externa* et *coniunctio interna*, tamen cum *ironiam* nulli alii aptiori generi subiici posse viderent, (quae tamen est quoque commutatio quaedam vocabulorum) hinc quatuor translationis genera fecere. Nempe 1) vocabula, quorum notiones aliquid similitudinis inter se habent ratione formae, effectus cet. inter se commutari possunt; v. c. *fons* pro *causa*, quia e fonte, ut aqua, ita effectus quidam fluit. Haec commutatio dicitur *metaphora*. 2) Vocabula nonnulla, quorum notiones *cogitatione* cohaerent, s. cogitantur tantum cohaerere, ut effectus et causa, cet. possunt, si contextus patitur, inter se commutari, v. c. *Cerere vesci* i. e. *frugibus:* haec commutatio vocatur *metonymia*. 3) Vocabula nonnulla, quorum notiones vere et physice inter se cohaerent, ut *Totum* et eius *Partes*, possunt *interdum*, h. e. si contextus concedit, commutari: v. c. *pater sepultus est* h. e. *corpus patris:* haec commutatio adpellatur *synecdoche*. 4) Vocabula, quae externa quidem specie differunt, sed eandem ideam declarant, *interdum*, h. e. si perspicuitas concedit ac suavitas vel gravitas ita crescit, commutari possunt, v. c. *indoctus homo* per iocum pro *docto:* Vocatur haec commutatio *ironia*.

In tropis haec in universum tenenda:

1) Vocabulum (i. e. notio), quod alii substituitur, debet tam notum esse, quam id, cui substituitur; alioqui perspicuitas offenditur.

2) Vocabulum, quod substituitur, debet eo, cui substituitur, venustius, saltem non invenustius esse. Alioqui commutandi nulla causa foret.

3) Causa, cur vocabulum vocabulo substitutum sit, e contextu debet intelligi, scilicet, utrum factum sit tantum variationis causa, an ob suavitatem maiorem vel gravitatem.

4) Non omnis tropus semper ornat orationem. Hic *ornatus* exsistit demum, si inest maior suavitas vel gravitas. Ergo, si vocabulo tropico uti cogimur, quia proprio caremus, v. c. *refutare, widerlegen,* vel si idea nova, quam tropus infert, non suavitatem gravitatemve adiuvat, nullus ornatus illi vocabulo tribui potest.

5) Tropica vocabula non ubique usurpanda: v. c. in idea simplici simpliciter enuntianda, in narratione cet.

6) Tropica vocabula orationi suavitatem conciliantia non debent nimis cumulari, ne taedium creent.

7) Tropica vocabula gravitatem adiuvantia non debent usurpari, nisi in re gravi.

8) Quia omnes tropi obscuritatis aliquid continent, debet, si vocabulo tropico utimur, adesse simul vocabulum, sive praedicatum sive subiectum, quod doceat, utrum tropicum vocabulum sit proprie an tropice positum, v. c. *comedere Cererem, bibere Bacchum* cet. Hic τὸ *comedere* docet, Cererem non proprie intelligi. Interdum totus contextus docere debet, v. c. *Vcalegon ardet:* nam *ardet* non declarat, *Vcalegonta* esse *domum Vcalegontis;* quia et *homo ardet* v. c. cupiditate cet. At contextus Virgilii docet, *Vcalegontis domum arsisse.*

9) Vocabula non recte tropice adhibere potes, nisi eorum vim primam intelligis.

10) In omni troporum usu valde tamen regnat usus dicendi, saepe regulas migrans. Nec igitur solis troporum regulis nitendum: nec ea, quae in una lingua tropice

pice recte h. e. usitate dicuntur, in aliis linguis propterea dicenda sunt.

En historiam troporum! Tropi primum *casu* per negligentiam ac commoditatem orti sunt. Primis temporibus singulas res vocabulis propriis h. e. non alii rei communibus, exprimebant, ita, ut, quot res, totidem vocabula essent. Res corporeas, v. c. *oculum*, *pedem*, *cibum*, *ignem* cet. primas vocabulis expressas esse certum est. Multiplicatis deinde rebus corporeis homines videntes quandam similitudinem vel coniunctionem inter rem priscam et novam intercedere, nec ob commoditatem animum ad novum nomen inveniendum intendere cupientes, nomen, priscae rei proprium, etiam rei novae tribuebant. Videntes sic tamen se ab aliis intelligi, pergebant: hinc v. c. *caput hominis* et *caput montis*, *fluvii*: *dens hominis* et *ancorae*, *pes hominis* et *montis*. Cum deinde etiam *res incorporeae* verbis exprimendae essent, sumserunt brevitatis et commoditatis studio vocabula, quibus corporeae nominabantur, quia inter utrasque similitudinem intercedere animadverterent, v. c. *aeger* de *corpore* et *animo*; *video* de *oculis* et *mente*. Haec est origo *metaphorae*. Homines, cernentes se tamen ab aliis intelligi, sic pergebant, imo in aliis quoque rebus, quae iam sua nomina haberent, interdum peregrina ponebant, idque tum temere h. e. quia proprium nomen non statim in mentem veniebat, tum variandi causa, ad taedium vitandum: donec *eruditi* h. e. poetae et oratores, ad usum dicendi semper adtenti, animadvertentes, *peregrina* s. translata ob novitatem et sensum interiorem magis delectare, quam *propria* h. e. vulgaria, illa augere, totamque rem *praeceptis includere* inque *artis* formam redigere studerent. Aeque simplex origo est ceterorum troporum. Cum homines dicere deberent v. c. *patris corpus est sepul-*

tum, carmina Homeri hic sunt, civitas Carthaginiensium bellum parat, aurea vasa tua non curo, pro iis breviter ac negligenter dicebant interdum: *pater sepultus est, hic est Homerus, Carthago bellum parat, aurum tuum non curo.* Ab aliis sic se intelligi videntes, perrexere: donec eruditi istam rem melius expolirent. Haec est origo *metonymiae* et *synecdoches*. Sic et *ironia* casu per iocum vel necessario orta. Cogebantur homines alicui interdum adsentiri, aliquid laudare vel vituperare, ubi contrarium sentiebant. Cum vidissent, cogitationes veras ab aliis intelligi, istam rationem saepius, licet per iocum maxime, adhibuerunt. Ex his adparet 1) tropos casu per negligentiam et commoditatem ortos, deinde ab eruditis magis cultos et amplificatos esse. 2) omnem tropum proprie subtilitati ac veritati repugnare h. e. tropico vocabulo ideam veram non vere exprimi, sed aliam, hincque omnem tropum, si subtiliter rem examines, vitiosum esse, quia perspicuitati repugnat: nisi usus dicendi et contextus veram notionem, cui tropica substituta est, in mentem simul venire iuberet: v. c. *homo flagrat amore* proprie non vere dictum est: homo enim non *flagrat* proprie: at ex addito *amore* colligo, per verbum *flagrandi* intelligi, amorem esse *instar ignis* s. tantum, ut non modo per totum eius corpus serpat, sed et per externam speciem, v. c. rubore vultus, se declaret. 3) non omne tropicum vocabulum *ornare* stylum, sed id tantum, quod notionem pulchriorem, suaviorem, fortiorem et contextui magis convenientem contineat: v. c. *ver aetatis* est suavius quam *adolescentia*, ergo pulchrius. 4) Verba, quae aliis substituuntur, debent nota esse lectori et auditori, v. c. *ver* omnibus notum est, non item *charybdis*. Peccant hic saepe recentiores. — Iam strictius de singulis tropis.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0088
DFG

SECT. XII.

De metaphora s. *commutatione ob idearum similitudinem.*

Metaphora est *translatio* (commutatio) idearum ob *notabilem similitudinem:* seu clarius: est *genus quoddam breviloquentiae, quo pro vocabulo, quod ideam rei exprimere proprie debebat, vocabulum, ideam similis rei continens, apte* h. e. salva perspicuitate *ponimus;* seu sic: *est genus breviloquentiae, quo pro idea ipsa eius similitudinem uno vocabulo inclusam ponimus, ita tamen, ut idea illa omissa simul e contextu intelligatur.* Ergo *vocabulum metaphoricum est* id, *quod loco ideae, quae proprie exprimi debebat, eius tantum similitudinem exprimit,* salva tamen perspicuitate h. e. ut tamen, quae idea proprie poni debuerit, manifesto simul intelligatur. Possit et *metaphora* brevius sic definiri: est *omissio particulae comparativae,* v. c. *ut, tanquam, quasi, velut* cet. Nam *metaphoram* non esse tam commutationem veram vocabulorum aut idearum, quam omissionem particularum comparativarum, omninoque tantum *breviloquentiam,* exemplis docebimus; v. c. *Intemperantia est mater mortis,* i. e. *causa mortis,* dictum est pro *est quasi mater mortis,* s. *mortem parit, ut mater infantem.* Sic *sapientia est fons bene dicendi* pro *quasi fons.* Sic *amore flagrare* pro *quasi flagrare.* Sic *sanguis Abelis clamavit ad deum* pro *tam celeriter deo innotuit quasi sanguis clamasset,* brevius: *sanguis Abelis quasi clamavit ad deum; ver aetatis* i. e. *adolescentia* pro: *pars aetatis ea, quae tam laeta est, quam ver esse solet,* s. brevius; *aetatis pars, quae quasi ver est.* Sic *coeco carpitur igne* Virg. Aen. IV, 2. i. e. *amore,* dictum est pro *carpitur tali vi coeci amoris, qualis in igne esse solet,* s. brevius: *carpitur coeco tanquam igne.* Non igitur, si subtiliter loqui vis, *ignis* pro *amore* dictus

ctus est: nam ut *amor* non est *ignis*, sic *ignis* non est *amor:* at amor potest igni *similis* esse. Sic *flamma* de *amore* Ovid. Met. VII, 77. verba sunt: *Cum* (Medea) *videt Aesoniden, exstinctaque flamma revixit, Erubuere genae totoque recanduit ore.* In verbis *flamma revixit* est duplex similitudo, ergo duplex metaphora: a) *flamma* pro *vehemens amor, qui instar flammae est,* quae corpora incendit, cutem rubram reddit cet. (hinc addit poeta: *erubuere genae)*, s. brevius: *flamma* est pro *quasi flamma:* b) *revixit* pro *quasi revixit.* At quam breviter: *flamma revixit:* et quisque videt, ad amorem respici. Sola igitur brevitas metaphoram commendat; brevitas enim animum fortius ferit. Brevitas haec cernitur in eo, quod praeter notionem rei proprie nominandae simul notio similis rei additur: non enim est vera mutatio idearum, sed complexio duarum idearum in uno vocabulo: in metaphora enim semper duae notiones simul intelligi debent. Quod si hoc tenemus, in metaphora esse non nisi brevitatem, et non nisi particulam similitudinis v. c. *quasi* cet. omissam esse, facile intelligitur, cur Rhetores praecipiant, *interdum* h. e. in duriori metaphora emolliendi causa adiici debere *velut*, *quasi*, *ut ita dicam* cet. Dicere sic poterant: Vt in omnibus metaphoricis vocabulis particula comparativa *velut*, *quasi* cet. omitti potest ac debet, si similitudo nota et usitata est, sic, ubi nota et usitata non est, adiici debet signum similitudinis, v. c. *velut*, *quasi* cet.

Notentur paucae adhuc regulae:

Prima: Similitudo illa facile debet animadverti. Sed animadvertitur facile, 1) si res ipsa, quae substituitur, satis nota est. Non ergo res, non satis notas, adhibere debemus, v. c. pro *rubedine genarum* dici potest *rosae genarum*, non vero *Alkaeus* cet. 2) Si simi-

similitudo apta et perpetua inter utramque rem intercedit: v. c. *rosa* de *genis*: *ver* de *adolescentia*: *volare* de *celeriter euntibus*: *natare* de iis, *quae se celerrime movent in liquore*; hinc *oculi natantes* de mortuis. Similitudo non apta est, si ambae res magnitudine aliisve virtutibus nimis differunt; v. c. non omnia magna, alta, acuta inter se comparari possunt: v. c. *gladius* non *cum acu*: nec *acus* cum *gladio* aut *hasta*: quis sine risu dicat: *vibravit longam acum* i. e. *hastam* aut *gladium*? sic *mons* non bene vocatur *verruca terrae*, nec contra. Quaeritur igitur, an *nix capitis* dici possit? sed usus loquendi omnia emollit; v. c. apud nos *ein Bißchen Waſſer*, *Verſtand* cet. (a *Biſſen*, *bolus*:) sic audivi dicere *nicht ein Stäubchen Waſſer*, *Verſtand* cet. Sic *caput montis*, *pes montis* non satis adcurate dicuntur, quia nulla alia similitudo cogitatur, quam haec: *caput* est *summa* pars, *pes infima*, ut hominis, ita montis. Vsus tamen dicendi omnia reddit tolerabilia.

Altera regula: Similitudo ista debet esse honesta: neque ita vocabulum, quod substituimus, obscoenam, omninoque iniucundam ideam continere debet. Sic peccavit, qui dixit, *rempublicam Africani morte castratam esse*. Peccavit contra humanitatem et suavitatem.

Tertia regula: Similitudine rei eius, quam substituimus, universa contenti simus nec ipsam ad singulas partes extendamus: v. c. dicimus quidem *caput montis*: at propterea non *nasum*, *capillos montis* cet. dicimus *pedem montis*, at non *digitos*, *ungues montis*. Recte dicitur: *navis volat*, *homo advolat*: hic similitudo *avium* universa manet: at si adderem quoque *alas* cet. ridiculus fierem: quia, ut in monte nasus, digiti pedis, sic in nave et homine alae, non reperiuntur. Peccavit hic Gracianus, qui dixit: *die Hautboiſten der Aurora fingen an Salve zu geben*, *als die*

Sohne zum Vorschein kam, und den Zapfenstreich der Sterne zu schlagen.

Quarta regula: In similitudine semel recepta pergere decet in eodem contextu. Ergo, unde v. c. subiectum sumtum est, inde quoque praedicata sumenda sunt. Pertinet hoc ad perspicuitatem et simul suavitatem: iniucundum foret, si subiectum v. c. e militia ductum esset, praedicata a piscibus cet. ducere; nonne ita auditorum lectorumve exspectatio falleretur? Hinc, si v. c. pro *amore* sumis *iguem*, non potes dicere *ignis trahit, suspendit* cet. at *ardet, incendit* cet. sic, si pro *consilio* usurpem *finem*, debent addi praedicata, propriae *finis* notioni *(Ende, Gränze)* convenientia: ergo dici potest *finis certus*, at non *pulcher* cet. Sic *vestigia* pro *signis* s. *indiciis*, non possunt dici *magna, egregia, pulchra*, sed *expressa* h. e. *perspicua*, ut, qui iis insistere velit, ea videat: sic *vestigia* non *imitamur*, sed *legimus, sequimur, iis insistimus*. Sic *gradus*, propr. *Stufe, Staffel*, si cum *honoris* coniungitur, non dici debet *gradus honoris magnus, pulcher*, sed *altus, summus:* quia in *gradibus* scalae proprie sumtis non cogitatur eorum *magnitudo, pulchritudo*, sed *altitudo:* nec possum dicere *summum honoris gradum accipere, impetrare*, sed *ascendere, pervenire ad summum gradum* cet.: quia *gradum* proprie sumtum *(Stufe)* nemo adcipere potest, quia tum non amplius foret *gradus*, sed lignum vel saxum. — Quaeritur, an *vultures* possint dici *sepulcra viva avium?* Vix: quia *sepulcrum vivum* proprie non exstat. Si tamen usus loquendi id invexisset, tolerandum foret. Sed, quod dixi, subiecto metaphorico sumto addi debere praedicata ei proprie convenientia, hoc non ita debet intelligi, tanquam cetera omnia excluſa sint. Imo ea tantum excluſa sunt, quae ad certa subiecta proprie pertinent; cetera omnia subiecto metaphorice tribui possunt, dummodo similitudo et perspicui-

spicuitas servetur: v. c. *ignis*, sumtus pro *amore*, non modo *ardet*, *fervet*, *exstinguitur* cet. sed etiam *est magnus*, *acer*, *validus*, *exiguus*, *languidus*, *vincit*, *superat*, *tenet*, *capit*, *habitat*, *se insinuat*, *fluit*, *pertentat animum*, *meat*, *pererrat*, *labitur*, *serpit*, *descendit*, *oritur*, *crescit*, *furit*, *vivit*, *desinit*, *incipit*, *evanescit*, *est medullas* cet.: nam haec praedicata non tam serviunt uni subiecto tanquam hero, ut non et aliis operam suam praestare possint. — Ceterum haec omnia nituntur maxime usu loquendi: nihil est tam durum, quod ille non emolliat: v. c. in nostra lingua dicimus *eine Stelle aus einem Buche anführen*, i. e. ad verba: *locum adducere:* it. *Gründe anführen* i. e. *fundamenta adducere:* quid absurdius? quomodo *locum*, qui fixus est, et *fundamenta* proprie sumta *adducere* possis? Et tamen sic dicimus: Latini non ita, sed *locum laudare*, *commemorare* cet. At iidem dicunt *adducere in sermonem*, *invidiam*, *vituperationem;* it. *vocare in dubium*, *in suspicionem:* it. Cic. Or. II, 9. in. *fraus hominum ad perniciem*, *et integritas ad salutem vocatur:* nonne τὸ *vocare* in istis formulis aeque durum est ac nostrum *eine Stelle anführen*, *Gründe anführen?* Usus dicendi est tyrannus, cui omnes regulae parere coguntur: cf. supra nostrum *ein Bißchen (parvus bolus) Wasser*, *Verstand.* Usus loquendi venit a plebe, et quanquam Critici eum corrigere conantur, tamen omnia corrigere nequeunt: quia a) Critici sero oriuntur, postquam lingua diu in usu fuit: b) Critici sunt minima pars populi. Nolimus igitur priscos nimis vituperare. Sic vituperant nonnulli, v. c. Buchn. de commut. rat. dic. p. 49. Horatium, quod Epist. I, 1, 39. dixit: *Nemo adeo ferus est*, *ut non mitescere possit*, *Si modo culturae patientem praebeat aurem;* quia *ferus* translatum sit a *brutis* (ab *animalibus*, ait Heinecc. Fund. p. 152. male), *mitescere* a *fructibus* (male *frugibus* Heinecc.,) *cultura* ab

agris. — At quis certo scit, *ferus* proprie de *brutis* dici? Forsan Horatius nil aliud cogitavit, quam *expertem disciplinae, culturae,* ut nos *ein wilder Knabe, wilder Mensch*, ubi non statim *bruta* cogitamus. Deinde nec certo scimus, an *mitis* de *pomis* proprie dicatur.

SECT. XIII.

De Metonymia.

Metonymia est *commutatio rei cum re ob coniunctionem externam*, seu magis perspicue: est *genus translationis*, *quo res cum re*, vel potius *nomen rei cum nomine alius rei* interdum h. e. ubi usus et contextus fert, *commutatur*, *quia inter utramque est quaedam coniunctio*, non illa quidem integralis et essentialis, sed tantum *idealis* et *relativa* h. e. quia alteram sine altera non cogitare licet, atque ita res, quae pro altera ponitur, huius simul notionem nobis in mentem revocat. Hinc intell. 1) hanc commutationem non in omnibus rebus, sed in iis fere tantum locum habere, quarum commutatio usu loquendi stabilita est: 2) contextum talem esse debere, ut commutationem statim agnoscas. Forsan tamen raro necesse est vocabula per metonymiam explicare.

1) Inter *causam efficientem* rei, v. c. auctorem cet. et *rem* ipsam ab illa *effectam* est coniunctio externa, s. relatio quaedam h. e. neque hanc sine illa, neque illam sine hac cogitare possum. Hinc *interdum* illa pro hac, et haec pro illa ponitur, v. c.

a) *Causa efficiens* pro *re effecta*; v. c. *Homerus* est auctor *Iliados*, *Odysseae* cet. Quae carmina qui vidit, potest dicere: *vidi Homerum.* Sic *Virgilius est legendus*: sic *Faber* pro *Lexico Fabri* cet. At non dicere possum; *Drakenborchius* pro *notis eius in Livium*, nisi sermo de Livio sit: nec ubique *Melanchthon* pro *locis eius theologicis*. Ergo tantum licet ponere *auctorem libri*

libri pro *libro*, si uterque valde notus est et contextus admittit; v. c. *in legendo Livio commendaverim tibi Drakenborchium et Dukerum;* ubi aperte intelliguntur eorum *notae*. Sic *lingua* est effectrix *sermonis:* hinc *lingua latina* pro *sermone latino*. Sic priscis *Ceres* pro *frugibus*, *Bacchus* pro *vino*, quia auctores putabantur: *Musae* pro *literis*, *Venus* pro *amore* cet. At praedicata addita debent hoc declarare, v. c. *edere Cererem*, *bibere Bacchum* cet. Quaeritur, annon *Schwarzius* pari iure pro *pulvere illo pyrio* poni queat?

b) *res effecta* pro *causa* ponitur, vel potius poni videtur: v. c. *umbra* pro *arbore*, scil. densa frondibusque ornata. At semper *umbra* proprie intelligenda: quis pro *in umbra iacere* dicat *in arbore iacere?* quod dici posset, si *umbra* pro *arbore* poneretur. Sic *pallor* pro *timore* poni dicunt: At 1) tum tantum de *gravi timore* dicendum foret; hic enim *pallidum* os reddit: 2) semper tamen *pallor* proprie intelligendus est, nec opus est metonymia. Referunt huc *tristis senectus*, *pallida mors* cet. i. e. reddens homines tristes cet. At possit per prosopopoeiam explicari: *das finstre Alter*, *der blasse Tod* cet. — Huc pertinet commutatio *antecedentis* et *consequentis*, quia illud est quasi *causa efficiens*, hoc est quasi *res effecta:*

a) *antecedens* pro *consequente*, v. c. *vale dicere* pro *abire* vel *abire velle;* quia, qui *abit*, antea solet *vale dicere:* sic nostri *ich werde Abschied nehmen*, *mich empfehlen* pro *fortgehen*. Sic *memor* pro *grato*, quia *gratus* debet esse *memor:* sic *obliviscI beneficiorum* i. e. *ingratum esse:* sic et nostri *vergessen*. Potest tamen hic etiam dici, *signatum* poni pro *signo*, quia *gratus animus* est signum *memoris* cet.

b) *consequens* pro *antecedente:* v. c. *cadere* in proelio pro *caedi*, *interfici*, quia caesi cadunt; sic nostri *fallen*, *bleiben*, quia qui in proelio interficitur, ibi *manet*, nec domum redit. Sic *sepultus* hodie pro *mortuo* dici potest: sic Cicero legg. II, 22. dicere poterat, omnes *sepultos* i. e. *crematos*, dici *humatos*, quia *crematorum* ossa et cineres humabantur i. e. humo tegebantur. At hinc non sequitur, *humari* esse

i. q.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0095
DFG

i. q. *cremari*, ut *cadere* non plane est i. q. *interfici* cet. Sic *erubesco* pro *pudere*: quia *rubor vultus* sequitur plerumque *pudorem*. At non propterea *erubuit* et *pudet illum* plane synonyma sunt: nec illud nisi de *magno pudore* vel *pudore hominis ingenui*, qui *ruboris* istius capax est, dici potest. Nec tamen video, cur *erubesco* non proprie de *rubore* intelligi debeat; nam ad hunc respiciunt proprie omnes ita loquentes. Ceterum haec commutatio antec. et conseq. valde commendanda est: nam a) consequens pro antecedente positum prodest ad gravitatem rei, quia antecedens tacite includitur, atque ita res celerius traditur; v. c. *cadit vir fortiter pugnans* est gravius quam *caeditur vir* cet. In *cadit* cogito sponte τὸ *caedi*, non in hoc *illud*. b) utraque commutatio adiuvat suavitatem 1) *variatione*, quando v. c. modo dicimus *mortuus est*, modo *nos reliquit*, quod est consequens prioris: sic *librum scribere* et *librum edere* commutari queunt: 2) *euphemismo* v. c. *beatus pater* pro *mortuo*, ubi est conseq. pro antec. sic *Venus* et *amor* pro *coitu*: ubi est antec. pro conseq.

II) Inter *rem* e quadam *materia* factam et inter *hanc* semper est eiusmodi coniunctio idealis s. relatio, ut illa sine hac non possit cogitari: hinc interdum *materia* pro *illa re* ponitur; v. c. *aurum, argentum, stannum* pro *numis aureis*, *vasis aureis*, *argenteis* cet. sic nos: *sie haben schönes Silber*, *Zinn* cet. *einen in Golde, Silber bezahlen*, *sich in Seide tragen* cet. Sed not. 1) iste loquendi modus est magis negligentiae quam elegantiae signum: ac vitiosus foret, nisi usus dicendi vitia excusaret. 2) nec ubique licet *materiam* ponere pro *rebus* inde *factis*: sed tantum in nonnullis usu receptis, v. c. *aurum* pro *numis*, *vasis aureis* cet.; nec igitur dicere licet *atramentum* pro *literis*, *chartam* pro *libris*, nisi forsan per iocum aut contemtum: non *lignum* pro *domo*, *vitrum* pro *fenestra*, *aurum* pro *annulo aureo*. Ac profecto, licet *aurum* cet. de *vasis*, *numis* ponatur, tamen hic non tam *numorum*, *vasorum* quam *auri*

ratio

ratio habetur: nec respicitur hic ad *rotundam figuram numorum, ad imaginem* cet. sed tantum ad *materiam:* ergo commutatio magis esse videtur, quam vere est.

III) Inter locum et ea, quae in illo semper sunt, vel saltem esse cogitantur, est quaedam relatio s. coniunctio idealis, quia nec locum sine illis, nec illa sine loco isto cogitamus. Hinc iste *locus* interdum i. e. ob negligentiam et celeritatem dicendi pro illis ipsis ponitur; v. c. *orbis terrarum laetatur:* nos: *alle Welt,* Francog. *tout le monde* i. e. *homines.* Sic *coelum nosse* i. e. *stellas:* sic *den Himmel anrufen, der Himmel wird sorgen* pro *deo;* non satis reverenter. Sic *Roma* pro *Romanis, Gallia* pro *Gallis* cet. Huc pertinet *possessor domus ac rei familiaris* pro *domo* et *re familiari* ipsa: quanquam raro; v. c. *Claudius pependit venalis* ap. Suet.; *Vcalegon ardet* ap. Virg., *hospes ardet* ap. Horat. i. e. *domus Vcalegontis, hospitis:* ut nostri: *er ist abgebrannt,* de homine. Sic *ich bin bey dir gewesen* i. e. *in deinem Hause,* sic latini *apud te* i. e. *domi tuae.* Huc referri potest, *debitorem dissecari debere;* it. *aliquem comedere,* ut nostri *einen bald auffressen* cet.

IV) Inter *eum, qui exercitui terraeve praeest,* et inter hunc *exercitum terramve* relatio quaedam s. coniunctio idealis est: hinc interdum h. e. in certis formulis dicendi, ille pro exercitu terrave ponitur, et contra: v. c.

a) *dux militum* pro *militibus,* si de re serio est, utrisque communi; v. c. *Scipio fugavit Hannibalem, cepit multa millia hostium:* quia omnia haec fiunt imperatoris ductu et consilio, e regula illa: *quod quis per alios egit, id ipse egisse dicitur:* sic *Hannibal fugatus est* cet.

b) *terra tota* pro *rege* interdum, h. e. si praedicata apta sunt, dici potest: v. c. *Gallia bellum gerit, indixit* cet. pro *rex Galliae:* quia praedicata *bellum gerit, indixit*

indixit nonnisi de summam potestatem habentibus dici possunt. Tribuitur autem Galliae *τὸ bellum gerere* cet., quia Gallia tota huius rei particeps est. Nam non ubique *regnum* pro *rege* dici potest, sed tantum in *publicis rebus*. Hinc non dici potest v. c. *Gallia pedum dolore laborat, aegrotat* cet. pro *Rex* cet. quia sunt hae res *privatae*, quae non fiunt nomine regni. Sic nec contra *rex* pro *regno* dicitur: at pro *exercitu*, licet eum non ducat; ex regula: *quod quis per alium egit, id ipse egisse putatur et dicitur*: v. c. rex Galliae dici potest *fugasse hostes, urbes cepisse, fugatus esse*, licet ne interfuerit quidem exercitui.

V) Inter *signum rei notabile* et *rem* ipsam, isto signo notatam, est relatio s. coniunctio idealis: hinc, si *signum* istud *notum et perpetuum* est, potest pro *re*, eo *signata*, interdum h. e. ubi usus et contextus fert, usurpari. v. c. Prisci dixere *lauream* pro *victoria*, *fasces* pro *imperio* et *magistratu summo*, *togam* pro *pace*, *sagum* de *bello*, *paludamentum* de *imperatore*, it. *arma* de *bello*, quia non nisi belli tempore arma sumebant. At haec in nostra tempora non amplius cadunt. Sic *pallor* pro *terrore repentino* et *angore animi*; sic *erubescere* pro *pudere*: sic pro: *ver est*, dici possit interdum *violae*, *rosae florent*: cf. Hor. I. od. 4. ubi plura signa veris: et Ovid. Met. VII, 187. *nullo cum murmure sepes*, *Immotaeque silent frondes, silet humidus aer, Sidera sola micant* h. e. *media nox erat*.

VI) Quia inter *tempus*, quo res agitur, et hanc *rem ipsam* aliqua relatio ac coniunctio est, hinc *tempus* istud pro *re* ista dici posse vulgo existimant. At ego semper *tempus ipsum*, v. c. diem, quo res fit, puto proprie intelligi debere nec pro *re* poni. V. c. Homo, qui certo die ad supplicium ducetur, *horret istum diem* i. e. *supplicium*, ut aiunt: recte quidem: at nonne ei ipse dies horribilis est? sic *diem* pro *iudicio* dici putant, v. c. *instat dies* i. e. *iudicium*: male. Semper *dies* proprie intel-

intelligendus, *Tag, Termin.* Hoc adparet e praedicatis, v. c. Phaedr. I, 16. *ubi vos requiram, cum* dies *advenerit* h. e. *dies solutionis:* sic Cic. ad Div. I, 2. §. 7. *is dies honestissimus nobis fuerat in senatu, Dieser Tag hat mir im Senat große Ehre verschafft:* sic elegantius quam *die an diesem Tage vorgenommene Sache* cet.

SECT. XIV.

De Synecdoche.

Synecdoche est *id genus translationis, quo duae notiones* s. res *vulgari consuetudine inter se interdum permutantur ob coniunctionem intimam et essentialem* h. e. talem, ut altera sine altera esse nequeat, et, una pereunte vel deficiente, altera quoque vel pereat vel imperfecta maneat. Talis coniunctio est inter *Totum* et eius *partes;* et ob similitudinem inter *genus, eiusque species* et *individua:* ponitur ergo interdum *totum* pro *parte*, *pars* pro *toto* cet., quamquam *pars* plerumque de *parte* proprie explicari debet, si adcurate explicare volumus.

I) *Totum* pro *parte:* v. c. *homo* pro *corpore* vel *animo hominis*, per usum loquendi; ut: *pater sepultus est* i. e. *patris corpus:* sic *pater meus est apud deum* i. e. *patris animus.* Sic *mater laetatur: offendere hominem* i. e. *animum hominis: milites vulnerati sunt* i. e. *militum corpora.* Sic *elephantus* pro *ebore; fons* pro *aqua fontana*, v. c. *bibere fontem* i. e. *particulam fontis, aquam fontis.* — Hae formulae sunt omnes filiae negligentiae et breviloquentiae: v. c. *pater est sepultus*, pro *pater, qua corpus, est sep.* cet.

II) *Pars rei* pro *tota re* ponitur vel poni videtur: v. c. *limen* et *tectum* pro *domo: mucro* pro *gladio: puppis, prora* cet. pro *nave: caput* pro *homine.* At semper

per tamen ad *partem* proprie respicitur, ut, si recte iudices, *pars* non tam pro *tota re*, quam proprie ponatur. En exempla:

a) *caput* pro *homine* dici dicunt. Recte. Saepe *caput* pro *homine* dicitur: at 1) in nonnullis tantum formulis, v. c. *exactio capitum*, Cic. ad Div. III, 8. cf. Liv. II, 33. extr. 2) cum nonnullis adiectivis, v. c. *caput liberum* i. e. *liber homo*, Cic. Verr. II, 32: *ridiculum*, Terent. And. II, 2, 34: *festivum*, Terent. Ad. II, 3, 8: *noxium*, Liv. X, 40: *carum*, Virg. Aen. IV, 354. 3) in numerando ac partiendo, ut nostri *ein Corps von* 1000 *Köpfen* cet. v. c. *capitum Helvetiorum millia* 263. Caes. B. G. I, 29: sic *in capita descripsisse*, Cic. Verr. III, 92. Sed hae omnes videntur proverbiales locutiones: nec hinc sequitur in universum *caput* pro *homine* dici posse. In nonnullis videtur proprie ratio *capitis* esse habita, v. c. *caput festivum*; nam *festivitas* est proprie in mente, quae in capite habitare creditur. Sic nos *ein wunderlicher, eigensinniger, närrischer Kopf*, ubi *animi* ratio habetur.

b) *limen* et *tectum* pro *domo tota* dici putant. Male. Si dicerent, *limen domus transire*, *tectum subire* dici pro *domum intrare*, recte dicerent: quia qui *limen transiit* vel *tectum subiit*, is domum intravit. At propterea *limen* et *tectum* non ponuntur pro *domo*, tanquam synonyma; quia alioquin dicere possem *limen aedificare* i. e. *domum*; vel *in limine pulchro habitare* i. e. *in domo pulchra*: *tectum* vel *limen emere* i. e. *domum*. Imo *limen* et *tectum* ubique, praeterquam apud poetas interdum, proprie ponitur; idque declarant praedicata *limini* et *tecto* addita, v. c. *subire, unter etwas gehn*, de *tecto*: *transire* de *limine*: nam *tectum subimus*, *limen transimus*, domum intrantes: at *domum* proprie non *subimus*, non *transimus*, intrantes. Hinc si cui dico: *ne adcedas ad limen meum*, plus dico, quam, si dico: *ne intres*. Tecta nobis ad urbem proficiscentibus prius adparent, quam ceterae domus partes: et, ubi domus incenduntur, incendium prius in tectis conspicitur: hinc veniunt locutiones: *tecta adparent, incenduntur* cet., ubi *domus* per se intelliguntur. Attamen *tectum* pro *domo* est Cic. Catil. III, 2. *in vestra tecta discedite.*

c) *mucro*

c) *mucro* dicitur poni pro *gladio*. Male. Quis dicat: *mucronem mihi emi?* Semper *mucro* proprie intelligitur, v. c. *mucrone aliquem ferire*. An hoc semper *toto gladio* fit?

d) *prora, puppis, carina* dicunt dici pro *tota nave*. Male. Quis dicat: *emere puppim, proram*, vel *carinam* pro *navem?* Imo *prora, puppis, carina* semper ita ponitur, ut harum partium proprie ratio habeatur. En exempla: 1) quando *gubernator navis* in *puppi* sedere dicitur, *puppis* proprie intelligitur. Gubernator enim semper sedet in puppi ad clavum gubernaculi, non in tota nave. Verum quidem est, eum, qui sedeat in puppi, esse quoque in nave: at, qui in nave est, non semper est in puppi: sic qui *manum* meam tangit, *corpus* quidem meum tangit, at propterea *manus* non est i. q. *corpus*. Sic *dominus navis* semper est in *puppi*, v. c. Aeneas ap. Virgil. Nunquam neque dominus navis neque gubernator dicitur sedere *in prora, in carina:* cur ita non loquuntur prisci, si *prora* et *carina* pro *nave* simpliciter poni et pars cum toto commutari potest? 2) quando a priscis navigantes dicuntur naves adpellere, semper dicuntur *puppes stare in litore*, non *prorae* vel *carinae*. Cur? quia adpulsuri navem circumagebant et puppim ad litus vertebant: ergo *puppis* proprie ibi ponitur. 3) *carina* semper est *infima pars*, s. *trabs illa, cui superstructa est navis, der Kiel:* hincque praedicata illi addita quadrant; v. c. *natat uncta carina:* haec enim pars proprie *undis innatat;* et *uncta erat.* — Profecto pauciora vocabula tropica haberemus, si vellemus loca priscorum saepius *proprie* intelligere et ad verba explicare.

e) alia praetereo, v. c. *latus* vel *pectus perfodere:* ubi non *latus, pectus* pro *corpore toto* positum est. Qui *iugulum, latus, pectus* transfigit, an is *totum corpus* transfigit?

Pertinet huc commutatio generis, speciei et individuorum; quia species et individua sunt partes generis quaedam.

I) *Genus* ponitur pro *specie*, h. e. nomen generis tribuitur speciei: quia, quod generi convenit, idem convenit speciebus: v. c. *mortales* pro *hominibus;* cum tamen et bestiae sint mortales. Hinc patet 1) per se

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0101
DFG

hoc dictum esse ambigue, nisi usus loquendi excusaret ac contextus adiuvaret. 2) usum loquendi sequendum esse. Huc pertinet *res publica* h. e. res pertinens ad totum populum, pro *bello*, *aerario* cet. Nec tamen hinc sequitur, *bellum* et *aerarium* esse synonyma *reipublicae* (rectius *rei publ.*) h. e. *rempublicam* (*rem publ*) ubique pro *bello* et *aerario* dici posse. Imo *res publica* semper tenet notionem propriam et non nisi tum v. c. de bello dici potest, cum bellum est *res publica* h. e. nomine populi geritur. Hinc recte dico: *Pompeius remp. (rem publ.) bene administravit:* at non: *Sulla, Iugurtha* cet. *multas respublicas (res publ.) gessere* i. e. *bella.* Adcedit, quod vocabulo *reipublicae (rei publ.)*, si pro *bello* ponitur, h. e. si belli notionem simul sustinet, semper praedicata adduntur, quae *rei publicae* proprie conveniant, non, quae *bello.* Sic *peccare* pro *scortari, ebrium esse* cet. interdum per euphemismum dici potest, v. c. pro *scortari* Hor. Serm. I, 2, 63. *Quid interest, in matrona, ancilla, peccesve togata.* Sed per se patet, *peccare* non plane esse i. q. *scortari*, quia non dici potest *scortari in aliqua.* Sic et *amare* pro *scortari* cet.

II) *Species* pro *genere* vix poni potest, quia non, quod speciei convenit, idem generi convenit: nec haec commutatio fit, nisi in proverbialibus locutionibus, in primis iis, quae gentis cuiusdam naturam, vitia aut virtutes designant: v. c. *Spanische Schritte, französischer Witz, türkisch mit Iemand verfahren* cet. Sic priscis *Punica fides: graeca fides* i. e. *levis:* sic *romano more loqui* ap. Cic. ad Div. VII, 5. est *aperte, proprie loqui*, ut nostri: *etwas deutsch heraus sagen* i. e. *diserte, libere, aperte loqui.* An vero et alibi *species* pro *genere* ponatur, dubito. Dicunt quidem *abietem, pinum, quercum* cet. poni pro *arbore* vel *ligno quocunque.* Male. Quis v. c. dicat: *hyemis tempore opus est abiete*

abiete i. e. *ligno?* Quis arbores e sylva, in qua nonnisi *pinus* nascuntur, advecturus dicat, *ex hac sylva abietes*, *quercus* cet. advehendas curabo? Semper *pinus*, *quercus*, *abies* proprie intelligi debet. At si de *sylva universa* vel *ficta*, cuius arbores haud novimus, poetae loquuntur, licet iis pro voluntate arbores nominare, v. c. *quercus*, *alnos* cet. v. c. cum loquuntur de torrente vel fulmine arbores prosternente aut comparant virum fortem cum arbore: quanquam hic *quercum* ob robur praeferre solent. Idem valet de *floribus*. Non quaevis *species florum* pro *floribus* in universum usurpari potest: ac stultum foret de horto floribus plane carente dicere: *noster hortus caret liliis:* nonne auditor crederet, nonnisi lilia deesse, sed alios flores adesse? semper *lilium*, *rosa* cet. proprie intelligi debet. At si sermo est de hortis fictis, species florum pro voluntate fingere licet, v. c. *narcissos*, *violas*, *lilia* cet. modo contextus sibi constet annique tempus permittat. Hinc plura explicari possunt; quae, ut species, pro genere dici creduntur: v. c. *mare Myrtoum*, *fretum Siculum* cet. non pro *mari* simpliciter ponitur, sed ubi contextus et itineris ratio poscit; v. c. qui *e Gallia Sardiniam versus* vectus est, is non dicitur mare *Myrtoum*, (nec *Ionium*, *Aegaeum* cet.) ingressus esse cet. Sic *arcus Cydonius* non tribuitur *Britannis*, *Germanis* cet. sed iis, qui ob domicilii sui propinquitatem *arcu Cydonio* potiri potuere.

III) *Species* pro *individuo* ponitur, quia quod speciei convenit, idem convenit individuo; sed raro occurrit: v. c. *urbs* pro *Roma* a Romanis dicitur, sed nonnisi tum, cum de nulla alia urbe intelligi potest, v. c. quando quis Romam ad amicum scribit: *scire velim*, *quid in urbe agatur* vel Romae vivens dicit: *in urbe omnia sunt salva.* At nemo v. c. in Aegypto vivens dicere potuisset: *Omnes hae urbes sunt parvae prae urbe:* quis hoc intellexisset? Non igitur simpli-

citer *urbs* pro *Roma* dicitur: sic rustici nostri de urbe vicina dicunt: *ich gehe nach der Stadt, komme aus der Stadt;* quia quisque scit, quam urbem intelligant. Huc pertinet *homo* pro *certo individuo*, v. c. quaerenti, an Petrum viderimus, respondemus: *non vidi hominem* pro *Petrum*, *ich habe den Menschen nicht gesehen.* Not. Referunt huc etiam, *poetam* dici pro *Homero* vel *Virgilio*, ob excellentiam: sic *oratorem* pro *Demosthene*, *philosophum* pro *Aristotele.* Male: vetat enim perspicuitas: quis intelligat dicentem: *legi poetam* h. e. *Homerum;* vel *legi omnes poetas praeter poetam:* vel: *poeta canit suavius Hesiodo?* Nec veteres sic loquebantur, sed, v. c. adlatis versibus notissimis ex Homero, addere solebant: *ut poeta ait:* qua re monerent lectores, Homerum esse intelligendum: uti et nos hodie agimus. Nam solebant et aliorum poetarum versus eodem modo in suis libris adferre; v. c. Xenophon, in memor. Socr. versus quosdam Hesiodi memorans, itidem addit: *ut poeta ait.* Quis hic Homerum intelligat?

IV) *Individuum* pro *specie* vel *genere* interdum ponitur; si quidem aliquis tam memorabilis et sua aetate et apud posteros factus est, ut eius nomen, per proverbium quasi, in universum hominibus ei similibus tribueretur: v. c. *Varro* pro *viro magnae et latae doctrinae: Cato* pro *severo: Maecenas* pro *patrono eruditorum magno: Achilles* pro *rege fortissimo: Nestor* pro *rege sapiente et sene: Augustus* pro *bene imperante: Scipio*, *Caesar*, *Eugenius* pro *magno duce belli: Cicero*, *Demosthenes* pro *magno Oratore: Virgilius*, *Homerus* pro *magno poeta epico: Aristoteles* pro *magno philosopho* cet.

Ad hunc tropum referuntur etiam haec:

a) *numerus indefinitus* ponitur interdum pro *numero definito.* — At hoc valet tantum de formis dicendi nonnullis

nullis per vulgarem dicendi consuetudinem receptis ac proverbii vicem sustinentibus; v. c. ut nos dicimus *tausend, hundert* pro *valde multis; hundertmal, tausendmal* pro *saepissime:* sic latini *centum, sexcenta, mille* pro *valde multis: centies, sexcenties, millies* pro *saepissime.* Sed 1) propria vis numeri quodammodo servari debet: v. c. homo *viginti* annorum non dicere potest, se nundinis Lipsiensibus *centies, sexcenties, millies* interfuisse. 2) formulis receptis contenti esse debemus, et v. c. non *quadragies* dicere pro *saepissime.*

b) *numerus rotundus* pro numero vel *paulo maiori* vel *paulo minori* ponitur: v. c. *centumviri* ap. Romanos dicebantur quidam iudices, cum essent proprie *centum* et *quinque:* sic 70 interpretes illi librorum sacrorum. — Not. haec ratio dicendi est proprie filia *negligentiae,* et convenit cum praecedente.

c) *numerus singularis* poni dicitur *pro plurali.* Indefinite: nam 1) si per numerum singularem intelligis *unam rem* vel *personam,* apud poetas occurrit quidem saepe *ista* commutatio; sed apud prosaicos vix occurrere simpliciter et sine idonea causa potest. Foret enim contra perspicuitatem; et stultum esset v. c. dicere: *pes mihi dolet* pro *pedes: legi librum* pro *libros.* 2) longe alia res est, quando numerus singularis nomen *collectivum* indicat, v. c. *Romanus est fortis: Poenus est fallax: pauper ubique iacet; der Deutsche ist ehrlich* cet. Hic enim non ponitur singularis pro plurali, sed est iam pluralis h. e. plures indicat.

d) *numerus pluralis* pro *singulari* poni dicitur. At 1) raro hoc convenit, ac non nisi in iis vocabulis, quae plurali carent et tamen unam rem indicare videntur, v. c. *nuptiae, literae, tenebrae* cet. quanquam quaeritur, annon Latini in iis pluralitatem quandam cogitaverint. Poetas hic non curamus. 2) At in aliis vocabulis pluralibus, quae vel singularem habent, vel notionem pluralitatis indicant, semper numeri pluralis ratio habenda est. Errant igitur, si qui dicunt, *Ciceroues, Hortensios, pulmones, Gallias* cet. dici *pro Cicerone, Hortensio, pulmone, Gallia.* Quis dicat v. c. *Filia Ciceronum mortua* i. e. Tullia? vel *oratio Ciceronum pro Milonibus?* At sic tantum loquimur: *Roma habuit*

suos Cicerones h. e. *Ciceronem eiusque similes*, vel *Roma habuit tales, qualis erat Cicero.* Adparet 1) non hic pluralem pro singulari poni, sed vere pluralem intelligi, 2) esse meram breviloquentiam, quando *Cicerones* dicatur pro *Cicerone eiusque similibus.* Sic in *pulmonibus, Galliis, Poloniis* vere pluralis est: sunt enim *duo pulmones*, erant *duae Galliae* cet. At nusquam *nasos* hominis, *Corsicas* legimus. Sic *liberos* nunquam, nisi in permotione animi, matre hyperboles, de una re saepe tanquam de pluribus loquente, de *uno filio filiave* dici puto. Nam si hoc esset, scriptor aliquis, sine permotione animi loquens, v. c. historicus, ita dixisset. At nemo historicorum unquam de *uno certo filio filiave* dixit v. c. *nati sunt ei liberi, mortui sunt liberi.* Quis dicat, Ciceronem luxisse mortem *liberorum suorum?* aut Scipionem Africanum minorem vocet *liberos* Aemilii Pauli? Imo *liberi* semper pluralitatem indicant: docui hoc pluribus in libello: *Gedanken von den Eigensch. der deutsch. Schr.* p. 101. Scilicet obiici possint aliquot loci, 1) Sulpic. ad Cic. ad Div. IV, 5. §. 5. *licitum est tibi — generum deligere, cuius fidei* liberos tuos *te tuto committere putares. An ut ea liberos pareret?* cet. Hic videtur per *liberos tuos* intelligi *filia* h. e. *Tullia.* At non video, cur non intelligantur *filia* Ciceronis et *filius* simul? nam et *filius* dignus erat, qui *fidei generi* a Cicerone, tum sene, committeretur. Et pergit Sulpicius: *an ut ea liberos pareret*, non: *an ut ii* sc. *liberi*, qui nolebat τὸ *pareret* ad *liberos tuos* referri. 2) Terent. Andr. V, 3, 20. Simo iratus filio, qui dixerat: *mi pater*, respondet: *Quid mi pater, quasi tu huius indigeas patris. Domus, uxor*, liberi *inventi* (acquisiti sunt a te) *sine patre.* Hic dicuntur *liberi* de *uno infante:* recte. At homines commoti (qualis Simo erat), ad iram et indignitatem rei indicandam de una re loqui solent, tanquam plures sint: v. c. dolenti ob *unum* librum amissum dicimus: *quis ob libros tantopere doleat? Wer wird sich denn um Bücher so betrüben?* sic parentes parentibus unum filium habentibus interdum dicunt: *Sie wissen, wie sauer es einem wird, Kinder zu erziehen, was Kinder für Mühe machen.* Eodem referendum est, quod filius Antonii vocatur *liberi* Cic. Phil. I, 1. Certum est, pluralem non pro singulari poni posse, nec a priscis, praeter poetas, positum esse. Vnum tamen *nos* excipiendum videtur,

videtur, saepissime occurrens ap. Ciceronem pro *ego*: v. c. *venit ad nos* cet. sic *diximus* pro *dixi* cet. Venit haec ratio, ut puto, ab orationibus: in quibus oratores, ut auditores participes redderent orationis suae, dicere solebant v. c. *videamus*, *consideremus* scil. *ego* et *vos*: postea hanc consuetudinem etiam in epistolis et aliis libris servarunt. Sic hodie scriptores, in primis, qui in aede dicunt, vel Ciceronem legerunt, de se in plurali loqui non dubitant, v. c. *vide nos supra* cet.

SECT. XV.

De ironia s. commutatione vocabulorum contrariorum.

Ironia dicitur esse *permutatio vocabulorum ob disiunctionem* h. e. *oppositionem*, v. c. *pauper* pro *divite*. At duo vocabula non propterea, quod sibi contraria sunt, commutari possunt: hoc foret contra perspicuitatem: cui enim in contrario vocabulo contrarium vocabulum s. contraria notio facile in mentem veniat? Forsan ironiam ita licet definire, ut in eo consistat, si *aliud dicimus*, *aliud cogitamus*, *ita tamen ut*, *quid proprie cogitemus*, *contextu alioque modo declaretur*; seu ita: ut ironia sit *disiunctio non tam notionum quam verborum*, s. *permutatio non tam notionum*, *quam verborum contrariorum*, salva tamen perspicuitate. Nam *ideae* non vere hic permutantur, licet permutari videantur: v. c. quando de *paupere* dico: *est dives*; ac de *divite*: *est pauper*; quando *indoctum* voco *doctum* et contra. Notanda hic quaedam:

1) Hic tropus, si vere tropus, nec potius permutatio locutionum synonymicarum iocandi illudendique causa inventa vocari debet, magis in loquendo quam in scribendo valet, quia gestu ac vultu indicare potest loquens, se contra, ac loquatur, sentire.
2) Perspicuitatis causa praesertim in scribendo commendantur particulae quaedam, v. c. *scilicet*, *quippe*, *vero*, a priscis hac in re usurpatae.

3) Non omnes res ironice exprimere licet, ſed tantum eas, quarum *ratio, magnitudo, utilitas* cuique ita nota eſt, ut contrarium ſtatim ei in mentem veniat: v. c. quando quis dicit, *bellum prodeſſe literarum ſtudiis, aloën eſſe dulciſſimi ſaporis, Ciceronem non oratorem fuiſſe* cet. quisque ironiam ſentit. At ſi quis de viris magnis illis quidem, ſed parum notis, vel de rebus magnae utilitatis, ſed ignotis, ironice loqueretur, peccaret, quia ironia haud ſentiretur. Nam τοῖς *quippe, ſcilicet, verò* non nimis ubique confidendum eſt.

4) Cum ironia maxime iocando et illudendo ſerviat, noſtris oratoribus, praeſertim in aede dicentibus, non valde commendanda eſt. Oratorem enim decet gravitas.

Magis commendandae ſunt eius ſpecies, *litotes* et *euphemiſmus*.

1) *Litotes* i. e. *quae minus dicere videtur, quam intelligi vult*, ſ. apertius: *quae rem minuere videtur, at profecto rem auget maioremque reddit*: v. c. *Vir non ignotus* per ſe ſignificat *virum, qui non plane ignotus* eſt; hic non eſt *litotes*: poteſt vero etiam ſignificare *virum valde notum*: hic eſt *litotes*. Sic *Croeſus non pauper erat* i. e. *ditiſſimus*; eſt *litotes*: at ſi *homo non pauper* proprie ſumitur h. e. pro eo, qui *non dives eſt*, non eſt *litotes*. Hinc *litotes* non quadrat, niſi de *re* et *homine notiſſimo*. Hinc ſi dicis: *Croeſus non pauperrimus, Cicero non infimus orator fuit*, facile peritis litotes patet. At ſi coram imperitis diceres: *Cicero war kein ſchlechter Redner, Craſſus war nicht arm*; fruſtra diceres: quia auditores haec verba proprie ſumerent.

2) *Euphemiſmus* eſt, *cum res ingratas nomine ſuaviori vel leniori exprimimus*. Fit hoc tribus maxime modis:

a) *ideae triſtiores mutantur in ſuaviores* vel *leniores*; v. c. *pater tuus beatus* pro *mortuo*: in quo ineſt metonymia antec. pro conſeq.: ſic: *ſi quid humani ei adci-*

adciderit, pro: *si mortuus fuerit:* ubi est metonymia generis pro specie: sic nostri: *wenn Gott über ihn gebieten sollte* cet.

b) *ideae obscoenae permutantur cum aliis;* v. c. *venus* pro *coitu: arvum genitale, natura* pro *partibus obscoenis:* sic *ire, quo saturi solent* pro *ventrem exonerare*, sic Hebr. *pedes tegere;* quae est modesta metonymia antec. pro cons.

c) *ideae inhumaniores cum humanioribus permutantur;* v. c. *non est inimicus vini, non odit vinum* pro *valde potat, vini est studiosissimus:* sic de *edace: non spernit epulas*, nostri: *er läßt es sich wohl schmecken, ist kein Feind vom Essen:* sic de *contentioso: er läßt nicht mit sich spielen, versteht keinen Scherz.* — Huc pertinet *recte, benigne* pro *non, nolo;* v. c. si quis profecturus ex alio quaerebat, an ipsi aliquid mandare vellet, is, si nil habebat, quod mandaret, respondebat humane: *recte* pro *non*, s. *nihil habeo, quod mandem:* proprie *recte* per ellipsin explicandum, *recte facis*, scil. quod me interrogas i. e. *placet mihi tua humanitas:* sic nostri: *ich danke, es ist gut.* It. in denegando: v. c. si quis in coena hospitem, ut ederet, monebat, hic, non amplius cibi adpetens, humane respondebat: *benigne* (sc. facis), pro *nolo amplius edere:* sic nostri, si quid adcipere nolunt, dicunt *ich danke* (scil. pro tua humanitate), *bin verbunden, Sie sind sehr gütig*, it. *gut, ich will euch nicht berauben* cet. Not. Fontes euphemismi sunt a) *commutatio antec.* cum *conseq.* vel *conseq.* cum *anteced.* v. c. *beatus* pro *mortuo, pedes tegere, venus* pro *coitu:* speciei cum genere, v. c. *aliquid humani pati* i. e. *mori:* b) *litotes*, v. c. *non valde odit vinum* i. e. *vini est studiosissimus.* c) *circumscriptio:* pertinet huc in primis illa Ciceronis Mil. 10. *fecerunt id servi Milonis, — quod suos quisque servos in tali re facere voluisset* pro: *occidendo Clodio ulti sunt dominum.*

SECT. XVI.

Additamenta quaedam de vocabulis singulis.

1) Verba *solennia* sedulo adhibenda sunt h. e. ea, quae de re tam constanter usurpantur, ut ei proprie

fere conveniant. v. c. *senatui videtur: senator censet, decernit: populus iubet* sc. legem: *subducere, deducere classem: ludos committere: dicere dictatorem: creare consulem, praetorem: cooptare pontificem: prodere interregem: legere Vestalem: legere senatorem: praeses provinciae decedit: ferre ad populum, referre ad senatum: petere honores* cet. Haec de rebus romanis. Sed sunt et apud nos solennia, v. c. *rex*, non *praefectus regno*, nec *praeses regni: Archidux, Marchio, Landgravius* cet. quae non cum aliis commutanda sunt: vult hoc perspicuitas.

2) vitanda sunt, quantum potest, a) *vocabula nimis plebeia et obscoena:* de iis iam dictum in *euphemismo.* b) *barbara:* h. e. *non latina*, sed v. c. francica, graeca cet. v. c. *recommendare, ὁ πάνυ* v. c. Casaubonus pro: *celeberrimus.* At nonnulla tamen, ob perspicuitatem, retinenda; v. c. *Landgravius, Marchio, Feudum* cet. Sic malim ob perspicuitatem dicere *etymologia* quam *notatio*, licet Cicero ita dixerit. c) *novata* h. e. *aurea aetate nondum usitata.* At nonnulla ob perspicuitatem retinenda, v. c. *Imperator* Sigismundus, *Landgravius, Feudum* cet. d) *technica*, v. c. philosophica, theologica, iuridica, medica per vulgarem dicendi usum recepta. Sed hic perspicuitas et ratio lectorum atque auditorum consulenda; v. c. qui doctis scribit, cur *is* non dicat v. c. *Decoctum, infusum*, cet. potius, quam periphrasi lectorem moretur? e) *obsoleta* scil. aetate Ciceronis, (ad hanc enim respiciunt vulgo): nam si Ciceronis aetate ignota erant, quanto magis nostra? f) *poetica* h. e. duriora et inusitatiora, v. c. mare *velivolum, horrisonum* cet. g) voces hybridae (ut loquuntur) h. e. duabus e linguis compositae; v. c. *monoculus.* At nonnullis vix hodie carere possumus, v. c. *Archidux* cet. Et prisci nonnullis usi sunt,

v. c.

v. c. *postscenia*, *biclinium* cet. cf. Quint. Inst. I, 5. Voss. Rhet. III, 2, 1. Et Caesaris liber inscriptus est ab ipso *Anticato*.

3) adtendenda est flexio vocabulorum usitata; v. c. non occurrit *specierum*, *speciebus*: Cicero malnit dicere *formarum*, *formis*, *partium*, *partibus*; cf. Topic. 7. quanquam philosopho hodierno, si *specierum* et *speci bus* ob perspicuitatem dicere malit, non vitio vertendum sit. Sic terminatio *abus*, v. c. *equabus*, *deabus* cet. raro occurrit aliter, quam si sexus aliter discerni nequeat: v. c. *diis deabusque* dixit Cic. Rab. perd. 2. Hic necessaria erat terminatio *abus*. At *duabus filiis*, *ambabus filiis* semper dixerim, non *filiabus*, quia *duabus* cet. iam docet *filias* intelligi: omninoque terminatio *is* servari potest, si contextus iam docet, de sexu feminino sermonem esse, v. c. Varr. R. R. III, 16. §. 7. de Musis locutus, pergit: *His diis Heliconem adtribuerunt homines*. Occurrit tamen duabus *filiabus* Liv. XXIII, 26. Sic *alacris*, *acris*, *celebris* cet. raro vel nunquam in genere masculino occurrit, sed rectius pro feminino habendum.

4) In synonymicis cavendum, ne inter illa referamus, quae non sint: v. c. *aut*, *vel*, non sunt i. q. *sive*, *seu*. *Aut*, *vel* dicitur de diversis, *sive*, *seu* de iisdem rebus. v. c. *Apollo sive* (seu) *Phoebus*: *Apollo vel* (aut) *Minerva*. Sic differunt *iratus* et *ira inflammatus*; *valde* et *incredibilem in modum*: *Quodsi* differt a *si* cet.

SECT. XVII.

De compositione vocabulorum grammatica.

Pergimus ad vocabulorum *coniunctionem*. Ea est vel *rhetorica*, idearum rationem habens, vel *grammatica*. *Compositio*, s. *constructio grammatica*, quae vulgo *syntaxis* vocatur, cernitur in eo, quando, ob voca-

vocabulum antecedens vocabulum sequens mutationis aliquid patitur et in certo *casu*, *numero*, *tempore*, *modo* cet. poni debet, contineturque praeceptis grammaticis; nec opus foret de ea hic dicere, nisi vel in scholis vel in libellis grammaticis nonnullis res parum adcurate traderetur. Sequemur ordinem vulgarem libellorum grammaticorum:

I) Inter pronomen possessivum et substantivum dicunt interiici *unius*, *solius*, *ipsius*, *ipsorum*, *amborum*. Recte: at non sine sensu: *meum solius peccatum corrigi non potest* est pro *ego solus sum*, *cuius peccatum* cet. *Tua ipsius culpa miser es* pro: *tu ipse effecisti*, *ut nunc miser sis*, *durch deine eigne Schuld* cet.

II) *Opus est* dicunt requirere vel *nominativum* vel *ablativum rei*. Recte. At interdum perspicuitas *nominativum* praeferri iubet; v. c. *quibus* (hominibus) *libri opus sunt*, *ii* cet. malim dicere quam *quibus libris*, ne *quibus* cum *libris* coniungatur. Sic neutra adiectivorum et pronominum melius in nominativo ponuntur, v. c. *multa mihi opus sunt*, *id mihi opus est*, malim dicere quam *multis opus est*, *eo* cet. quia *multis*, *eo* possint et de masculino intelligi, nisi neutrum aperte addatur, v. c. *opus mihi est eo*, *quod habes:* ubi *quod* docet, *eo* neutrum esse: sic: *quibus opus est*, *ea* cet. *multis opus est*, *quae* cet.

III) *Verbum* (proprie dictum), quando duobus vel pluribus nominativis, personas indicantibus, tanquam praedicatum additur, debet esse in plurali, licet theodisca lingua singulari utatur, v. c. *Vater und Mutter ist krank*, *pater et mater aegrotant:* at si iungitur duobus substantivis res indicantibus, utroque numero uti licet; v. c. *pecunia et domus amissa est*, et *amissae sunt*.

IV) Adiectivum et participium, quando substantivis, personas diversi sexus indicantibus, ut praedicatum

tum additur, adcommodat se generi masculino, v. c. *pater et mater sunt sani*, non *sanae*. At si non praedicati vim sustinet, sed merum epitheton est, adcommodat se ad sexum subiecti prioris, v. c. *noster frater et soror*, *nostra soror et frater*, *soror et frater noster*, *frater et soror nostra:* nisi vis repetere adiectivum, v. c. *noster frater et nostra soror*, quod sane adcuratius. Idem observatur in omni adiectivo et participio, quod substantivis non personas sed res indicantibus additur, sive sit praedicatum sive non; v. c. *pecunia et liber amissus est*, *liber et pecunia amissa est: amissa est pecunia et liber*, *amissus est liber et pecunia.* At si tot substantiva praecedunt, *res* in primis indicantia, tamque diversi generis, ut incerti simus, ad quodnam se debeat adcommodare *adiectivum* vim praedicati habens, praesertim si alia sunt pluralis, alia singularis numeri, rectius in neutro plur. subiicitur; v. c. *libertas*, *patria*, *opes*, *exercitus*, *leges et imperium amissa sunt:* proprie autem intell. *amissa negotia*, *sind verlorne Dinge.*

V) Pro Praepositionibus *in*, *erga* cet. dicunt genitivum poni posse, v. c. *amor mei* i. e. *in me: amor dei* i. e. *in deum* cet. Non satis definite. *Mei*, *tui* cet. semper dici potest, quia hic nulla ambiguitas; at in substantivis contextus consulendus, ne perspicuitas laedatur, quia v. c. *amor dei* etiam est *amor dei in homines;* idque proprie.

VI) *Esse*, si rei describendae servit, dicunt genitivo et ablativo iungi. Recte. Sed 1) adiectivum addi debet, v. c. non dixerim: *mulier est pulchritudinis*, s. *pulchritudine:* at *est magna pulchritudine*, *magnae pulchritudinis;* nec *mons est altitudine*, sed *ea*, *tali*, *magna* cet. 2) usus loquendi observari debet: in aliis casus alteruter, in aliis uterque in usu est. Genitivus autem regitur ab *homo*, *negotium;* ablativus a *praeditur.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0113
DFG

tus. Not. formulam *patris est alere liberos* cet. huic etiam regulae subiiciunt. Male. Hic enim *officium*, vel *negotium* h. e. *res* intelligi debet. Hinc et alia explicari facilius possunt: v. c. *errare est hominis cuiusvis*, scil. *negotium*, *Irren ist die Sache jedes* i. e. *jeder kann irren*: sic *hinnire est equorum* cet.

VII) Neutra nonnullorum *adiectivorum* et *pronominum*, ut: *hoc*, *id*, *illud*, *istud*, *quid*, *aliquid*, *quidquid*, *quidquam*, *tantum*, *quantum*, *multum*, *plus*, *plurimum*, *reliquum*, *aliquantum*, *dimidium*, substantive cum genitivo poni dicunt. Recte: sed non definite. Nam 1) nonnulla eorum *possunt* tantum substantive poni, non utique *debent*; v. c. *hoc*, *id*, *illud*, *istud*, *multum*, *plurimum*, *reliquum*, *dimidium*: v. c. *hoc negotii*, *id officii*, *multum temporis*: ubi *hoc negotium*, *id officium*, *multum tempus* aeque bene dicitur: imo praeter *multum* cetera libentius ut adiectiva ponuntur: nec fere dixerim *hoc pennae*, *id chartae*: multo minus *hoc patris* pro *hic pater* cet. 2) sed cetera: *quid*, *aliquid*, *quidquid*, *quidquam*, *tantum* i. e. *tot*, *quantum* i. e. *quot*, *plus*, *aliquantum* semper substantive cum genitivo ponuntur, v. c. *quid rei? quid negotii; aliquid temporis* cet. Hic not. *tantum* et *quantum* duplicem notionem habere 1) i. q. *tam magnum*, *quam magnum*: hac notione semper manet adiectivum, v. c. *tantum negotium*, *eine so große Sache*; male hic *tantum negotii*: 2) fere i. q. *tot*, *quot*, *so viel*, *wie viel*; hac notione semper substantive ponitur, v. c. *tantum temporis*, *so viel Zeit*: ubi male dicas: *tantum tempus*.

VIII) *Interest* h. e. *prodest*, *es ist daran gelegen*, et *refert*, eodem sensu, aiunt regere *genitivum personae*, praeter *mea* cet. Recte, sed nihil addunt de *re*, *quae prodest*, *woran gelegen ist*. Turbat hic vernacula, utens substantivo, v. c. *es liegt mir viel an Büchern*,

chern, *an des Vaters Gesundheit;* quae verti debent: *magni mea interest habere libros, patrem esse sanum:* non: *libris, sanitate patris.* Omnino *res*, quae *prodesse* dicitur, *woran gelegen ist*, nunquam per casum substantivi, sed per *infinitivum*, per *accus.* cum *infinitivo*, per *an*, per *utrum* seq. *an, quis, quid; quomodo, quando, ubi* cet. exprimi debet: v. c. *nihil tua interest, an hoc scias*, cet.

IX) *Eo, pridie* cet. dicunt regere genitivum. At 1) debebat addi *eo* hic esse *ad eam magnitudinem*, s. *tam longe* v. c. *eo doctrinae processit* pro *tam longe in doctr.* cet. *hat es so weit in der Gelehrsamkeit gebracht.* 2) *pridie eius diei* legitur ap. Cicer. et Caes. Quando vero aliud substantivum additur, de sententia doctorum rectius accusativo iungitur, v. c. *pridie Calendas Maias.*

X) Nonnullis adverbiis *loci* et *temporis* iungi dicunt genitivos *terrarum, loci, temporis:* at non frustra. Nam si *interea temporis* excipis, cetera, v. c. *ubique terrarum, ubi locorum, minime gentium* cum gravitate quadam dicuntur.

XI) De verbis *activis*, s. potius *transitivis* (nam *neutra* etiam *actionem* notant, at intransitivam) discunt vulgo pueri: *omnia Activa regunt accusativum.* At hoc iis parum prodest, quia *Activa* nondum norunt, praeter paucula, v. c. *amo, doceo, lego, audio.* Melius si res traditur 1) *Quaecunque verba accusativum regunt, ea sunt passivo toto instructa, et vocantur activa* s. melius *transitiva;* hinc *amor, amaris, amatus, amandus; iuvor, iuvaris, iutus, iuvandus.* Quae contra non regunt accusativum, ea non habent totum passivum, h. e. habent tantum in passivo tertiam personalem terminationem (vulgo personam) singularis generis neutrius, impersonaliter explicandam: v. c. *parcitur, man schont* cet. Hinc non dico *parcor, parceris,* sed *parcitur mihi, tibi* cet. sic non *parcendus*, sed *parcendum.* Haec obser-

vatio

vatio multum iuvat in gerundio mutando in participium: V. c. quia verba accuſativum regentia habent paſſivum totum, hinc pro *cupidus ſum legendi libros* dici poteſt *cupidus librorum legendorum:* at non *cupidus parcendi inimicis* mutari poteſt in *parcendorum inimicorum:* quia non accuſativum regit. 2) poteſt vero illa regula quoque inverti: *Verba, quae paſſivum totum habent, et de quibus* v. c. *prima vel ſecunda vel etiam tertia* (ſed non *imperſonaliter* explicanda) *terminatio perſonalis* (vulgo *perſona*) *paſſivi reperitur*, v. c. *adiutus ſum*, cet. *ea regunt accuſativum, ſuntque ita activa*, ſ. *tranſitiva.*

XII) *Oportet* aiunt regere accuſativum perſonae et infinitivum rei. Rectius ſic: *Oportet* eſt i. q. *opus eſt;* ergo proprie *ut* ſequitur, ut in vernacula *daß*, v. c. *es iſt nöthig, daß der Vater ſchreibe*, ſed iſtud *ut* abiicitur plerumque, et vel nominat. cum coniunctivo ſequitur, vel nominativus in accuſat. cum infinit. mutatur, v. c. *oportet pater ſcribat*, et *patrem ſcribere:* poſterius pertinet ad caput de accuſ. cum infinit.

XIII) *Interrogationes* illae: *womit, wodurch, wovon, wornach* cet. propter quas ablativus poni dicitur, ſunt, praeter pauculas, valde indefinitae: nam v. c. 1) *wodurch* non ubique ablativum regit, v. c. *durch Schleſien reiſen:* 2) *woraus, wovon, worin* raro ablativum permittit, quis dicat v. c. *urbe eſſe* pro *in urbe* cet. 3) *wornach:* v. c. *nach Tugend ſtreben, begierig ſeyn*, quis dicat *virtute oppetere, cupidum eſſe?*

XIV) Poſt *comparativum* aiunt, omiſſo τῷ *quam*, ablativum poni poſſe, idque eleganter. At not. 1) non *eleganter*, ſed *uſitate:* 2) haec mutatio non locum habet ubique, ſed tantum in caſu *ſubiecti* (quod in vernacula ſemper eſt nominativus), v. c. *tu doctior es patre* i. e. *quam pater:* ſic *ſcio te doctiorem eſſe patre* i. e.

i. e. *quam patrem.* At dicere nequeo: *sum cupidior virtutis doctrina* pro *quam doctrinae.*

XV) *Accusativus* cum *infinit.* pro vernaculo *nominativo* cum *indicat.* vel *coniunctivo* ponitur, ubi vernacula habet *daß*; atque ita particulae, illud *daß* exprimentes, ut *an*, (si vernaculum *ob* est i. q. *daß*) *quin*, *ut* et *quod*, omittuntur. Hic

1) Prius scire debes, ubi *an*, *quin*, *ut*, *quod* poni debeant:
   a) *an* ponitur post *dubito*, *dubium est* cet. estque nostrum *ob.*
   b) *quin* ponitur post *non dubito*, *non dubium est* cet.
   c) *ut* ponitur 1) post vocabula comparativa, *ita*, *sic*, *tantus*, cet. 2) post verba et phrases, quae causam sequentis enuntiationis continent, seu, quae efficiunt vel efficere possunt, ut res sequens fiat: v. c. *volo*, *rogo*, *opto*, *hortor*, *moneo*, *suadeo*, *impello*, *impero* cet. it. post *utile est*, *aequum est*, *adcidit*, *fit*, *contingit*, *evenit*, *sequitur* cet.
   d) *quod* proprie ponitur vel poni debebat post verba et phrases, quae non continent causam sequentis enuntiationis, h. e. 1) post verba *sensuum* et *mentis*, v. c. *cogito*, *iudico*, *opinor*, *scio* cet. it. *certum est*, *adparet* cet. 2) post verba *adfectuum*, 3) post verba, quibus alicui aliquid indicamus, v. c. *dico*, *scribo*, *nego* cet. it. *nuntius est adlatus* cet.
2) ipsa mutatio est tenenda. Nam interdum accusativus cum infinit. poni debet, interdum poni tantum potest, interdum poni non debet. Nempe
   a) pro *an* post *dubito*, *dubium est* ubique accus. cum infin. poni potest, quia *an* respondet nostro *daß*. Rectum ergo utrumque.
   b) pro *quin* post *non dubito*, *non dubium est*, accus. cum infin. ponere licet. Vtrumque ergo rectum: sed *quin* forsan est usitatius.
   c) *ut* est varia conditione:
      1) semper manere debet post *ita*, *sic*, *talis*, *tantus* cet. it. post *is* pro *talis*: it. post verba *faciendi*, *suadendi*, *rogandi*, *impellendi*, *hortandi*, *monendi*, *cogendi*, *imperandi*, (praeter *iubeo*): it. post *adcidit*, *fit*, *contingit*: ubi interdum vernacula *rò daß* omittit, v. c. *suadeo*

deo tibi, ut facias, ich rathe dir es zu thun, contigit mihi, ut te viderem, ich habe das Glück gehabt, dich zu sehen cet. Not. a) Cic. tamen Arch. 3. dixit: *contigit ei antecellere* pro *ut antecelleret:* quod non imitandum: b) inter verba *imperandi* excipitur *iubeo:* quod fere semper post se habet accusativum cum infinitivo, v. c. *iussit me venire:* interdum tamen sequitur etiam, omisso τὸ *ut*, coniunctivus, v. c. *iube veniat, laß ihn doch kommen.* c) inter verba *imperandi* pertinent *dico, scribo* cet. si vim *imperandi* vel saltem *voluntatis* habent, v. c. *dic, scribe ei, ut veniat, sag ihm, daß er kommen solle.*

2) post *velle, cupere, optare, pati,* liberum est vel *ut* ponere vel accusat. cum infinitivo: sic et post *aequum est, oportet, necesse est, sequitur,* v. c. *volo te venire* et *ut venias; oportet rem fieri* et *res fiat* (sine *ut*).

d) *quod* semper abiicitur et in accus. cum inf. mutatur, nisi est particula causalis h. e. cum *quia* commutari potest, aut respondet simul nostro *was das anbelangt, daß.* Tum enim et *quod* rectum est. Ergo

1) post Verba *sensuum* et *mentis,* v. c. *video, puto, iudico, certum est, notum est* cet. it. post verba *significandi,* v. c. *dico, scribo, nuntio, fateor, nego* cet. it. post *nuntius* cet. semper *quod* abiici et accusativus cum inf. poni debet. Not. a) Hic usus non debet vocari *elegantior:* nam *quod* plane falsum est. b) Perizonius ad Sanct. docuit, priscos *interdum* et *quod* dixisse; at quia hoc *interdum* fecere, regula esse nequit. c) *dico, scribo,* si imperandi vel voluntatis vim habent, non huc pertinent, sed ad verba *imperandi:* ergo *ut* sequi debet. d) anomaliam interdum apud priscos nemo miretur; v. c. *adde quod:* sic *adcedit ut,* pro *quod:* sic post *verum est* sequitur *ut* Nep. Hann. I. in. sic et post *verisimile* occurrit interdum *ut,* v. c. Cic. Rosc. Am. 41. *Non est verisimile, ut Chrysogonus — adamarit:* cet.: nisi hic *ut* per *quemadmodum* explicare velis, ut Cic. Rosc. Am. 24. in. *Videtisne, — ut eos agitent furiae* cet. et alibi: sed forsan non opus.

Not. interdum pro *accus.* cum *inf.* ponitur *nomin.* cum *infin.* vel potius solus infinitivus. 1) sic semper post *videor, dicor, feror,* v. c. *pater dicitur (videtur) esse doctus;* hic enim est ordo, non: *dicitur (videtur) pater*

pater esse doctus: ergo infinitivus pendet a *dicitur, videtur* ex regula: *quando duo verba concurrunt, posterius abit in infinitivum:* 2) sic interdum post nonnulla alia passiva, v. c. dici potest: *existimatur patrem esse doctum* et *pater esse doctus.* 3) Huc pertinet *cupio esse doctus*, quod dici potest pro *me esse doctum.* Not. in omnibus his formulis notanda est regula: *post esse poni debet casus, qui praecessit:* ad hanc ista et alia exempla sunt exigenda; v. c. *dicunt regem esse bonum, rex dicitur esse bonus: pater cupit esse doctus: cupio* (ego) *esse doctus*, ubi in *cupio* latet *ego:* sic *licet mihi esse otioso*, ubi et dicere licet *mihi licet esse otiosum.*

2) De verbis *adfectuum* res ita facile tenetur. Sunt quatuor eorum genera, *gaudium, dolor, spes, metus.* Iam

a) post verba *gaudendi* et *dolendi* poni potest et *accusat.* cum *infinitivo*, et *quod;* quia *quod* hic est i. q. *quia*, v. c. *gaudeo te valere*, et *quod vales:* not. non *valeas:* nam *quod* non poscit coniunctivum.

b) post *spero*, *spes me tenet* cet. poni debet accus. cum infinitivo: not. *futurum infinit.* poni debet, si de re futura sermo est, licet vernacula saepe *praesens* ponat, v. c. *Ich hoffe morgen meine Eltern zu sehen, spero, me cras visurum esse parentes*, non *videre.*

c) verba *timendi* non huc pertinent: hic enim *ne* significatione adfirmativa *daß*, et *ut* s. *ne non* notione negativa *daß nicht* ponitur. Rarior est accus. cum infin.

XVI) De usu *infinitivi*, sine praeced. accusativo subiecti, regula illa: *duorum verborum concurrentium posterius in infinitivo ponitur*, arctioribus limitibus includenda est. Non enim v. c. dicere possum: *impellor scribere:* sed post certa tantum *verba* infinitivus poni potest ac debet, v. c. *volo, nolo, malo, cupio, conor, tento, audeo, studeo, cogito, possum, queo, nequeo, obliviscor, debeo, coepi, incipio, constitui, statuo beschließen, soleo, consuevi, cogor;* it. post *habeo* i. e. *debeo* occurrit, v. c. *habeo dicere* ap. Cic. quod proprie graecum est. Poetae etiam post *parco, fugio* po-

nunt: v. c. *fuge quaerere* cet. Sed poetas hic non curamus. — Ceterum tironi cautio est adhibenda, ne casum aut infinitivum putet regi a verbo, a quo non regitur, v. c. 1) *pater putatur doctus, videtur sapiens*, ubi *doctus*, *sapiens* non a *putatur*, *videtur*, sed ab omisso *esse* regitur: debebat enim proprie esse *putatur esse doctus*, *videtur esse sapiens*, ut alibi dicitur: sic *urbem putant magnam*, *credunt te doctum*, *halten dich für gelehrt*, ubi intell. *esse*; est ergo accus. cum infinitivo. 2) in primis notanda est formula: *humanum est errare*, ubi *errare* non ab *est* vel ab *humanum* pendet, sed ordo est: *errare est humanum*; ergo *errare*, ut omnes tales infinitivi, est subiectum s. nominativus praecedens suo verbo. Sic *dulce est pro patria mori*, ubi *mori pro patria* est *subiectum*: sic *patris officium est alere liberos*, ubi ordo est: *alere liberos (die Ernährung der K.) est offic. patris*: hinc patet, cur non *alendi* dici possit.

XVII) De usu *indicativi* et *coniunctivi*. Indicativus ponitur, ubi vel de re certa simpliciter dicitur, vel nulla particula coniunctivum regens praecedit, vel alia contextus ratio hunc *modum* non postulat. Hic not. particulas: *etsi*, *tametsi*, *quamquam*, *si*, *nisi*, *antequam*, *simulac*, *quamvis* (i. e. *quamquam*) non per se coniunctivum regere, sed indicativum. At contextus ratio efficere potest, ut eae, aliaque vocabula, v. c. *quando*, *ubi*, *qui*, *quis* cet. cum coniunctivo coniungantur: tum ergo coniunctivus non ab ipsis, sed a contextu pendet.

A) *Coniunctivus*, (s. *subiunctivus*, s. *potentialis*) ponitur *per se* h. e. non praefixa particula eum regente, quando de re, tanquam incerta, h. e. tantum *possibili*, *credibili*, *optabili*, vel *concedenda* dicitur, v. c. *dicat aliquis*, *es möchte*, *dürfte*, *könnte jemand sagen*, vel *es mag jemand immer sagen*: *sit innocens, er mag, möchte unschuldig seyn* cet. Interdum praefigitur hic particula,

la, per se indicativum regens, v. c. *si quis dicat, wenn jemand sagen möchte: quanquam nesciam, ob ich gleich nicht wissen möchte* cet.

β) *Subiunctivus* (*Coniunctivus*) post certas particulas ponitur, quarum natura hunc modum postulat: hae sunt: *ut daß, ne, quo, quin daß nicht, utinam, o! si, licet, quasi, cum* causale, *quamvis* i. e. *quantumvis, utrum* et *an ob*, omnesque particulae interrogativae si extra interrogationem ponuntur, atque ita τὸ *mag, möchte* vel adest vel cogitari potest, it. *qui* pro *ut* vel *cum*.

1) *Vt* i. e. a) *daß, damit:* b) *gesetzt daß*, ubi *fac* intell. v. c. *ut pater veniat, quid faciemus? gesetzt, der Vater käme* cet. *Vt desint vires, tamen est* cet. *gesetzt auch, die Kräfte fehlten*, s. *daß die Kräfte fehlen sollten* cet. Male explicant per *quamquam:* haec vis non est τοῦ *ut:* et licet per *quamquam* interdum explicari possit, tamen nondum sequitur, *ut* notare i. q. *quamquam*. c) per *ne* explicatur post *timeo* cet.

2) *ne* i. e. *ut non*, nisi quod post verba *timendi* pro *ut* (*daß*) ponitur.

3) *quo* i. e. *ut, damit:* hinc *quo minus* pro *ne* post verba *impediendi;* ubi tamen *ne* etiam rectum est.

4) *quin* a) pro *ut non*, v. c. *non fieri potest, quin* cet. pro *ut non*, quod tamen etiam rectum: sic *parum abest, quin credam.* b) pro *quod non, daß nicht, weil nicht;* v. c. *suadeo tibi hoc, non quin sciam* cet. *nicht, als wenn (daß) ich nicht wüßte*, ubi et *quod non* rectum. Hinc *non dubito, quin* cet. explicari potest. c) pro *qui non*, v. c. *nemo est, quin sciat.* Not. cum hoc *quin* non confundi debet aliud *quin*, indicativum regens et significans a) *imo, potius*, b) *cur non?* in certis formulis *excitandi*, v. c. *quin curris?* cet.

5) *Vtinam* et *o! si*, cum sint particulae optativae, atque ita de re tantum possibili et optabili loquantur, subiunctivum aperte requirunt. *Vtinam* proprie est pro *uti* s. *ut, daß*, adiecto τῶ *nam*, ut in *quisnam* cet. Iam ut dicimus: *ut veniat! daß er doch kommen möchte*, sic *utinam veniat!* eodem sensu.

6) *licet* pro *quamquam* sumitur: nec male. At proprie est *Verbum* illud impersonale, intellecto *ut;* v. c. *licet*

dicas dictum est pro *licet ut dicas:* ergo coniunctivus proprie ab omisso *ut* pendet.

7) *quasi* pro *quam si* (*quam* est *als, wie*) coniunctivum postulare per se intelligitur, quia de re incerta et possibili loquitur. Not. Haec particula, si praesens praecessit, iungitur libenter vel praesenti, si de re praesenti sermo, vel perfecto, si de re praeterita dicitur, cum contra vernacula, si de re praesente sermo, imperfecto, et, si de praeterita, plusquamperfecto utatur; v. c. *taces, quasi nihil scias, als wenn du nichts wüßtest, taces, quasi nihil audiveris, gehört hättest;* male *scires, audivisses.*

8) *quum*, s. *cum*, causam notam vel ante declaratam et concessam indicans, nostroque *da* respondens: v. c. *Quae cum ita sint* cet. male: *sunt.* Not. vulgo dicunt *cum* esse a) i. q. *quia;* male: nam etsi interdum cum eo commutari possit, tamen ab eo differt h. e. plus indicat; nec ubique cum *quia* commutari potest: v. c. quis pro *rides, quia es stultus*, dicat: *rides, cum sis stultus;* b) i. q. *etsi:* male: nam quanquam interdum *cum, si tamen* sequitur, per *etsi* explicare licet, quia nostrum *da doch* interdum cum *obschon* commutatur, tamen hoc non ubique licet, v. c. quis dicat: *hic mitto tibi librum, cum sciam, te eum legisse* pro *etsi scio?* Patet hinc *cum* non esse plane i. q. *quia, etsi.* Cum vero in omnibus locis, ubi *cum* per *quia* vel *etsi* explicant, per *da* explicari egregie possit, non video, cur notiones vocabulorum augeamus. Ceterum ab isto *cum* differt adverbium *cum wann*, de tempore usurpandum, et indicativum regens: v. c. *gaudeo, cum te video:* nisi quod etiam *imperfectum* et *plusquamperfectum coniunctivi* sequi potest.

9) *quamvis* i. e. *quantumvis, wenn auch noch so*, coniunctivum regere per se clarum est, quia non nisi de re incerta et possibili usurpari potest, v. c. *homo, quamvis sit doctus, tamen discere debet* i. e. *wenn er auch noch so gelehrt wäre.* At *quamvis* est etiam simpliciter i. q. *etsi:* tum indicativum per se regit, nisi vel de re incerta sermo est, vel coniunctivus aut accus. cum infin. praecessit.

10) *An* i. e. *ob:* et *utrum* s. *ne* i. e. *ob*, seq. *an;* v. c. *nescio, an librum noris: nescio, utrum legam an scribam.* Et omnino omnia vocabula interrogativa, v. c. *quis, quid, ubi*

ubi cet. si non directe interrogant, h. e. si qua enuntiatio praecessit, iunguntur coniunctivo, v. c. *dic, quid velis, was du willst, unde veneris* cet.

11) *dum, donec, quoad*, si exprimunt vernaculum *bis*, regunt indicativum et coniunctivum; sin notant i. q. *quamdiu*, indicativum.

12) *qui, quae, quod* coniunctivum postulat a) post *esse, reperiri* et similia (de sententia nonnullorum philologorum), si haec verba praedicati personam induunt, atque ita *qui* cum sua enuntiatione subiecti vim habet; v. c. *est, qui dicat, der spricht:* sic *sunt, qui narrent, es gibt Leute, welche erzählen; fuerunt, qui dicerent;* b) quando pro *ut is, ut ego, ut tu* cet. ponitur, v. c. *misit aliquem, qui nuntiaret:* in primis post *dignus*, v. c. *pater est dignus, qui ametur: virtus est digna, quam ames: sum dignus, cui obtemperes* pro *ut mihi: es dignus, quem amem* i. e. *ut te: estis digni, quorum libri legantur* i. e. *ut vestri* cet. sic semper *qui* pro *ut* post *dignus* ponendum, nisi iam *qui* praecessit, v. c. dicendum: *novi hominem, qui dignus erat, ut amaretur*, seu *qui ut amaretur dignus erat.* c) quando pro *cum ego, cum tu, cum is* cet. ponitur, v. c. *quid me laudas, quem ne noris quidem?* pro *cum me* cet. sic *miror te librum spernere, quem ipse dixeris esse pulchrum* pro *cum eum ipse* cet.

C) Omnes aliae particulae per se non, coniunctivum regentes, v. c. *etsi, tametsi, cum wenn, si, ut wie, quod weil, dum indem, so lange, quamvis obschon* cet. it. *qui* h. e. simpliciter *welcher*, triplicem ob causam coniunctivo iungi solent:

1) quando de re *incerta, possibili, optabili*, vel *concedenda* sermo est, v. c. *etiamsi quis dicat, wenn auch jemand sagen sollte: parentes sunt colendi, etiamsi sint duri, wenn sie auch hart seyn sollten: quanquam vix credam, ob ichs gleich kaum glauben möchte: cum videam, wenn ich sehen möchte, sollte* cet.

2) quando *coniunctivus* statim praecessit, et enuntiatio, cui una illarum particularum praefixa est, cum illo arcte cohaeret: v. c. *rogo te, ut facias, quae possis:* hic *quae* habet coniunctivum, ob *facias;* sic *rogo te, ut, quamquam sis adolescens, tamen mortem cogites:* hic *quam-*

quam iungitur coniunctivo ob *cogites:* sic *ratio nos monet, ut, cum sani simus* (gesund sind), *mortem cogitemus* cet.

3) quando *accusativus cum infin.* praecessit: v. c. *decet sapientem ita vivere, ut loquatur, wie er redet:* hic *loquatur* ponendum ob *sapient. vivere:* sic *scio, te, si quid scias, tacere solere: credo patrem, quia non scripserit, mox reversurum:* ubi *scripserit* est ob *patr. revers.*

XVIII) De *gerundiis* notetur:

1) *gerundium* est proprie neutrum participii futuri: hinc a) etiam verba, passivo toto atque ita participio fut. pass. carentia, tamen gerundium habent; cf. supra XI. b) gerundia usurpantur, ut adiectiva neutra, si sine substantivo adhibentur; v. c. ut dico *est bonum, es ist gut*, sic *est amandum* cet. ut vero, addito substantivo, adiectivum se adcommodat ad eius genus, v. c. *liber est bonus*, sic *liber est legendus.*

2) de *gerundiis* tria notes: a) unde regantur, b) quid regant, c) quomodo cum participiis suis commutentur.

a) *gerundia* reguntur eodem modo, quo adiectiva neutra, v. c. *est amandum* in Nomin. dicitur, ut *est bonum*, quia *est* nominativum regit: Genit. *amandi* regitur a vocabulis genitivum regentibus, v. c. *cupiditas amandi, cupidus amandi:* sic ceteri casus, v. c. ut dico: *par oneri*, sic *par ferendo*, quia *par* dativum requirit: Accus. regitur a praepositionibus, v. c. ut dico *impellor ad virtutem*, sic *impellor ad scribendum:* Ablat. v. c. ut dico, *in virtute est suavitas, virtute felices reddimur*, ita *in discendo est suavitas, docendo discimus.*

b) *gerundia* regunt casus sui verbi, quia sunt eius partes: v. c. *cupidus discendi literas, parcendi inimicis, utendi tempore: par sum ferendo onus: impellor ad scribendum literas: discendo literas: in amando deum est suavitas.*

c) *gerundium*, si substantivum additur, longe frequentius a priscis commutatur cum toto participio futuri passivi, si fieri potest, h. e. si totum participium fut. pass. adest. Id quod fit tali modo: substantivum in casu eo, in quo gerundium erat, ponitur, et participium, more adiectivorum, adcommodat se ad eius

numeros, casus, genus; v. c. pro his formulis: *sum cupidus discendi literas, scribendi epistolam; par sum ferendo onus; impellimur ad amandum virtutes, discendo linguam, in scribendo epistolam*, dicitur: *sum cupidus literarum discendarum, epistolae scribendae; sum par oneri ferendo; impell. ad virtutes amandas; lingua discenda, in epistola scribenda.* Sic et nominat. v. c. *liber est legendus, literae sunt scribendae.* At not.

a) haec permutatio locum habet nonnisi in verbis accusativum regentibus, v. c. *lego, sequor* cet. quia haec, ut supra (XI) diximus, sola habent particip. fut. pass. In ceteris gerundium manet: v. c. dicere cogor: *sum cupidus parcendi inimicis* (non: *inimicorum parcendorum*), *utendi tempore* (non: *temporis*); sic *utendo occasione*, non *utenda* cet. sic in nomin. *utendum est tempore, fruendum est voluptate, parcendum est inimicis* cet. Nec tamen negandum, apud priscos occurrere quoque participia *fruendus, utendus* cet. v. c. *omnia utenda* Cic. Verr. II, 18.

b) usus participii pro gerundio non debet vocari *pulchrior*, sed tantum *usitatior*. Nam prisci et gerundio utuntur interdum, ubi cum participio commutare licebat, v. c. *consectando praedones* ap. Nepot.

c) saepe etiam rectius est gerundium poni, etsi in participium converti possit, v. c. *cupidus sum multa discendi, hoc faciendi*, rectius dicitur quam *multorum discendorum, huius faciendi*, (ia *multorum* et *huius* possit etiam pro masculino haberi. Regula hic est perspicuitas.

XIX) De ceteris participiis, si iis uti voles, notes: a) semper *duae enuntiationes* adesse debent, tam arcte connexae, ut altera sit alterius causa vel antecedens vel alia quaedam determinatio: hanc causam vel determinationem indicant praefixa vocabula *qui, ubi, dum, postquam, quando* cet. b) quaeritur, utra in participium abeat? ea, quae prius cogitatur vel istam determinationem continet: c) participia debent idem tempus exprimere, quod verbum mutandum exprimebat: d) participia habent naturam adiectivorum h. e. se adcommodant ad casum, numerum, genus substantivorum suo-

rum: e) ablativi consequentiae fiunt, si ambae enuntiationes duo diversa subiecta habent. Haec summatim: nunc adcuratius:

A) *De participiis, quatenus ambae enuntiationes unum subiectum commune habent:* hic

1) participium ponitur pro *qui* cum suo verbo finito. Hic usus est facillimus: ab hoc incipiendum: imo omnia participia, praeter ablativos consequentiae, fiunt abiectione pronominis istius h. e. omnes istae particulae, *quando, dum,* cet. non abiici possunt, nisi per *qui* quodam modo explicari possint, praeter ablat. conseq. v. c. pro *homo, qui amat,* dicitur *homo amans:* si pro *hominis, qui amat* fit *hominis amantis* cet. Not. a) si pro substantivo *is* h. e. *derjenige* subiectum est, hoc abiicitur, quia iam in participio latet, v. c. *amans deum est felix* non *is amans* cet. at si *is* est relativum, *derselbe,* manere potest: b) *homo, qui a deo amatur,* non potest in participium abire, nec hoc: *homo, qui deum amavit;* quia activum caret participio perfecti et passivum participio praesentis, nisi vis Verbum deponens quaerere, v. c. *amore complecti* pro *amare,* et *amore frui* pro *amari:* nunc potes dicere: *homo dei amore fruens,* et *homo deum amore complexus.*

2) participium ponitur et pro *si, quando, quia.* At hoc fit tantum, si hae particulae simul per *qui* quodam modo explicari possunt: v. c. *homo, si deum amat, est felix* et *homo, quia deum amat, est felix* potest ita efferri: *homo deum amans* cet. quia parum refert, utrum *amans* hic explices per *qui,* an per *si,* an per *quia.*

3) participium et ponitur pro particulis *dum, cum, postquam:* at tantum, ubi hae per *qui* quodam modo explicari possunt: v. c. *pater, dum loquebatur, moriebatur,* mutatur in: *pater loquens moriebatur,* quia *moriens* et explicari potest *qui moriebatur.* Sic *gaudeo te videns* pro *cum video te,* est i. q. *ego, qui te video, gaudeo.*

4) dicunt et participium *poni* pro *et:* sed hoc non fit, nisi per *dum,* vel *postquam,* atque ita per *qui* quodam modo explicari potest: v. c. pro *legebat librum et statim remittebat* dicere licet: *lectum librum remittebat.* At hoc proprie dictum est pro: *librum, postquam* vel *qui lectus*

lectus erat sc. ab illo, *remittebat*, sic *libro lecto abiit* pro *librum legebat et deinde abiit.* At non pro *edo* et *bibo* dicere possum *edens bibo.*

B) De *participiis, quatenus ambae enuntiationes diversa subiecta habent*, s. *de ablativis conseq.* haec teneas. Quando duae enuntiationes ita iunguntur, ut singulae habeant suum subiectum, ea, quae prius cogitatur, vel particulam *dum, cum, postquam, quando* cet. in fronte gerit, debet, si quidem in participium convertere placet, in ablativo poni, v. c. pro: *Postquam pater profectus erat, venerunt amici*, dicitur: *patre profecto* cet. Sic pro *dum scribebam, moriebatur pater*, dicitur: *me scribente* cet. Vnum exemplum ponam, ex quo tiro facile discat, ubi ponere debeat ablativos conseq., ubi non: *Sole oriente luna fugit:* et: *sol oriens fugat stellas:* utrumque vertitur: *wenn die Sonne aufgeht* cet. at in priori est duplex subiectum, in posteriori unum. Not. Ablativi conseq. possunt brevitatis causa interdum in alios casus converti pendentes vel a *nomine* vel a *praepositione* vel a *verbo;* v. c. pro: *Patre mortuo, eum sepelivimus* dicitur: *patrem mortuum sepelivimus:* sic pro: *patre mortuo, eius libros vendidimus* dicitur: *patris mortui libros* cet. Addamus adhuc haec:

a) qui participia nonnisi per abiectionem istarum particularum ponere potest, is nondum eorum valde peritus est: nam et alibi poni possunt, v. c. pro substantivis: v. c. *Bey Erblickung des Vaters ging ich* cet. *viso patre*, vel *videns patrem ibam* cet. sic pro: *in consideratione huius rei miror* cet. dicitur: *considerans hanc rem*, vel: *in considerandа hac re* cet. *Bey seinem Sterben sagte er, sprach ich, sagte ich zu ihm, moriens dicebat, moriente illo dicebam, morienti illi dicebam.*

b) plura participia eiusdem casus non fere iungi debent, nisi interventu copulae *et, ac*, cet. Peccavit hic Caesar B. G. IV, 24. in. *At barbari, consilio romanorum cognito, praemisso equitatu — subsecuti — prohibebant.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0127
DFG

bant. Debebat dicere: *consilio — cognito, postquam equitatum praemiserant*, vel: *At barbari, postquam consilium — cognoverant, praemisso equitatu* cet. Sed participia diversorum casuum bene iunguntur, v. c. Caes. B. G. IV, 25. *Atque nostris militibus cunctantibus — contestatus deos — inquit.*

c) interdum participia non sunt in usu, vel raro occurrunt, v. c. *dans, fans, ignoturus*, et alia rariora, quibus abstinendum.

Quaeritur hic, an participiis ubique utendum sit? Non. Variare enim etiam decet. Quaeritur ergo, cur et quando adhibenda?

a) ob *variationem*, quae est mater suavitatis.

b) ob *brevitatem*, quae et ipsa est mater suavitatis. Hinc in narrandis multis rebus apte adhibentur: hinc historici crebro iis utuntur et crebrius quam oratores. Male ergo nonnulli eorum usum inter praecipuas venustates referunt, v. c. Heinecc. fund. styli p. 75. Nam qui dicit: *homo, qui deum amat, est felix*, ab dicente, *homo deum amans* cet. non differt in sententia: uterque idem dicit: at posterior brevius loquitur.

c) ob *perspicuitatem;* v. c. *homo alios peccantes vituperans debet ipse vitiis carere*, non tam moratur lectorem, quam: *homo, qui alios, qui peccant, vituperat, debet* cet.

d) ob *suavitatem;* quia sic repetitio eiusdem syllabae vel verbi vitari potest, v. c. *cum exercitus, Alpibus traiectis, in Italiam veniisset*, suavius dicitur quam *cum exercitus Alpes traieciisset et in Italiam veniisset;* quia duplex *iisset* evitatur. Sic: *homo alios peccantes vituperans debet ipse vitiis carere*, vel *homo, qui alios peccantes vituperat, debet* cet. est suavius, quam: *homo, qui alios, qui peccant, vituperat* cet. quia repetitio *qui* evitatur.

Quaeritur, quando et cur abstinendum participiis?

a) in *re gravi*, ubi copiose, non breviter, saepe loqui decet: gravitati copiam dicendi, v. c. circumscriptionem, prodesse infra dicetur.

b) ob *perspicuitatem*, v. c. *hominem deum amantem;* non dixerim pro: *hominem, qui deum amat:* quia homi-

hominem deum amantem possit explicari: *deum, qui homines amat.*

c) ob *suavitatem*, v. c. *homines virtutes amantes* iniucundum est ob repetitionem syllabae *es*.

XX) Addamus quaedam de verbi *terminationibus personalibus*, quas vulgo *personas* perperam vocant, et *temporibus*:

A) de *terminationibus personalibus*:

1) *qui, quae, quod* eandem terminationem personalem postulat, quae praecessit, si scil. ad eam refertur, v. c. *non ego is sum, qui omnia sciam*, non: *sciat*: sic: *tu non is es, qui nobis imperare possis*, non *possit*: licet vernacule dicatur: *der uns befehlen könnte* s. *kann*. Sic: *non ii sumus, qui omnia sciamus*, non: *sciant* cet.

2) in *enuntiationibus universalibus*, vernacule incipientibus per *man*, v. c. *man sagt* cet. vel tertia terminatione personali passivi, vel secunda activi, vel prima pluralis, vel tertia pluralis poni potest: at non ubique temere. *Tertia* passivi ubique convenit, si quidem eam habemus. At a) *secunda* in epistolis cum cautione usurpanda est, ne amicus legens epistolam rem putet ad se pertinere; at in libris ea uti recte licet, v. c. *turpe est, quae didiceris, ea oblivisci, was man gelernt hat*: b) *prima* pluralis non usurpari a nobis potest, nisi res talis sit, ut eius participes simus, vel esse credamus aut velimus. Ineptum foret v. c. *refutabimus ea, quae vulgo dicimus, was man insgemein sagt*: c) *tertia* pluralis in nonnullis tantum verbis usitata est, ubi per usum loquendi intelligitur *homines*, v. c. *aiunt, dicunt, ferunt, perhibent*: it. interdum *putant, credunt* cet. praesertim si addatur *vulgo*. At non facile dixerim propterea *dixerunt, dicent, man hat gesagt, wird sagen*. Notandum etiam, in qua terminatione personali inceperis, in ea pergere te debere in eodem contextu, v. c. *decet, quae scias, amicis tuis narrare: decet, quae sciamus, amicis nostris narrare.*

B) de *recto usu et consecutione temporum.*

1) de *temporum propria vi* et *usu proprio.*

a) *praesens* loquitur de re praesente: v. c. *si quis dicat, wenn jemand sagen sollte* scil. *nunc*. Sic *velim, ich wollte; veniat, er mag, möchte kommen; cum videam, wenn ich sehen sollte* scil. *itzt*.

b) *im-*

b) *imperfectum* loquitur de actione nondum finita sed adhuc durante: v. c. *legebam:* in primis not. *veniebam*, quod non ubique nostro *ich kam* respondet, quod de ipso adventu, iam facto, saepe usurpatur, v. c. *da er kam, sagte ich*, quod vertendum, *ubi venerat*, s. *cum venisset* cet. non *veniebat, veniret*, hoc enim indicaret, illum in via adhuc esse. Sed ut adpareat imperfectum de actione adhuc durante loqui, additur actio alia, quae simul fiebat, v. c. *dum scribebam, pater advenit.* Not. 1) Latinos tamen et saepe *imperfecto* pro *perfecto* usos esse negari nequit. 2) Vernaculum *würde* exprimi solet per *imperfectum coniunctivi*, v. c. *diceret* i. e. *er würde sagen.*

c) *perfectum* loquitur de actione plane finita, ita tamen, ut in eodem contextu non addatur, aliam secutam esse; v. c. *parentes venerunt* i. e. *adsunt.* Hinc narrantes hoc tempore libenter utuntur, cum narrare volunt, quid per se factum sit. Not. usi tamen sunt prisci *perfecto* ita, ut rem secutam addant simul, atque ita pro *plusquamperfecto*, v. c. Cic. ad Div. III, 10. in. *Cum est ad nos adlatum* cet.

d) *plusquamperfectum* indicat *plus*, quam *perfectum* h. e. loquitur non modo de actione finita, sed addit statim quoque aliam actionem, quae illam secuta est: et *haec* NB. est illud *plus:* v. c. *Cum pater venisset, dixit:* hic post *τὸ venisse* sequitur, eum *dixisse:* sic: *cum librum adcepissem, legi: cum hoc audivissem, laetatus sum:* ubi male vernacula: *da der Vater kam, da ich bekam, da ich hörte:* male ergo dicas: *veniret, adciperem, audirem*, nam si pater *dixit*, debet iam *venisse:* si librum *legi*, debeo eum *adcepisse* cet. Not. priscos tamen et *perfecto* pro *plusquamperfecto* uti, v. paulo ante.

e) *futurum* indicativi *simplex*, v. c. *amabo, amaturus sum* cet. loquitur de actione futura simpliciter h. e. ita, ut vel nulla alia actio addatur, v. c. *emam mihi libros*, vel talis tantum, quae cum illo simul fiat; v. c. *Quando libros mihi emam, a patre petam pecuniam.*

f) *futurum* in *ero*, v. c. *amavero, amatus fuero*, est 1) *futurum indicativi*, non *coniunctivi*, quod inde patet, quod particulas hunc regentes, v. c. *ut, ne, quin* cet. praefixas non habet. *Futurum coniunct.* est semper illud periphrasticum v. c. *amaturus sim.* 2) est deinde non

simplex

simplex futurum h. e. non loquitur fere de *actione futura* simpliciter, sed est *futurum exactum* s. *perfecto-futurum*, seu: comprehendit simul et *futurum* et *perfectum* (hinc a perfecto formatur) h. e. loquitur quidem de *actione futura*; at quia statim alia, quae post illam fiet, additur, illa respectu huius consideratur tanquam iam *perfecta* ac finita: v. c. *ubi librum legero, eum tibi mittam:* hic τὸ *legere* est per se res *futura*, ac respectu τοῦ *mittere* est *perfecta:* Hinc futura exacta, v. c. *fuero, amavero, amatus fuero* non debent disci *ich werde seyn, werde lieben, werde geliebt werden,* sed *ich werde gewesen seyn, werde geliebt haben, werde geliebt worden seyn.* Excipiuntur tantum ea, quae carent futuro simplici, v. c. *meminero, ich werde mich erinnern,* et *erinnert haben:* hic necessitas postulat. Vernacula interdum abit hic a latina, v. c. *wenn der Vater kommen wird, so werde ich ihm sagen,* pro *wird gekommen seyn:* it. *wenn du mir das Buch schicken wirst, so werde ichs lesen,* pro *wirst geschickt haben:* quae verti debent: *ubi pater venerit* cet. *ubi librum miseris,* non *veniet, mittes.* Nam pater debet iam *venisse,* si quid ei dicam, et librum debes *misisse,* si eum lecturus sum. Not. occurrit tamen apud priscos *futurum exactum* pro *futuro simplici,* v. c. *videro* i. e. *videbo,* Terent. And. II, 6, 25. Cic. Verr. IV, 16. et saepius.

Notanda hic sunt sequentia:

a) Latini in epistolis solent rem vel actionem praesentem, si mutationi obnoxia est, atque ita mutata esse vel praeteriisse potest, ante quam epistola amico reddita sit, imperfecto tempore exprimere, quia ob humanitatem non tam sui, quam eius, ad quem scribunt, rationem habent. v. c. *cogitabam cras proficisci,* non *cogito,* licet nostri: *ich gedenke* cet. quia consilium proficiscendi abiici potest: sic *aegrotabam,* non *aegroto;* quia morbus praeteriisse potest, ante quam epistola reddita sit: sic *homines narrabant, fama erat* cet. nostri: *die Leute erzählen, es geht ein Gerüchte.* At NB. praesens manet, si de rebus immutabilibus sermo est, v. c. *homines sunt mortales; Lipsia est urbs Saxoniae* cet. Contra Latini, si quid amico *mittunt, scribunt,* dicere in epistolis solent: *misi, scripsi;* non *mitto, scribo,* ut nostri: *Hier schicke ich, dieses schreibe ich,* quia se ad amicum adcommodant: qui

qui dum epistolam legit, illud iam *missum*, *scriptum* est.

b) Latini in narrando saepe utuntur *praesente* pro *perfecto*, v. c. *Caesar, re audita, statim consilium convocat, edicit* cet. pro *convocavit* cet. ut nostri: *ruft den Kriegsrath zusammen, gibt Ordre* cet. Fit hoc, ut res sensibus magis exponatur: quia sic narratur, tanquam nunc fiat et ante nostros oculos.

c) *Praesens* infinitivi pro *futuro* interdum occurrit, quia *futurum* deest, v. c. *spero, me hoc facere posse, werde thun können.* Rectius tamen est: *spero fore, ut facere possim.* Not. Attamen prisci etiam *praesente* infin. utuntur, licet *futurum* exstet, v. c. Cic. Verr. V, 25. *supplicium sumi de captivis putatur*, pro *sumtum iri:* sic Terent. Eun. III, 3, 14. *Sperat a me avellere* pro *avulsuram esse.*

d) Latini saepe *perfecto* coniunctivi pro *praesente* utuntur, v. c. *dixerit aliquis, es möchte jemand sagen:* pro *dicat;* quod aeque rectum est: sic *non dixerim*, et *non dicam, ich möchte es nicht sagen: si quis crediderit, negaverit* cet. et *credat, neget.*

e) in formula: *memini me dicere* pro *dixisse*, quod aeque rectum est, putant vulgo *praesens* positum esse pro *perfecto.* Male. *Dicere* hic est *imperfectum*, non *praesens:* nam 1) *meminisse* pertinet non ad *praesens* sed ad *praeteritum* tempus, 2) patet hoc ex locis priscorum, v. c. Cic. ad Div. III, 10, §. 19. *Ad me adire quosdam memini, qui dicerent* cet. e quo loco apertum est, Ciceronem τὸ *adire* habuisse pro *imperfecto*, quia sequitur *imperf. dicerent:* si habuisset pro praesente, deinde posuisset *dicant:* nam *praesens* post *praesens*, et *imperfectum* post *imperfectum* ponitur, ut statim docebitur.

2) de *temporum consecutione.*

a) post *ut daß, ne, quo, quin, qui, quae, quod* aliasve particulas solet, si vel *praesens* vel *futurum* praecessit, *praesens* poni: sin *imperfectum*, *perfectum* aut *plusquamperfectum* praecessit, sequi solet *imperfectum.* Haec in universum: ratio tamen simul propriae temporum notionis habenda: hinc nonnullae exceptiones occurrunt.

1) *praesens* post *praesens*, si scil. de re praesenti sermo est; v. c. a) post *ut: si adcidat, ut pater veniat, kommen sollte,*

sollte, non: *veniret*: *Si ista res efficiat, ut laudaris*, gelobt werden *sollteſt*, non: *laudareris*. *Velim, ut istud mox fiat*, non *fieret*. *Si fieri possit, ut rem consequar*, non *consequerer*, licet nostri: *wenns möglich wäre, daſs ichs erhielte*, ſ. erhalten *sollte*. *Nemo optet, ut hoc fiat*: sic et *nemo optaverit* i. e. *optet, ut hoc fiat*, non *fieret*; quia *optaverit* hic pro *optet* est positum: *si quis postulaverit* (i. e. *postulet*), *ut hoc dicam*, wenn jemand forderte, *sollte* cet. *Nemo est tam stultus, ut non intelligat*, nicht einſehn *sollte*. *Ita te amo, ut patrem magis amare non possim*, i. e. lieben könnte: sic *spero fore, ut fiat*: quia *fore*, ut *amare*, est et *praesens* et *imperf.* a *forem*. b) post *ne*: v. c. *timeo, ne pater veniat*: *si timeas, ne pater veniat*, wenn du fürchten *sollteſt*, daſs der Vater kommen möchte, non: *veniret*: sic: *non periculum est, ne bona tua perdas*, verlieren *sollteſt*, möchteſt: sic *non timuerim* (i. e. *timeam*), *ne res ita cadat*. Sic: *plura dicere nolo, ne credas* cet. c) post *quo*: v. c. *si quis me impediat*, (verhindern *sollte*) *quo minus scribam* (ſchriebe), non *scriberem*. *Putas te a me impediri, quo minus scribere possis*, ſchreiben könnteſt. d) post *quin*; v. c. *non dubito, quin pater hoc sciat*, wiſſen möchte: non: *sciret*: *quomodo dubitare potes, quin res omnibus nota sit*? nicht allen bekannt ſeyn *sollte*: sic: *multos esse puto, qui non dubitent, quin rem efficere possis*, non: *posses*: e) post *qui, quae, quod*; v. c. *multos esse puto, qui dicere audeant*, ſich unterſtehen *sollten*: *non credo, esse, qui dubitent*, zweifeln *sollten*, *qui nolint*, nicht wollten, nicht wollen *sollten*. f) post *quis, quid, an, ubi, cur, quomodo* aliasque particulas, si notio praesentis inest, v. c. *scio, quid cogites*, was du denkſt, denken magſt, möchteſt: *si quis quaerat, an hoc efficere possim aut velim*, ob ich dieſes thun könnte oder wollte: *mirari scribis homines, quomodo talia audere possim, quia non credibile sit, me* cet. wie ich ſolche Dinge wagen könnte, weil es nicht glaublich wäre cet.: *neminem amare possim* (könnte ich), *cum videam* (wenn ich ſehen *sollte*) *improbum esse*: sic: *scribis te mirari, quomodo filius tuus doctus fieri possit, si pecunia non abundet*, non: *posset, abundaret*, Ueberfluſs hätte: sic: *dicis non te posse habitare, ubi inimici tui habitent*, wohnten. — Exceptio. At *perfectum* vel *futurum* sequi debet, si de re *praeterita* vel *futura* sermo est, v. c. a) *perfectum*; v. c. *hinc sequitur*,

ut deus ista fecerit; opto, ut pater incolumis advenerit, mag angekommen *seyn: non dubium est, quin Augustus Virgilium magni fecerit:* sic: *sunt, qui dixerint, scripserint: scio, quid feceris, cur non veneris* cet. b) *futurum;* v. c. *hinc sequitur, ut Iudaei Iesum nunquam pro Messia habituri sint: Timeo, ne pater nimis cito redi turus sit: Non is sum, qui omnia visurus sim: dic mihi, quid acturus sis* cet. nisi forte *sit* cet. pro *praesente* habendum. Saepe etiam *imperfectum* et *plusquamperfectum,* si res poscit, v. c. *dic mihi, quid faceres,* thun würdest, *feciss es,* s. *facturus fuisses,* was du gethan hättest, würdest gethan haben.

2) *Praesens* post *futurum.* Sic a) plerumque post *ut, ne, quo, quin,* v. c. *rogabo patrem, ut scribat: per omnem vitam timebo, ne errem* s. *errare possim: Nunquam ad patrem scribam, quin addam aliquid* cet. daß ich nicht hinzufügen sollte. b) post *qui, quae, quod,* semper in his formulis: *erunt, qui dicant,* die sagen werden: *reperientur, qui credant,* glauben werden: *Non erit, quod fleas:* post *quis, quid, ubi, quando, an* cet. saepe h. e. ubi notio praesentis temporis adest, v. c. *cras videbo, quid agas, ubi habites* cet. Not. At *perfectum* debet sequi, si de re praeterita sermo est, v. c. *Cras necesse erit, rem istam perfeceris: Si pater cras non redierit, timebo, ne a latronibus occisus sit: Cras dicam tibi, quis hunc librum scripserit* cet. Saepe et *imperfectum* vel *plusquamperfectum,* si perspicuitas postulat, v. c. *dicam tibi, quid facerem,* was ich thun würde, *quid feciss em,* s. *facturus fuiss em,* was ich gethan hätte, würde gethan haben. Not. in formula: *sperabam fore, ut pater mox rediret,* non credendum est *imperfectum (veniret)* post *futurum (fore)* poni: nam *fore* non est futurum tempus, sed praesens vel imperfectum, a *forem:* prout contextus postulat; et hic est imperfectum, ob *sperabam.* Not. interdum et *futurum* post *futurum* poni potest, ob perspicuitatem, v. c. *si pater non cras redierit, timebo, ne nunquam rediturus sit: dicam tibi, quando reversurus sim* cet. nisi forsan *sim, sit* pro praesente habendum.

3) *imperfectum* post *imperfectum:* sic plerumque: v. c. *impediebas me, quo minus scriberem, dicebam ei, ubi esses,*

esses, quid sentires cet. sic: *audiebam eos laudari, qui sic dicerent:* not. *laudari* est *imperfectum*, quia ab *audiebam* pendet: sic *memini, te tunc ea dicere, quae vera essent;* non: *sint*, quia *dicere* est *imperfectum*. Sic: *sperabam fore, ut me amares*, non *ames*, quia *fore* est hic *imperfectum;* (At in *spero fore, ut me ames*, est *fore praesens*, ob *spero*) cet. Sequitur vero etiam *plusquamperfectum*, si idea rei postulat, v. c. *optabam, ut hoc nunquam accidisset: vellem, eum non vidisse: timebam, ne domus conflagrasset: Caesar non dubitabat, quin victoriam amisisset: sciebam, quid narrasset: sciebam homines, qui talia fecissent, graviter puniri:* hic *puniri* est *imperfectum* et praecedit τῷ *fecissent.*

4) *imperfectum* post *perfectum*. Sic plerumque, a) post *ut*, v. c. *impuli te, ut scriberes*, et sic post omnia verba *volendi, rogandi, monendi, hortandi, suadendi, permittendi*, it. post *utile fuit, necesse fuit, aequum fuit* cet. v. c. *persuasit mihi, ut facerem*, daßichs gethan habe, non: *fecerim: hortatus te sum, ut id faceres*, non: *facias*. Post cetera verba, *ut* post se poscentia, v. c. *efficere, facere, id consequi:* post *factum est, accidit, contigit, evenit;* post *tam, ita, sic, talis, tantus, adeo* cet. plerumque *imperfectum* ponitur, v. c. *pater effecit, ut dives existimaretur*, hats dahin gebracht, daß er für reich gehalten worden ist, non: *existimatus sit:* sic: *licet vera dixissem, tamen non effeci, ut homines mihi crederent*, habe es nicht dahin gebracht, daß sie mir geglaubt hätten, non: *credidissent*, sic: *doctrina tua effecit, ut ab omnibus laudareris*, gelobt worden bist; *Pompeius rebus gestis id adsecutus est, ut Magnus appellaretur*, genennt worden ist. Sic *factum est, ut pater praeter opinionem rediret*, zurück gekommen ist: *contigit mihi, ut homines meam sententiam sequerentur*, non: *secuti sint:* sic: *Oratio tua ita placuit, ut homines te valde admirarentur*, bewundert haben: *tot libros mihi misisti, ut non omnes legere possem*, nicht habe lesen können, non: *potuerim*. Haec recte: at saepe tamen quoque *perfectum* apud priscos sequitur, v. c. Cic. Arch. 5. *tanta diligentia fuit, ut ad Lentulum venerit:* sic Cic. Sull. 23: Mur. 5. in Ibid. 9. in. Haruſp. 25. Mil. 14. Deiot. 5. in primis apud Nepotem, v. c. Them. 4. *tam angusto mari conflixit, ut multi-*

tudo — explicari non potuerit pro *posset:* sic Nep. Ages. 5. Attic. 12 et 14. At *praesens* sequi debet, si de re praesente tantum sermo est, v. c. *hic bona sua ita dissipavit, ut nunc pauper sit,* non: *esset:* quia hoc foret: *dass er nun arm seyn würde:* sic: *hic tam pauca didicit, ut ne legere quidem sciat, lesen kann,* scil. *nunc,* non *sciret;* hoc ad tempus praeteritum pertineret: utrumque igitur rectum: *sciat,* et *sciret,* sed diverso sensu; illud ad *praesens,* hoc ad *praeteritum* tempus refertur. Hinc, si utriusque temporis, et praesentis et praeteriti, ratio habetur, utrumque ponendum est, v. c. *industria tua hoc consecutus es, ut ab omnibus laudareris et adhuc laudaris.* Interdum *perfectum* necessario (paulo ante monuimus, reperiri apud priscos etiam pro *imperfecto*) ponendum, v. c. *Cicero tam praeclare latine scripsit, ut consolationem* a Sigonio *editam vix scribere potuerit,* s. *scripserit, geschrieben haben kann, geschrieben hat.* It. *futurum,* v. c. *perfidia tua feci sti, ut nemo tibi in posterum fidem habiturus sit.* b) post *ne:* v. c. *timui, ne id adcideret,* non: *adcidat: dixi hoc, ne crederes* cet. At interdum *plusquamperfectum* poni debet, v. c. *heri valde timui, ne pater interfectus esset, möchte umgebracht seyn,* non: *interficeretur,* quod alium sensum pareret. c) post *quo,* v. c. *impeditus sum, quo minus rem celeriter conficere possem, gekonnt habe,* non: *potuerim.* d) post *quin,* v. c. *nunquam dubitavi, quin istam rem perficere posses,* non: *possis,* nec *potueris,* nec *potuisses;* sic: *Nemo adhuc dubitavit, quin deus esset benignus, gütig sey,* non *sit.* e) post *qui,* v. c. *fuerunt, qui dicerent, es hat Leute gegeben, die gesagt haben,* non *dixerint:* sic: *reperti sunt, qui crederent: dignus fuit, qui diutius viveret,* non *vivat: audivi, te librum scripsisse, qui nemini placeret, gefällt,* non *placeat.* Sed interdum *plusquamperfecto* utendum, v. c. *dicunt, libros combustos esse, quos emisses a Caio:* sic: *Catilina non is fuit, qui coram Cicerone tacuisset, nisi res fuisset aperta,* non *taceret:* si quis tamen *taceret* malit, non repugnaverim, quia interdum ita Cicero: f) post *quis, quid,* v. c. *sero cognovi, quis esset, wer er sey,* non *sit: scripsit mihi, quid ibi gereretur, was da vorgeht,* non *geratur: Dixi tibi, quid vellem, ich habe dirs ja gesagt, was ich will,* non *velim* vel *volo.* At *perfect.* vel *plusquamp.* de re *praeterita;* v. c. *dixi tibi, quid*

quid patri scripserim vel *scripsissem.* g) post *quam*, v. c. *iam perspexisti, quam praeclara esset virtus, wie vortreflich die Tugend sey*, non *sit.* At *perf.* vel *plusquamp.* de re praeterita, v. c. *dixit mihi, quam aegre tulerit, tulisset.* h) post *ubi, quando* aliasque particulas, v. c. *dixit mihi, ubi habitaret, ubi dormiret, esset* cet. *wo er wohne, schlafe, sey*, s. *wohnt, schläft, ist*, non: *habitet, dormiat, sit.* At, ubi res postulat, sequitur *perf.* vel *plusquamp.* v. c. *dixit mihi, ubi latuerit* vel *latuisset illo tempore* cet. Not. a) *memini, novi, consuevi* cet. quia praesentis vim habent, pro praesentibus habentur, non pro perfectis: b) *perfecta coniunctivi*, si pro praesentibus usurpantur, v. c. *dixerit aliquis, es möchte jemand sagen* pro *dicat*, non inter perfecta hic referuntur; hinc recte dicitur: *si quis me rogaverit* (i. e. *roget*), *ut veniam*, non *venirem: si quis ex me quaesierit, quid agam*, non *agerem.*

5) *imperfectum* post *plusquamperfectum:* a) post *ut*, v. c. *si tu homini suasisses, ut aliud consilium caperet*, non: *cepisset*, vel *capere debuisset:* sic: *nemo praeter te efficere potuisset, ut resp. liberaretur*, non: *liberata esset*, licet vernacula ita: *contigerat ei, ut dux eligeretur*, non: *electus sit, esset: ita ab omnibus amatus fueras, ut ardentius amari non posses*, non: *potuisses: hunc tibi gratiam retulissem, ut omnia, quae velles, tibi darem, gegeben hätte*, non: *dedissem: optaverant omnes, ut moreretur, sterben möchte;* at de re praeterita *plusquamperfectum*, v. c. *optaverant, ut mortuus esset, dass er gestorben wäre.* b) post *ne*, v. c. *timueram, ne ita res caderet.* c) post *quo*, v. c. *si me impediviſſes, quo minus rem perficerem*, non *perfeciſſem.* d) post *quin*, v. c. *nunquam mihi fuerat dubium, quin tibi essem carus*, non *sim, fuissem.* e) post *qui*, v. c. *fuerant, qui dicerent*, non *dixissent*, licet nostri: *die das gesagt hatten; si reperti fuissent, qui negarent, geläugnet hätten*, non *negassent.* f) post *quis, quid, cur, an, ubi* cet. v. c. *cum vidissem, qualis vir esset, ubi habitaret* cet. non *sit, habitet:* licet nostri: *was er für ein Mann sey* cet. At de re praeterita debet *plusquamperf.* sequi, v. c. *cum vidissem, qualis vir fuisset*, scil. *olim: quaesierat ex me, an rediisses:* non *esset, redires.* Ceterum non negandum, hanc consecutionem temporum a priscis non semper diligenter servatam esse. V. c. 1) *Imperfectum* saepe post *praesens* reperitur, plerumque

rumque tamen, ubi *praesens* pro *imperfecto* vel *perfecto* ponitur, v. c. Liv. II, 37. *praecones dimittuntur, qui iuberent:* V, 27. *ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur*, cf. Liv. VI, 29. XXVII, 43 et 46. XXXII, 3. XXXVIII, 21. Caes. B. G. I, 9. *legatos mittunt, ut impetrarent*, cf. ibid. 13. IV, 11. sic Cic. Att. VIII, 6. extr. *moriar, si gauderem.* 2) *praesens* post *perfectum*, v. c. Cic. Verr. IV, 1. *qui sibi hoc sumsit, ut corrigat* cet. Liv. XLIII, 2. *petierunt, ne se spoliari patiantur* pro *paterentur*, ac saepius. 3) *Perfectum* post *imperfectum*, v. c. Cic. Rosc. Am. 35. *Quid erat, quod — voluerit?*

b) est et alia consecutio temporum, quae per *et, ac* cet. copulantur. Hic tota res vertitur in idea *temporum*, nec audiendi sunt dicentes, τὸ *et* iungere ubique eadem tempora. Iungi possunt 1) *eadem tempora*, v. c. *amo te et magnifacio: vidi et audivi*, 2) *praes. et perfectum*, v. c. *cum sciam et ex aliis audiverim.* 3) *imperf. et plusquamp.* v. c. *cum id scirem et ex aliis audivissem.* 4) *praes. et futurum*, v. c. *amo te et per omnem aetatem amabo.* 5) *praes. et imperfectum*, v. c. *doleo et semper dolebam.* 6) *imperf. et futurum*, v. c. *dolebam et forsan semper dolebo.* Ac sic alia quoque tempora coniungi poterunt.

SECT. XVIII.

De germanismis mutandis vel retinendis.

A) *Germanismi fugiendi:*

Cursus vitae non est *Lebenslauf* simpliciter: hic *vita* rectius dicitur.

Vir magnus non de *statura* dicitur, sed de *virtutibus, meritis.*

Ducere bellum non est *Krieg führen*, sed *diuturnius reddere.*

Male audire non est *übel hören*, sed *im übeln Rufe stehn*: sic *bene audire.*

Quem in finem non est *quo consilio*, sed *quamdiu?*

Nullus non dicitur de *duobus*, ut nostrum *keiner*, v. c. si quis interrogatus, utrum Virgilium an Horatium legerit, respondere vult, se neque hunc neque illum legisse, dicere potest vernacule: *ich habe keinen* s. *keinen davon gelesen*, at non latine: *nullum* cet. sed *neutrum* s. *neutrum eorum legi.*

Quis non de *uno e duobus* usurpatur, sed *uter*: v. c. si quis interroget de Cicerone ac Plinio, *welcher ist besser*, s. *der beste*

beste unter ihnen, hoc verti debet: *uter eorum est melior?* licet vernacula non addat: *unter beyden.* Et *comparativus* de duobus usurpandus pro vernaculo *superlativo.*

Vel et *aut* non debet poni post *utrum*, sed *an*; v. c. *hast du es gesehn oder gehört?* non potest verti: *an vidisti, aut* cet. *utrum vidisti, vel* cet. sed sic: *utrum vidisti, an audisti? vidisti ne an audisti? vidisti, an* cet. Sic: *nescio, utrum videris, an audiveris;* vel *viderisne an* cet. vel *videris, an audiv.*

Quam, quot, quoties, quantus, qualis, quantopere cet. in exclamationibus non admittit *rò non:* v. c. *Wie schön ist das nicht? wie oft habe ichs nicht gesagt: quam pulchrum est! quoties dixi!*

Quot non facile poni debet, quando *rò wieviel* pro *paucis* ponitur, sed *quotus quisque*, v. c. *wieviel glauben wol dieses?* i. e. *wenige: quotusquisque hoc credit?*

Quot sunt vestrum, wie viel sind euer? scil. *zusammen:* male pro: *quot estis?* et responsio debet esse, v. c. *nos sumus tres*, non: *nostrum sunt tres.*

Vaticinium, oraculum impietum est, venit, ut puto, ex hebraica lingua: rectius: *vaticinio, oraculo eventus respondit.* At *implere promissum, legem*, non damnandum.

Omnibus quadrantibus anni, alle Vierteljahre, male: debebat saltem esse *singulis* pro *omnibus.* Sed rectius: *tertio quoque mense:* sic *septimo quoque die, alle sieben Tage*, v. c. *fastet er.*

Quantum das pro coena, pro institutione, pro habitatione? non satis recte pro: *quanti coenas, doceris, habitas?*

Non possum rem mihi repraesentare, vorstellen, pro: *cogitare.*

Homo odit alterum, amicus amat alterum: male. Imo: *homo hominem odit, amicus amicum amat:* sic: *manus manum lavat* cet.

Hinc venit, ut cet. *daher kömmts, dass*, pro: *hinc fit* cet.

Sine omni dubitatione non plane damnaverim: tamen cum priscis malim *sine ulla* cet.

Non semel, nicht einmal, ne semel quidem, nicht einmal, differunt a *ne quidem. Non semel* est *saepe:* ad verbum, *nicht etwa blos einmal: ne semel quidem* est *nunquam.*

Qui modo sit, wer es nur sey: pro: *quicunque est.*

Res facile est intelligenda, ist leicht einzusehn: male pro *res facile intelligitur; rem facile intelligere licet.*

Liber a te legendus est: male, pro: *tibi.*

Spero patrem mox videre, zu sehen: pro: *me visurum patrem.*

Non possum comprehendere, quomodo cet. pro: *non possum intelligere* cet.
Tam longe pervenit in doctrina, pro *eo doctrinae processit, pervenit* cet.
Communicare aliquid alicui, pro *cum aliquo.*
Ita comparatum est cum hac re, male pro: *res est talis, sic se res habet, haec est rei ratio* cet.
Non possum describere, v. c. *quam crudeliter se gesserit*, pro: *non possum dicere:* sic: *non potest dici, quam* cet. rectius quam: *describi*, cet.
Magnum honoris gradum adcepit pro: *altum hon. gradum ascendit.*
Non recte prudenter, pro *non satis prudenter.*
Recte valde doctus, pro *longe doctissimus, quam doctiss.*
Remedium, v. c. *doctrinae, ein Mittel zu* cet. pro *via ad* cet.
Recta via, der rechte Weg: imo: *vera via.*
Cor, Herz i. e. *Muth:* male: imo *animus.*
Facere sibi conscientiam: male.

B) *Locutiones*, quae *germanismi* interdum *videntur*, sed vere occurrunt apud priscos:

Esse in spe: it. *in exspectatione, in Erwartung seyn* i. e. *exspectare: in aere alicuius, in jemands Schuld seyn; in armis esse, in Waffen seyn.*
Esse sub manu, bey der Hand seyn.
Est in manu dei, nostra i. e. *potestate: in Gottes Hand* cet.
Esse apud se, bey sich seyn, i. e. *compotem sui esse.*
Esse apud aliquem scil. *zum Besuche.*
Esse inter homines, unter Leuten seyn, i. e. *uti hominibus,* cui opp. *homines* s. *hominum conventus fugere.*
Apud Livium Hannibal ita locutus est i. e. *in Livii libris Hannibal inducitur loquens.*
Sors exiit: das Loos ist herausgekommen.
In morbum incidere s. *cadere, in eine Krankheit fallen.*
Spem habere, Hoffnung haben.
Facere librum: sic: *versus facere, Verse machen: sermonem facere, ein Gespräch machen: Facere pecuniam, sich Geld machen,* v. c. fraude. *Facere alicui timorem, jemand Furcht machen. Facere aliquem,* v. c. *consulem, einen zum Consul machen. Facere iter, eine Reise thun, reisen. Facere* seq. accus. cum infin. *so thun, als ob* cet. v. c. *faciamus, verum esse, wir wollen einmal so thun, als obs wahr wäre* i. e. *ponа-*

ponamus, fingamus. *Quid hoc homine facias?* was soll man mit diesem Menschen machen? *Alius factus est*, er ist ein andrer Mensch s. anders geworden, i. e. *mutavit se, sententiam suam. Facere bene* i. e. *salubrem esse*, Caton. R. R. 157. sic *remedium optime faciet*, Colum. VI, 15. in.

Dare calculos, in lusu quodam, *die Steine geben* i. e. *setzen.* Hinc Ovidius: *tu male iactato, tu male iacta dato* i. e. *wirf schlecht und* cet.

Vnus recte de *duobus*, sequente *alter.* At de pluribus *alius — alius.*

Alter ego, *mein andres ich*, de homine amicissimo.

Calefacere aliquem, *einem einheizen*, *warm machen* i. e. *vexare*, *molestiam exhibere.*

Non mihi hoc sumo, *ut* cet. *ich nehme mir das nicht heraus*, *dass* cet. i. e. *non tantum audeo.*

Sumere pecuniam, *Geld aufnehmen: sumere rem pretio*, *eine Sache für so und so viel nehmen* i. e. *emere.* Sic nostri: *Wo nehmen Sie ihre Waaren?* pro *kaufen.*

Hoc tibi non sic abibit, *das wird dir nicht so hingehen.*

Tenere se non potuit, *er konnte sich nicht halten* de cupide dicturo, i. e. *konnte nicht warten* cet.

Pecunia cadit in illam diem, *ist den Tag gefällig.*

Fidem frangere, *die Treue brechen.*

Oculum rei adhibere, *ein Auge auf etwas werfen* i. e. *cupidum fieri rei.*

Age abeamus, *mache, wir wollen fortgehn:* de pluribus: *agite.*

Agere florem, *Blüte treiben*, *blühen.*

Ducere vitam, v. c. *iucundam*, *ein angenehmes Leben führen.*

Ad summum, *zum höchsten*, *aufs höchste: ad minimum*, *aufs wenigste*, *zum wenigsten.* It. *summum*, *minimum*, *höchstens*, *wenigstens.*

Ad manum habere aliquem, *zur Hand haben.*

Ponamus, *wir wollen setzen.*

Sub ea conditione, *ut* cet. *Unter der Bedingung.*

Vestis bene sedet, *sitzt gut* i. e. *ist gerecht*, ap. Plin.

Est aliquid, de re non contemnenda, *es ist etwas*, *will etwas sagen:* est litotes, v. c. *Est aliquid nupsisse Iovi* cet.

Non est pro homine, *ist nicht für* cet. i. e. *non aptum est ei, non conducit ei*, Colum. III, 5. in.

Prae lacrymis loqui non possum, *vor Thränen* cet.

Cum timore vivere, *mit Furcht leben.*

Non ita multo post, *nicht eben so lang hernach.*

Bene emere, *gut kaufen* i. e. *vili pretio*: *male emere*, *schlecht* i. e. *magno*. Contra: *bene vendere*, *gut verkaufen* i. e. *magno*; *male vendere*, *schlecht* i. e. *parvo*.

In diem vivere, *in den Tag hinein leben*: proprie, *auf den Tag nur leben* h. e. *ita vivere*, *ut huius diei*, *non sequentis temporis rationem habeas*: quod est signum magnae negligentiae.

Cum in eo esset, *ut* cet. *da es an dem war*, *daß* cet.

Sic sum, *so bin ich*: *sic est vita hominum* i. e. *talis*.

Ire in semen, *in Samen gehen*, de plantis, ap. Caton. R. R. 161. sic *in corpus ire*, *ins Fleisch gehn* i. e. *carnosum fieri*.

Provenire, *fortkommen*, de plantis et arboribus, Colum. V, 6. §. 14.

In manus sumere, *in die Hände nehmen*, ap. Cic.

Bene it, *es geht gut*: *Pedibus ire*, *zu Fusse gehn* cet. *Dare bibere*, *zu trinken geben*. Haec hactenus.

CAP. III.

DE ORDINE VOCABVLORVM.

Ordo verborum 1) a multis creditur pendere a nostra voluntate, ut v. c. non differat, utrum dicas: *Patrem amare debent filii*, an: *filii amare patrem debent*. Male: interdum quidem, h. e. in rebus levibus, liceat: sed non ubique. 2) Alii certum ordinem fingunt, v. c. Heineccius dixit p. 59. *vocativum* eleganter post aliquot verba poni, et *casus obliquos* nominativo praeponi; p. 60. verbum *substantivum a suo verbo*, *infinitivum a suo verbo seiungi* et comparativos ac superlativos elegantissime claudere periodum: p. 62. *si*, *nisi*, *ut* voci uni alterive eleganter postponi cet. Haec partim falsa, partim indefinite dicta sunt. Ordo verborum est duplex: 1) in nonnullis est fixus: 2) in plerisque pendet ab ordine idearum, atque ita a perspicuitate, interdum a gravitate et suavitate dicendi.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0142
DFG

SECT. I.

Ordo nonnullorum verborum est fixus.

Nonnullis vocabulis prisci certum ordinem ita tribuerunt, ut causam ubique non satis indagare liceat, v. c.

I) *nam* (si causam continet), *at*, *(attamen) verum*, *sed* semper ab initio enuntiationum ponuntur: it. *quare*, *quamobrem*, cet. ubi causa est in *qua*, *quam* a *qui*, quod connectendi vim habet. Sic *si*, *nisi*, *etsi*, *quamquam*, *quia*, *quoniam*, *cum* cet. semper primum locum occupant, nisi vocabulo, ob eius notionem, postponantur, v. c. *quod si*, *qui nisi* cet. Contra *enim*, *autem*, *vero* (i. e. *aber*), *quoque*, *quidem* post unum, interdum duo verba ponuntur: *etenim*, *ergo*, *igitur*, *itaque*, *denique*, *tandem* primum vel secundum ordinem occupant: *etiam* potest praeponi et postponi, it. *tamen* cet.

Not. *quidem*, si habet vim *restringendi* h. e. de toto vel genere dicta ad partem, speciem aut individuum transfert, estque nostrum *wenigstens*, vel *zum Beyspiele* (prius tamen praeplacet, ne notiones verborum augeantur praeter necessitatem), semper ei vocabulo, ad quod pertinet, subiicitur, v. c. *Sic senserunt omnes eruditi; Leibnitius quidem aperte id professus est*, non: *Leibn. aperte quidem* cet. sic: *de mea quidem sententia*, non: *de sententia quidem mea*. Hinc patet, cur particulae *ne quidem* seiungi debeant, et quid interponendum sit. *Quidem* enim hic est particula restrictiva h. e. negat partem vel rem exiguam, ut eo magis totum vel res maior negari queat: v. c. *tu ne unum quidem librum, nedum omnes, legisti:* hic *lectio unius libri* negatur, ut eo facilius *lectio omnium* negetur: sic: *tu ne legere quidem, nedum scribere potes:* hic *legere*, tanquam levius, negatur, ut *scribere*, tanquam gravius, eo tutius negari possit. Iam *quidem*, ut particula restrictiva, vocabulo, ad quod pertinet, statim subiici debet; Ergo recte dicis: *tu ne partem quidem adcipies, nedum rem ipsam*, at non: *tu ne adcipies quidem partem* cet. Not. attamen *ne quidem* coniuncta reperiuntur Cic. Att. II, 16. extr.

H) *Duo*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0143
DFG

II) *Duo substantiva*, quorum posterius pro *alter, der andere*, ponitur, v. c. *cuneus cuneum trudit, manus manum lavat, homo hominem odit*, cet. semper hoc ordine manere debent; falsum foret: *cuneus trudit cuneum* cet. sic *aliud ex alio malum* cet.

III) *Quisque, τῷ suus, sibi, se* iunctum, huic postponitur, v. c. *suum cuique pulchrum:* sic: *sibi quisque* cet. Praepositum tamen quoque reperitur, v. c. Cic. Amic. 16. Liv. XXI, 48.

IV) *Quisque*, superlativo iunctum, tanquam subiectum suo epitheto, huic postponitur; v. c. *doctissimus quisque*, non *quisque doct.* sic: *optima quaeque* cet. sed *quisque* hic non redundare, sed pluralem, s. enuntiationem universalem efficere, supra dictum est.

V) *Quisque*, nominibus numeralibus ordinalibus iunctum, his postponitur, quo et *quotus* pertinet: v. c. *quartus quisque annus est intercalaris: tertio quoque mense hoc fieri solet: quotus quisque hoc credit?* cet. sed *quisque* non hic redundat, v. c. *decimus* est *unus decimus:* at *decimus quisque* sunt *omnes decimi.* Sic *quotus* differt a *quotus quisque.*

VI) *Praepositiones* praeponi debent suis nominibus. At sunt exceptiones:

a) interdum postponuntur *τῷ qui*, v. c. *quos ad, quam circa, quos contra, quos inter, quem penes, quos propter, quo de* ap. Cicer. sic *quam ante* Nep. Chabr. 3. *Diomedonte coram* Nep. Paus. 4. cet.

b) *tenus* semper postponitur; it. *versus.*

c) *cum* postponitur semper *τοῖς me, te, se, nobis, vobis*; interdum etiam *τῷ quo* s. *qui.* Causa latet. Cicero quidem Or. 45. opinatur, (nam est mera opinio vel coniectura) hoc fieri ad obscoenitatem (vocabuli *cunnus*) evitandam. Male. Nam 1) unde Cicero hoc sciebat? res enim haud dubie ante illius tempora initium sumsit; 2) occurrit *cum non*, ap. Sulp. ad Cic. ad Div. IV, 12, §. 5; *cum nostris*, Caes. B. G. V, 50; *cum nominis* Ovid. Art. II, 637; *cum nominibus* Cic. Dom. 9. in. cet. Nonne hoc aeque obscoenum, ac *cum nobis?* Sic occurrit *Pompeia-*

peianus, penates, natio cet. ubi terminatio etiam obſcoena videri poſſet. 3) cur priſci dixere non modo *nobiscum*, ſed et *vobiscum*, *mecum*, *tecum*, *ſecum*, it. *quocum* cet. ubi nulla obſcoenitas. 4) cur dixere *capulo tenus?* cur Graeci μετὰ, περὶ cet. poſtponunt interdum nominibus? cur nos eodem modo dicimus *meinetwegen*, *deinetwegen*, it. interdum *Zweifels ohne:* ubi nulla cauſa eſt, cur praepoſitio poſtponatur. Omnia temere h. e. conſuetudine invecta ſunt. Credibile eſt, priſcos initio et *cum nobis*, *cum vobis* cet. et *nobiſcum*, *vobiſcum* cet. promiſcue dixiſſe, poſtea, h. e. forſan dudum ante Ciceronis aetatem, poſteriorem rationem dicendi *temere* in uſu manſiſſe.

VII) In proverbiis, ſolennibus uſuque receptis formulis et adpellationibus, ordo verborum non mutandus: v. c. *equis viris*, *velis remis*, non: *viris equis* cet. ſic: *vi armatis hominibus:* ſic: *terra marique:* ſic *cuneus cuneum trudit: manus manum lavat* cet. ſic: *Iupiter optimus maximus: fratres arvales: pontifex maximus: magiſter equitum: populus romanus: pater patratus* cet. non: *maximus optimus* cet. Referri huc poſſint: *ſpe citius*, *opinione celerius*, *iuſto longior*, *ſolito triſtior*, quia aliquam vim proverbii habent: quamquam hic ordo idearum iſtum ordinem poſtulat.

VIII) *Ecce*, *o*, *vae* cet. ſuis caſibus praeponuntur: v. c. *Ecce me.*

IX) *Non* verbo *poſſum* praeponendum: it. aliis vocabulis, ad quae ſtatim pertinet: v. c. *non poſſum: factum hoc eſt, non conſilio, ſed caſu* cet.

X) *Inquam*, *inquis*, *inquit*, *inquiebam* cet. poſt unum aliquotve verba, quae memorantur, poni ſolet, v. c. *Tum pater: mox*, *inquit*, *veniam* pro *Tum pater inquit: mox* cet.

SECT. II.

De ordine vocabulorum pendente ab ordine idearum.

Plerumque tamen ordo vocabulorum pendet a notionum ordine h. e. prout in mente oriri ſolent ac debent.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0145
DFG

bent. Quae itaque prius cogitantur, v. c. in rerum natura prius sunt, eae priorem locum occupare debent, nisi vel suavitas, vel gravitas dicendi, alium interdum ordinem postulet.

I) *Subiectum*, quod prius cogitatur *alio subiecto*, huic praeponitur, v. c. *Pater et filius ibant*, non *filius et pater*. Sic *Patres Conscripti* recte dicitur, si pro. *Patres et Conscr.* positum est, et illi a *regibus*, hi a *Bruto* originem habuere.

II) *Subiectum* prius cogitatur *praedicato*: ergo praeponendum: v. c. *deus est benignissimus*: est tamen duplex exceptio, a) ob *perspicuitatem*; si subiectum longa explicatione opus habet, quae ab illo, salva perspicuitate, seiungi nequit, praedicato, si hoc breve est, postponitur, v. c. pro: *deus est benignissimus* dicitur v. c. *benignissimus est deus, qui nobis non modo vitam et mentem tribuerit, sed etiam* cet. 2) ob *gravitatem* h. e. si praedicatum tale est, ut in primis adtendi debeat, v. c. *grave mihi vulnus inflixit mors patris tui: magna tua erga me sunt merita* cet.

III) *Persona*, ad quam praedicatum refertur h. e. cui v. c. *ignoscimus, suademus, iroscimur*, cet. cui aliquid *damus, mittimus* cet. prius cogitatur praedicato ipso, h. e. prius in rerum natura fuit, quam *το ignoscere, suadere, mittere* cet. hinc, nisi duae illae exceptiones impediunt, praeponi debet, v. c. *pater mihi ignovit*, non *ignovit mihi* cet.

IV) *Persona*, cui rem aliquam tribuimus, mittimus cet. prius cogitatur, quam *res ista*, ergo huic praeponitur, v. c. *pater mihi librum aliquem misit*, non: *pater mihi misit librum* cet. nisi *liber* vel *mittere*, ut primaria notio cogitatur, v. c. si de *libro* sermo fuit cet.

V) *Causa*, propter quam *aliquid* fit, prius cogitatur, quam hoc; ergo praeponitur ei; v. c. *ego te ob egregiam virtutem semper amavi*, non: *ego te semper amavi ob* cet.

VI) *Res*,

VI) *Res*, e quarum numero una *excipitur*, prius cogitantur hac: ergo praeponuntur, cum particula sua *praeter:* v. c. *ego praeter ceteras tuas virtutes humanitatem tuam admiror*, non: *ego tuam hum. praeter* cet. sic et *nisi* absolute positum, v. c. *dabo tibi, nisi omnia, tamen nonnulla.*

VII) *Tempus*, quo *res* fit, prius cogitatur, quam haec: ergo praeponitur; v. c. *nemo illo tempore me consolabatur*, non: *nemo me consolabatur illo* cet. sic: *frater nuper ad me scripsit* cet. Huc pertinent formulae: *spe citius, dicto celerius, solito tristior* cet. quia *spes, dictum, solitum* cet. prius cogitantur. Huc pertinent participia vim temporis prioris continentia, v. c. Caes. B. G. IV, 24. *At barbari consilio romanorum* cognito, praemisso *equitatu* — subsecuti — *nostros* — *prohibebant;* primum *cognoscunt*, deinde *praemittunt* cet. sic Cic. ad Div. XI, 29 in. *Dubitanti mihi* — *adcessit consilium tuum:* prius cogitatur *dubitare*, quam *consilium.*

VIII) *Locus*, in quo *res* fit, in quem res mittitur cet. prius cogitatur, quam haec: ergo praeponitur, v. c. *Brundisium cum venissem* cet. non: *cum ven. Brund.* Si duplex locus occurrit, praeponitur is, e quo in alterum v. c. proficiscimur, v. c. *cum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem*, Sulp. ad Cic. in Cic. ep. ad Div. IV, 12.

IX) *Modus*, quo praedicatum subiecto convenit, prius cogitatur *praedicato;* ergo huic praeponitur: hinc vides, adverbia verbis suis praeponi, v. c. *homo necessario moritur, res male gesta est, sponte fecit* cet.

X) *Similitudo* prius cogitatur, quam id, quod cum ea comparatur, vel per eam illustratur: hinc particulae similitudinis praeponuntur τῷ *ita* vel *sic* cet. v. c. *nostri sensus, ut in pace, sic tum in bello congruebant.* Huc referri potest, quod ablativus comparativo praeponitur, v. c. *es me doctior:* hinc: *spe citius, opinione celerius, solito tristior, iusto longior* cet.

XI) *No-*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0147
DFG

XI) *Nomen proprium* prius cogitatur, quam *nomen muneris*, aliave *adpellatio*, *adpositio* ſ. *explicatio*: hinc praeponitur, v. c. *Cicero conſul; Marcellus, collega meus; Pompeius, Vir clariſſimus; Roma urbs; Aetna mons; Rhenus flumen* cet. At peccarunt interdum priſci: v. c. Cic. Off. II, 7. *uxorem Theben* pro *Theben uxorem*: it. *provincia Sicilia* Verr. II, 6.

XII) *Qui* praeponitur ceteris vocabulis in eadem enuntiatione, v. c. *homo, qui deum colit* cet. non: *homo, deum qui colit*. Si tamen non ad praecedens, ſed ad ſequens vocabulum refertur, poteſt poſt unum alterumve vocabulum reiici, ut ſequenti ſubiecto, ad quod pertinet, fiat propius. Cauſa ergo eſt *perſpicuitas*: v. c. *Deum qui colit, is felix eſt*.

XIII) *Qui*, ſi ab initio enuntiationis abſolutae pro *hic, is* ponitur, ſemper primum locum occupat; ſervit enim connexioni duarum enuntiationum abſolutarum (vulgo *periodorum*), v. c. *Virtus omnibus utilis eſt. Quam qui colunt* cet. non: *Qui quam* cet.

XIV) *Vocativus* 1) ob humanitatem in prima enuntiatione (ſ. periodo, ut vulgo loquuntur) ſive epiſtolae ſive orationis ponitur: idque, ſi fieri poſſit, non procul ab initio: 2) videndum, ut vocabulo, ad quod pertinet, ſtatim addatur, v. c. *credo ego vos, iudices*; non: *Vos credo ego, iudices*: ſic: *ſi tibi, frater* cet. 3) videndum, ne ambiguitas oriatur, v. c. non dixerim: *melius pater rem geret, ſi, frater, ita inſtituet*: nec: *quicunque te laeſerit, is, frater, me laedet*. Perſpicuitas non ſolo commatum uſu niti debet.

XV) Omnia vocabula eo ordine poni debent, ut ſtatim adpareat, quo quodque pertineat, h. e nihil alieni immiſcendum: v. c. non dixerim: *magnum, ego librum cum abs te adcepiſſem, fuit meum gaudium*: quia incertum eſt, utrum τὸ *magnum* ad *librum*, an ad *gaudium* pertineat. Vocatur hoc vitium *hyperbaton*, ac,

ſi

si durius est, *synchysis*. Peccarunt hic ipsi prisci, praesertim poetae, v. c. Hor. I, od. 1, 6. *terrarum dominos evehit ad deos*, ubi alii interpretes per *dominos* intell. *deos*, alii *romanos*. Id. Sat. I, 5, 72. *ubi sedulus hospes paene macros arsit dum turdos versat in igne*; rectius foret: *ubi sedulus hospes paene arsit, macros dum turdos* cet. ut Lambin. ex uno Cod. legit. Ovid. Met. I, 222. *Mox ait: experiar, deus hic, discrimine aperto, an sit mortalis* pro: *Ait: discrimine* (i. e. specimine) *aperto mox experiar* (utrum) *hic sit deus, an* cet. cf. Terent. Andr. II, 3, 2. Liv. XXVIII, 30 extr.

XVI) Inter *adiectivum* et eius *substantivum* quaedam vocabula arcte cum iis cohaerentia interseri solent ob perspicuitatem, quia lector auditorve statim videt, vocabulum interpositum ad substantivum pertinere: v. c. 1) *genitivus*, v. c. *magnus patris amor*. Rectius ergo et magis perspicue dicitur: *magnus patris amor felicitatem filii adiuvit*, quia hic nemo *patris* ad felicitatem referet, quam: *magnus amor patris* cet. 2) praepositiones *erga, in, adversus* cet. v. c. *tuus erga me amor*.

XVII) *Qui, quae, quod* vocabulo ei, ad quod refertur et cuius explicatio est, statim, vel saltem non multis vocabulis interiectis, subiici debet. Rectius ergo est: *non laudare possum eos qui* cet. quam: *eos non laudare possum, qui* cet. quia *eos* et *qui* cohaerent; nisi forte in *eos* oppositio lateat: tum mutare licet, v. c. *ut illos, de quibus dixi, laudavi, ita eos laudare non possum, qui* cet.

XVIII) *Vocabula sibi contraria* arctius iungi debent, ut oppositio clarius eluceseat, v. c. *eius otium negotiosum fuit*, non: *eius otium fuit neg.* Sic *adpetis pecuniam, virtutem abiicis*, vel *pecun. adp. abiic. virtutem*; sic: *in provinciam profectus es pauper, dives Romam rediisti*; quia *pauper* et *dives* ita iunguntur.

XIX) Si duorum vocabulorum arcte cohaerentium ac propterea arcte coniungendorum, (v. c. subst. et adi.) unum est monosyllabum, hoc polysyllabo praeponitur. Causa est perspicuitas, quia alioquin monosyllabum non audiretur: pertinet ergo proprie ad dicendum, non ad scribendum. Nam in pronuntiando solemus interdum interquiescere atque ita simul vocem remittere: sed vox remissa vix auditur, praesertim a procul stantibus. Hinc ultima syllaba perire solet. Iam si monosyllabum ultimo loco poneretur tum, cum interquiesceremus, illud periret. Contra, si e polysyllabis una syllaba perit, non magna est iactura, quia e ceteris syllabis coniici facile potest totum vocabulum; v. c. quando dicimus: *vir clarissimus*, auditorque tantum intelligit: *vir clarissim'*, tamen scit, nos voluisse dicere *clarissimus*. Hinc mos monosyllabum praeponendi polysyllabo exstitisse et invaluisse videtur: hinc deinde ubique dixerunt: *vir clarissimus*, *hic imperator*, *mi frater*, *me miserum*, *non possum*, *vix credo* cet. Not. sic debebat et dici *urbs Roma:* sed cur dicatur *Roma urbs*, supra (XI.) dixi.

CAP. IV.

DE RECTO ORDINE ENVNTIATIONVM.

Rectus enuntiationum (Sätze) *ordo* pendet, ut ordo vocabulorum, ab ordine idearum. Quaecunque igitur enuntiationes prius cogitantur, eae aliis praeponuntur. Hic ordo prodest 1) perspicuitati, 2) structurae periodi, 3) suavitati, 4) gravitati.

SECT. I.

De praeponendis singulis enuntiationibus.

Cum *causa*, *locus*, *tempus*, prius cogitentur, quam res ipsa; enuntiatio *causam*, *tempus*, *locum* exprimens enun-

enuntiationi rem ipsam continenti praeponitur: pertinent huc ob eandem causam *concessivae*, *exceptivae*, *desinentes* cet.

Praeponi itaque solent ac debent:

I) *enuntiationes causales*, incipientes per *quia*, *quoniam*, *cum*, *quod*, interdum *cur*, *quare* cet. v. c. *quia me innumeris beneficiis adfecisti, propterea te per omnem vitam amabo*, vel periodice; *te, quia me* cet. rectius per se dicitur quam: *per omnem vitam te amabo, quia me* cet. quia *beneficiis adfecisse* prius cogitatur, quam *per omnem vitam amabo*. Sic Cic. v. c. Rosc. Am. 25. Agr. II, 5: ad Div. III, 5. §. 2. X, 16. §. 19. Offic. III, 31. Not. exceptio infra sequetur Sect. 3.

II) *enuntiationes conditionales*, quarum duces sunt *si, nisi, siquidem* cet. v. c. pro: *rogo te, ut librum mihi mittas, si habeas*, rectius dicitur: *rogo te, ut, si librum habeas, eum mihi mittas* vel periodice: *ut librum, si habeas, mihi mittas:* nam librum ante debes *habere*, quam *mittere* possis. Sic Cic. v. c. Rosc. Am. 1 et 24. Offic. II, 7. Not. exceptiones vid. infra sect. 3.

III) *enuntiationes locum indicantes*, quarum duces sunt *ubi*, *quo in loco*, *quo*, *quem in locum*, *unde* cet. v. c. *ubi sis, nescio*, rectius quam: *nescio, ubi sis*; nam tuum *esse* prius cogitatur, quam meum *scire*. Sic Cic. Phil. II, 25: ad Div. VI, 4. §. 9. IV, 7, §. 8. Not. exceptiones vid. infra sect. 3.

IV) *enuntiationes tempus indicantes*, quarum duces sunt *cum da, wenn, dum, postquam, ubi* cet. v. c. pro: *librum tibi dabo, cum primum eum adcepero*, rectius dicitur: *cum primum librum adcepero, eum tibi dabo*. Sic Cic. ad Div. XII, 17, §. 3. Verr. I, 26: II, 23. IV, 20. Or. I, 31 extr. Huc pertinent *participia* supra memorata, v. c. Caes. B. G. IV, 24. *At barbari, consilio Rom. cognito, praemisso equitatu, reliquis copiis subsecuti nostros navibus exire prohibebant*. Not. exceptiones vid. infra sect. 3.

V) *enuntiationes conceſſivae*, incipientes per *etſi*, *etiamſi*, *quamquam*, *licet*, *ut geſetzt daß* cet. v. c. pro: *nolebam iſtud agere, quamquam poteram*, rectius: *quamquam poteram, tamen nolebam iſtud agere*, vel: *quamquam iſtud agere poteram, tamen nolebam*. Sic Cic. ad Div. VII, 19. §. 4. Roſc. Am. 11. Verr. Act. I, 18 extr. Offic. II, 7. Phil. XII, 3. Not. exceptiones vid. infra ſect. 3.

VI) *enuntiationes interrogativae*, non diſerte interrogantes, ſed *obiectum* vel *modum* rei plerumque indicantes, quarum duces ſunt *quis*, *quid*, *an*, *utrum*, *cur*, *quomodo* cet. v. c. pro: *neſcio*, *quis ſit*, rectius: *quis ſit*, *neſcio*. Sic Cicero, v. c. Roſc. Am. 26. Phil. II, 39. Tuſc. II, 3 et 23. Verr. II, 13 extr. ad Div. V, 20, §. 5. Not. exceptiones infra dabuntur ſect. 3.

VII) *enuntiationes ſimilitudinem continentes*, et incipientes per *velut*, *quaſi*, *ut*, *tanquam*: v. c. *ego*, *tanquam non audiſſem*, *ſilui*, rectius quam: *ſilui*, *tanquam* cet. Sic Cicero v. c. Verr. IV, 34. Not. exceptiones v. infra ſect. 3.

VIII) *enuntiationes relativae*, incipientes per *qui*, *qualis*, *quantus*, *quot*, *quoties*, *quam*, *quantopere*, *ut wie*, *ubi*, praeponuntur iis, quae illis reſpondent et incipiunt per *is*, *talis*, *tantus*, *tot*, *totiès*, *tam*, *tantopere*, *ita*, *ibi* cet. v. c.

1) *qui*, ſeq. *is*, *hic*, vel etiam omiſſo: v. c. *qui deum amat*, *is felix eſt*, ſ. *felix eſt*: non: *is felix eſt*, *qui* cet. nam *amare deum* prius cogitatur, quam *felicem eſſe*. Hinc *quo* ſeq. comparat. τῷ *eo* praeponendum, v. c. *quo doctiores ſumus*, *eo* (*hoc*) *modeſtiores eſſe debemus*, non: *eo mod. eſſe deb.*, *quo doct.* cet. Huc pertinet *quicunque* i. e. *omnis qui*; *quidquid*, *quodcunque* i. e. *omne quod*: v. c. *quidquid* (*quaecunque*) *iuſſeris*, *faciam* pro: *faciam*, *quidquid* cet. Sic Cic. v. c. Off. II, 7. Ib. I, 8. in. Verr. III, 18: ad Div. IX, 22, §. 6.

2) *qualis*, *talis*, v. c. pro: *hic eſt talis*, *qualis eius pater fuit*, rectius: *qualis pater fuit*, *talis hic eſt*. Vid. Cic. Roſc. Am. 4. Off. II, 12. Leg. III, 14. in.

3) *quan-*

3) *quantus, tantus*, v. c. pro: *tantas res Caesar gessit, quantas nemo ante gesserat*, rectius: *quantas res nemo ante gesserat, tantas Caesar gessit.* Vid. Cic. ad Div. XVI, 4 extr. et ep. 6. §. 1.

4) *quot, tot*, v. c. pro: *tu tot libros legisti, quot ego vix vidi*, rectius: *quot ego libros vix vidi, tot tu legisti.* Vid. Cic. Or. 21.

5) *quoties, toties*, v. c. pro: *toties ego Berolini fui, quoties tu Lipsiae fuisti*, rectius: *quoties tu Lipsiae fuisti, toties* cet. sic rectius: *quoties plantas contemplor, toties admiror dei sapientiam* pro: *admiror dei sap. quoties plantas* cet. Vid. Cic. Marc. 6. Sic et *quotiescunque* praeponitur, vel sequente *toties* vel omisso. Vid. Cic. Or. II, 32. Nep. Hann. 1.

6) *quam, tam* v. c. pro: *qui deum amat, tam felix est, quam infelix est is, qui deum odit*, rectius: *quam infelix est qui deum odit, tam felix est, qui eum amat.* Vid. Cic. Verr. Act. I, 2.

7) *quantopere, tantopere*, v. c. *quantopere filii parentes amant, tantopere ego te amo*, non: *amo te tantopere, quantopere* cet.

8) *ut, quemadmodum, sicut* seq. *ita* s. *sic*, v. c. *ut parentes filios amant, ita ego te amo*, pro: *amo te ita, ut* cet. Vid. Cic. Verr. Act. I, 2. ad Div. II, 10, §. 3. V, 2, §. 13. Hinc *ut quisque* seq. *ita*, hunc ordinem servare debet, v. c. *ut quisque est doctissimus, ita solet esse modestissimus*, i. e. *quo quis est doctior, eo — modestior.* At aliter est in formula iurandi, *ita, ut:* hic ordo manet, quia est formula solennis et proverbialis.

9) *ubi, ibi*, v. c. pro: *cupio ibi esse, ubi tu es*, rectius: *ubi tu es, ibi ego esse cupio.* Vid. Cic. ad Div. VI, 4, §. 9. Not. exceptiones infra dabuntur sect. 3.

SECT. II.

Quando plures eiusmodi enuntiationes praeponendae concurrant, quaenam praeponenda?

Quando duae pluresve eiusmodi enuntiationes concurrunt, itidem ordo idearum sequendus est h. e. illae ita ponendae, prout vel prius vel serius cogitantur: interdum ergo causalis conditionalem, interdum cau-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0153
DFG

salem concessiva cet. sequitur. Ex exempla e Cicerone et Livio.

I) *causalem* sequitur *temporalis:* Cic. ad Div. XVI, 11, §. 7. *Lentulus consul*, quo *maius suum beneficium faceret*, simulatque *expedisset*, *quae essent necessaria — dixit se relaturum.*

II) *causalem* sequitur *concessiva:* Cic. Rosc. Am. 20. *et*, quia *id est suspicionsum*, tametsi *bestiae sunt*, *tamen in eam partem potius peccant*, *quae est cautior.*

III) *temporalem* seq. *concessiva*, et *hanc causalis:* Cic. ad Div. III, 10, in. Cum *est ad nos adlatum de temeritate eorum*, *qui tibi negotium facesserent*, etsi *graviter — commotus sum*, quod *nihil tam praeter opinionem — adiidere potuit*, *tamen — cetera* cet. Mutes *etsi* in *quidem zwar:* sic omnia facilia.

IV) *conditionalem* sequitur *temporalis:* Cic. ad Div. III, 5 §. 11. *sed* si *quid nunc me fallit in scribendo*, simul ac *progredi coepero*, — *faciam*, *ut tibi nota sit omnis ratio dierum.*

V) *duae temporales* iunguntur: Cic. Verr. IV, 20. *Nam* cum *te — confirmasses redditurum*, posteaquam *Cordius pro testimonio dixit*, *se tibi reddidisse*, *statim reddendi finem fecisti.*

VI) *duae temporales* praecedunt, quas *causalis* et *concessiva*, et iterum *causalis* sequitur: Cic. Verr. I, 6. *Romam* ut *ex Sicilia redii*, cum *iste atque istius amici — sermones huiusce modi dissipassent*, quo *animos testium retardarent*, *me magna pecunia a vera adcusatione esse deductum*, tametsi *probabatur nemini*, quod *et ex Sicilia testes erant*, *qui quaestorem me in provinciam cognoverant*, — *tamen usque eo timui* cet.

VII) *Tres temporales* praecedunt, sequente *concessiva:* Liv. I, 16. *Romana pubes*, sedato *tandem* pavore, postquam *ex tam turbido die serena — lux effulsit*, ubi *vacuam sedem regiam vidit*, etsi *satis credebat patribus*

bus — sublimem raptum procella, tamen — moestum — silentium obtinuit. Locus hic fit facilior, si in explicando *quidem* pro *etsi* ponitur atque ita dissolvitur: *postquam post sedatum pavorem — lux effulsit, romana pubes credebat quidem, ubi vacuam — vidit, patribus* cet.

SECT. III.

Exceptiones.

Non raro tamen ordo iste mutatur, et eae, quae natura praeponi debebant, postponuntur, ac contra. Hoc fit,

I) si enuntiatio, ob naturam prius praeponenda, est nimis longa prae ea, cui praeponi debebat: tum enim hanc breviorem praeponi suadet et *numerus oratorius* membrum posterius non nimis breve esse iubens, et *perspicuitas*, v. c. non dixerim: *cur illa res tam brevi tempore ac nullo negotio fieri potuerit, nescio;* sed: *nescio, cur* cet. Sic non dixerim: *qui putat doctrinam magnam sine magna industria adquiri posse, errat,* sed: *errat, qui putat* cet.

II) Si enuntiatio, cogitatione quidem prior, longiori explicatione vel illustratione, statim addenda, indiget, vel etiam cum sequente enuntiatione absoluta (vulgo *periodo*) omnino arctius cohaeret. Tum enim decet eam cohaerere cum explicatione et illustratione vel cum enuntiatione absoluta sequente, atque ita contra naturam suam postponi: v. c. non dixerim: *Quia Caius isto tempore non domi fuit, Titium occidere non potuit. Id quod* (scil. illum non domi fuisse) *docuerunt innumeri testes, primum Sempronius, deinde* cet. sed sic: *Non potuit Caius Titium occidere, quia isto tempore non domi fuit. Id quod docuerunt* cet. sic τὸ *id quod doc.* propiora fiunt τοῖς *quia — non domi fuit.*

III) Si enuntiatio, per se quidem loco priore digna cum praecedente non tam cohaeret, quam ea, quae postponi debebat: tum haec meliori iure h. e. ob perspicuitatem praeponitur: v. c. *Te nullos poetas legisse certum est. Hinc de iis non iudicare potes, licet te pro bono poetarum iudice venditare soleas.* Hic verba: *licet te* cet. recte postponuntur.

IV) Interdum etiam enuntiatio, praeponenda proprie, ad evitandam ambiguitatem postponitur: v. c. si dicere vellem, eum, qui literarum studia diu secutus sit, illa ob dulcedinem non facile relinquere, ambigue loquerer ita: *qui studia literarum diu secutus est, quia suavia sunt, non facile ea relinquet;* quia verba: *quia suavia sunt* aeque causa esse possent verborum *qui studia — secutus est*, ac verborum: *non facile relinquet.* Rectius ergo sic: *qui studia — secutus est, non facile ea relinquet, quia suavia sunt,* vel, si ordinem servare velim, ita: *qui studia — secutus est, ea, quia suavia sunt, non facile rel.*

V) Si qua enuntiatio in contextu quodam gravior est quam ea, quae praeponenda proprie erat, ac si illam scriptor vel orator magis ac citius adtendi cupit, ea, licet sit proprie posterior, anteponitur. Exempla hic non fingi possunt, quia contextus requiritur. — Ceterum hinc patet, cur *ut daß*, quae particula a verbo regitur atque ita cogitatione posterior est, tamen saepe cum sua enuntiatione isti Verbo praeponatur; v. c. Cic. Verr. IV, 39. *Continuo, signum* ut *demoliretur et Messanam deportaret, imperavit.* Hic τὸ *demoliri signum* erat Ciceroni gravissima idea. cf. Cic. Fin. III, 19. Liv. XXXVIII, 11. Sic etiam *qui* et *ut* τῷ *dignus* saepe anteponitur.

VI) Interdum tamen prisci ob negligentiam, praesertim de rebus levioribus, v. c. in epistolis cet. enuntiationem, quae praeponi debebat, postposuerunt.

Qua-

Quadruplex ergo est causa, cur prisci enuntiationes, priore loco per se dignas, postposuerint, *perspicuitas, numerus* atque ita *suavitas, gravitas, negligentia.* Iam exempla huius rei e Cicerone adferemus:

I) *causales* interdum postponuntur: Cic. Rosc. Am. 1. in. *Ita fit, ut adsint propterea, quod officium sequuntur* cet. hic *adesse* videtur esse *notio* primaria; Cic. ad Div. III, 5, §. 3. *te habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque et praeparares — omnia,* quo *mea ratio facilior et solutior esse posset.* Ibid. XI, 21. extr. *si quid erit occultius, — meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literae perferantur.* Plura exempla vid. in libro maiori.

II) *conditionales* postponuntur: Cic. Amic. 23. *Atque hoc maxime iudicaretur, si quid tale posset contingere, quod* cet. Recte: Cic. ad Div. VI, 20, §. 4. *Omnino de tota re — sapientius faceres, si non curares:* Plura exempla v. in lib. mai.

III) *Locum indicantes* postponuntur: Cic. ad Div. III, 5, §. 8. *ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciae primum esse venturum, quo te maxime velle arbitrarer.*

IV) *temporales* postponuntur: Cic. Amic. 26. *Nulla est igitur amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est:* recte. Cic. ad Div. VI, 8, §. 2. *mihi hoc dederunt, ut esses in Sicilia, quoad velles:* negligenter. Plura v. in lib. mai.

V) *concessivae* postponuntur: Cic. ad Div. VI, 4, §. 3. *Nunc tantum videmur intelligere, non diuturnum bellum: etsi id ipsum videatur secus.* Recte. Cic. Senect. 14. *Cupidis — molestum est carere; satiatis iucundius est carere quam frui: quamquam non caret is, qui non desiderat.* Recte: *quamquam* est i. q. *attamen*, quando nos revocamus et corrigimus. Cic. Amic. 27. *Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint.* Plura vid. in lib. mai.

VI) *interrogativae*, non interrogantes illae quidem, sed obiectum modumve rei exprimentes et incipientes per *quis*, *quid*, *quomodo* cet. postponuntur; Cic. ad Div. IX, 29. in. *Nam et scripsisti aperte, quid tibi videretur* cet. ob negligentiam. Cic. Manil. 1. *facile intellexi, et quid de me iudicaretis, et quid aliis praescriberetis.* Recte ob longit. Cic. ad Div. IV, 14, §. 4. *tamen intelligebam, quam crudelis esset futura victoria.* Recte.

VII) *enuntiationes similitudinis* postponuntur: Cic. Phil. II, 39. *Medico tria millia iugerum* (int. *dedisti*), *quasi te sanum feciſſet; rhetori duo, quasi disertum* cet. Recte.

VIII) *relativae*, incipientes per *qui*, *qualis*, *quantus*, *quot*, *quoties*, *quam*, *quantopere*, *ut wie*, *ubi* postponuntur iis, quae ipsis respondent et incipiunt per *is*, *talis*, *tantus*, *tot*, *toties*, *tam*, *tantopere*, *ita*, *ibi*: v. c.

1) *is* — *qui* pro: *qui* — *is*. Hoc fit saepissime, etiam τῷ *is* omisso. Cic. Font. 2. *hunc praesentem iis adfecit honoribus, quos habuit amplissimos.* Cic. Senect. 14. *satiatis — iucundius est carere, quam frui; quamquam non caret is, qui non desiderat.* Recte. Sic *quidquid* Cic. Offic. III, 25. in. *Sol Phaethonti filio facturum se esse promisit, quidquid optasset: optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est* cet. Recte. Plura v. in lib. mai.

2) *talis*, *qualis*: Cic. ad Div. X, 22. extr. *literas tuas vehementer exspecto, et quidem tales, quales maxime opto.* Recte. Cic. Catil. II, 2. *At si quis est talis, quales esse omnes oportebat.* Recte.

3) *tantus*, *quantus*: Cic. Verr. Act. I, 2. *Neque tantum me exspectatio accusationis meae — commovet, quantum istius insidiae nefariae, quibus* cet. Recte. Cic. Manil. 9. *Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare.* Cic. ad Div. IV, 7, §. 15. *Gratia tantum possumus, quantum vicli.* Recte.

4) *tot*, *quot*: Cic. Man. 16. *hoc dicam, neminem fuisse, qui a diis — tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii — ad Cn. Pompeium detulerunt.* Recte: ob seqq. *quod ut* cet.

5) *to-*

5) *toties, quoties:* Cic. ad Div. VII, 7. in. *Illud soleo mirari, non me toties adcipere tuas literas, quoties a Q. mihi fratre adferantur.*

6) *tam, quam:* Cic. ad Div. XI, 27, §. 8. *Equidem si quando audio, tam defendo, quam me scio a te defendi.* Cic. Agr. II, 4. *Quid tam populare, quam pax?* cet. Cic. Amic. 14. *Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat.* Recte.

7) *tantopere, quantopere:* Cic. Or. I, 35. extr. *Neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere eius in causis oratione delector.* Recte: nam *Neque enim* cet. cohaeret cum praecedd.

8) *ita*, s. *sic*, seq. *ut*, s. *quasi:* Cic. Catil. I, 2. *Vives, et vives ita, ut nunc vivis.* Recte. Cic. Tusc. I, 4. *sed quo commodius disputationes nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non, quasi narretur.* Recte.

9) *ibi, ubi:* Cic. ad Div. III, 6, §. 7. *Considera nunc vicissim tuum* (factum). *Non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses* cet. Recte. Ibid. I, 10. §. 3. *et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare.* Recte.

CAP. V.

DE PERIODO.

SECT. I.

Quid sit periodus?

Periodus dicitur ac dici debet, quando enuntiatio aliqua, quae hoc respectu *primaria* dici possit, per interiectam aliam (interdum plures), v. c. *explicantem, causalem, conditionalem, concessivam, temporalem* cet. dissecatur; v. c. *Saepe res, licet sit difficillima, per industriam indefessam fieri potest facillima:* nam enuntiatio: *Saepe res per indust. indef. fieri potest facillima* dissecatur per hanc interiectam concessivam: *licet sit difficillima.* Non ergo omnis perfectus sensus intra binas interpunctiones maximas inclusus periodi nomine insignien-

signiendus. Non igitur haec verba: *Saepe res per industriam indefessam fieri potest facillima, licet sit difficillima:* sunt periodus, neque haec: *Quemadmodum concordia res parvae crescunt, ita discordia maximae dilabuntur*, ut male credidit Heinecc. fund. st. 117. Nulla enim enuntiatio interiecta est. Haec interiectio efficit illum a Cicerone Or. 61. sic dictum *ambitum* s. *circuitum*, (h. e. graece *periodum*), quem Cicero ibidem, quamquam parum perspicue, vocavit quoque *comprehensionem*, *continuationem*, *circumscriptionem*. *Periodus* ergo proprie notat *circuitum*; quia, qui vocabula enuntiationis per illam interiectionem disiecta colligere vult, non recta progredi potest, sed circum illam interiectam enuntiationem ire cogitur.

SECT. II.

Quomodo dissecanda enuntiatio primaria?

Dissectio ista ita instituitur, ut a) vel subiectum a praedicato seiungatur, v. c. *homines, quia mortales sunt, non possunt vitam aeternam his in terris exspectare;* ubi subiectum *homines* a praedicato *non possunt* cet. seiungitur: b) vel aliud vocabulum a cetera enuntiatione disiungatur, v. c. *rogo te, ut, si quid scias, mihi dicas;* hic enuntiatio *ut mihi dicas* dissecta est. Omninoque videndum, ut ista dissectio apte fiat h. e. enuntiatio inserenda post id vocabulum, ad quod proprie pertinet, inseratur; v. c. *ego librum, quia pulcher est, non vendam*, non: *ego non, quia liber pulcher est, vendam.*

SECT. III.

Quaenam enuntiationes inserendae?

Inserendae sunt 1) non *quaelibet*, sed eae, quae a) propter notionum ordinem istum locum merentur, b) ac simul breviores sunt, nec cum sequentibus arcte cohaerent. Valet hic regula superior, ut, quae prius cogiten-

cogitentur, eae prius ponantur. Vnum discrimen est, quod, quas supra (in Cap. de ord. enunt.) praeponendas dicebamus, eae hic inseruntur. Pertinent igitur huc eaedem illae, ut *causales*, *conditionales*, *locum*, *tempus*, *similitudinem indicantes*, *concessivae*, *interrogativae*, *relativae*, *explicantes*. 2) non *ubique*. Valent hic eaedem exceptiones, quas supra in digerendis enuntiationibus valere dixi, ut scilicet enuntiatio, quae natura sua h. e. quia prius cogitatur, inseri mereatur, tamen non inseratur, si vel nimis longa est, vel explicatione in sequentibus persequenda indiget vel ambiguitatem adfert, omninoque aut perspicuitati aut suavitati aut gravitati officit.

SECT. IV.

Quotuplex sit periodus?

Periodus, e vulgari divisione, est vel *simplex* vel *composita*; poterat forsan loco compositae dici *duplex*, *triplex* cet. *Simplex* constat *una* saltem enuntiatione (saepe etiam pluribus per *et* connexis) per interiectam aliquam (interdum duas) dissecta, at sine consequente. *Composita* constat *una* (it. pluribus per *et* connexis) antecedente, et *una* (it. pluribus) consequente enuntiatione; quae utraque per alias enuntiationes dissecta esse debet. v. c. *quamquam omnes, qui divinas leges migrant, poenam dei exspectare debent, tamen, si eos peccatorum poenitet, veniam horum consequi possunt*: Verba: *quamquam omnes poenam dei exsp. debent* sunt enuntiatio antecedens, et verba: *tamen veniam horum consequi possunt*, sunt consequens. Not. interdum periodus simplex est longior quam composita.

SECT. V.

Quid prosit periodus?

Periodus prodest 1) *perspicuitati*, quia enuntiationes ex ordine cogitationum inseruntur, 2) *gravitati*, ob

ob eandem causam: 3) *suavitati* partim ob numerum, qui per illam adiuvatur, partim, quia lectoris et auditoris animus propter enuntiationem interiectam suspensus tenetur, cupideque exitum enuntiationis inceptae exspectat.

SECT. VI.

Exempla periodi e priscis.

Multa exempla dedimus in lib. mai. Paucula inde delibemus:

I) *Enuntiationes causales insertae*, incipientes per *eum, quod, ut, quia, quoniam* cet. Cic. ad Div. IX, 2, §. 5. *Quaeres fortasse, cur*, cum haec in urbe sint, *non absim* cet. Cic. Arch. 9. *Ergo illi alienum*, quia poeta fuit, *post mortem etiam expetunt.*

II) *Enuntiationes conditionales insertae*, incip. per *si, nisi, quoad:* Cic. ad Div. XII, 17, §. 5. *dicam tuis, ut eum*, si velint, *describant.* Cic. Rosc. Am. 24. *Haec magnitudo maleficii facit, ut*, nisi paene manifestum parricidium proferatur, *credibile non sit.*

III) *Enunt. locum indicantes, insertae*, incip. per *quocunque, ubi, unde* cet. Cic. ad Div. VII, 5. in. *Trebatium cogitabam*, quocunque irem, *mecum ducere.* Caes. B. G. IV, 28. *sed aliae eodem*, unde erant profectae, *referrentur.*

IV) *Enunt. temporales insertae*, incip. per *cum, postea quam, ubi, simulac, donec, quamdiu* cet. Cic. Phil. II, 36. *quae*, dum timor adest, *a te non discedit audacia.* Liv. II, 24. *Ne quis militis*, donec in castris esset, *bona possideret.*

V) *Enunt. concessivae insertae*, incip. per *etsi, tametsi, ut gesetzt dass* cet. Cic. Manil. 9. *Noster — exercitus*, etsi urbem — ceperat et proeliis usus erat secundis, *tamen nimia longinquitate locorum movebatur.*

VI) *Enunt.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0162
DFG

VI) *Enunt. interrogativae*, non diserte interrogantes, incip. per *quis*, *quid*, *utrum*, *an*, *cur* cet. Cic. Phil. I, 7. *qui non*, quid efficere posset in republica, *cogitavit* cet.

VII) *Enunt. similitudinis insertae*, incip. per *tamquam*, *quasi*, *sicut*. Cic. Or. 21. *sed est eloquentiae*, sicut reliquarum rerum, *fundamentum sapientia.*

VIII) *Enunt. relativae*, incip. per *qui*, *qualis*, *quantus*, *quot*, *quoties*, *quam*, *quantopere*, *ut wie*, *ubi*, quibus respondent incipientes per *is*, *talis*, *tantus*, *tot*, *toties*, *tam*, *tantopere*, *ita* s. *sic*, *ibi:*

a) *qui*, τῷ *is*, s. *hic* vel sequente vel praecedente vel omisso: Cic. Nat. D. I, 42. *ut*, quos natura non posset, *eos ad officium religio duceret.* Or. III, 9. *diligentissimeque hoc est eis*, qui instituunt aliquos —, *videndum* cet. Or. I, 16. *ut*, qui pila ludunt, *non utuntur — artificio proprio palaestrae* cet. sic et *quicunque*, *quisquis*, *quodcunque*, *quaecunque*, *quidquid* cet. Vid. Cic. Offic. III, 4. extr. ad Div. III, 2, §. 3. XIII, 6. in. Verr. II, 2. IV, 34.

b) *qualis*, τῷ *talis* vel sequ. vel praecedente vel omisso: Cic. Rosc. Am. 4. *quaeso*, *ut*, qualem te — praebuisti, *talem te — impertias.* Or. I, 19. *ut — talis*, qualem se ipse optaret, *videretur.*

c) *quantus*, τῷ *tantus* vel seq. vel praeced. vel omisso: Liv. XXVI, 12. *Ceterum non*, quantum pertinaciae — Romanis fuit, *tantum ad defendendum Hannibali.* Cic. Or. I, 4. *tantum*, quantum ingenio — poterant, *consequebantur.* Sext. 13. *ut — reipublicae*, quantum posset, *mederetur.*

d) *quot*, τῷ *tot* vel seq. vel praeced. vel omisso: Cic. Att. IV, 8. med. *qui tot annos*, quot habet, *designatus consul fuerit* cet.

e) *quoties*, τῷ *toties* vel seq. vel praeced. vel omisso: Cic. Or. II, 31. *Neque enim*, quoties verbum — est scriptum, *toties* cet. Cic. Or. I, 59. *ante condemnentur — quam toties*, quoties praescribitur, *Paeanem — citarimus.*

f) *quam*, τῷ *tam* vel seq. vel praecedente: Cic. Act. I. Verr. 2. *Quod si*, quam audax est —, *tam esset obscurus* cet.

g) *ut*,

g) *ut*, s. *quemadmodum*, *sicut*, τῷ *ita*, *sic* vel seq. vel praecedente vel omisso: Cic. Man. 5. *Videte, ne*, ut illis pulcherrimum fuit —, *sic vobis turpissimum sit* cet.

h) *ubi*, τῷ *ibi* vel seq. vel praec. vel omisso: Cic. ad Div. VI, 4, §. 9. *et*, ubi quisque sit, *ibi esse minime velit*: ep. 1. in. *quin ubivis*, *quam ibi*, ubi est, *esse velit*.

IX) *Enunt. explicativae*, incip. per *qui*, apte h. e. statim post rem, quam explicant, *insertae*: Cic. Rosc. Am. 47. *quod viris fortibus*, quorum opera eximia — exstitit, *honos habitus est*.

X) Aliae enuntiat. insertae, v. c. *ut fit*, *ut opinor*, *ut dixi* cet. Cic. Rosc. Am. 7. *erat*, ut fit, *insolens* cet.

XI) *Vt* adeo praeponitur verbo, a quo regitur: Cic. Att. XV, 5. *mihique*, ut absim, *auctor est*: cf. Verr. IV, 39. Fin. III, 19.

SECT. VII.

De enuntiationibus, quas habemus, apte inserendis.

Enuntiationes sic inseruntur:

1) *causalis*, v. c. Verba: *Deus Noacho soli pepercit, quia solus virtuti studebat*, ita mutantur: *Noacho, quia solus virt. studebat, soli pepercit Deus*, vel *Deus Noacho, quia solus virt. studebat, soli pepercit*, vel: *Deus, quia Noachus solus virt. studebat, ei soli pepercit*.

2) *conditionalis*, v. c. Verba: *quomodo deus hominibus parcere potest, si vitia amant?* mutantur sic: *quomodo deus hominibus, si vit. amant, parc. potest?* vel: *quomodo deus, si homines vitia amant, illis parcere potest?*

3) *enuntiatio locum indicans*, v. c. verba: *quia nescio, ubi sis, ad te venire nequeo*, sic mutes: *quia nescio, ubi sis, ad te* cet.

4) *enuntiatio tempus indicans*, v. c. pro: *quando homines epulantur, mortem non cogitant*, dicas: *homines, quando epulantur, mort.* cet.

5) *concessiva*, v. c. pro: *milites acriter pugnarunt, etsi fessi erant*, dicas: *milites, etsi fessi erant, tamen acr. pugn.*

6) enunt.

6) enunt. *similitudinem* continens, v. c. *tu me, quasi non homo sim, ita contemnis*, pro: *tu me contemnis, quasi non* cet.

7) *interrogativa*: v. c. pro: *omnes sciunt, quid sit virtus*, dicas: *Omnes, quid sit virtus, sciunt.*

8) relativa incipiens per *qui, qualis, quantus, quot* cet. pro: *non possum eos odisse, qui me amant*, dicas: *Non possum eos, qui me amant, odisse*: pro: *rogavit, ut ea omnia curarem, quae opus essent*, dicas: *ut ea omnia, quae op. ess., curarem*, vel: *ut, quae op. essent, ea omn. curarem*, vel: *ut, quaecunque op. essent, ea curarem.*

Haec de inferenda una enuntiatione. Eadem ratione plures inferuntur, v. c. pro: *Rogasti me, ut librum a Titio editum mitterem, simulac possem, quid eum legere velles: statim igitur fratri meo scripsi, ut illum tibi mitteret, cum primum fieri posset; frater enim eum a me legendum accepit*, sic dicas: *Cum me rogasses, ut librum a Titio editum, quia legere velles, simulac possem, tibi mitterem; fratri meo, qui illum legendum a me accepit, statim scripsi, ut, cum primum fieri posset; tibi mitteret.*

SECT. VIII.

De inveniendis enuntiationibus ad inferendum aptis.

At difficilior est *periodi structura*, si enuntiationes inferendae desunt et inveniri debent. Quomodo eas invenias? Hoc fit variis modis:

I) meditandum est, an in enuntiatione, quam disecare vis, desit notio *causae, conditionis, temporis, loci* cet. Singulae hae notiones exprimi possunt per enuntiationes, quas inferere potes: v. c. dicis: *Deus Noacho pepercit.* Hic multa quaeri possunt, v. c. *cur? quando? ubi?* cet. multa ergo addi: v. c. *quia deum coluit: cum ceteros homines perire iussisset*, cet. En

igitur periodum: *Deus, cum ceteros homines perire iussisset, Noacho pepercit*, vel *Deus Noacho, quia ipsum colebat, pepercit.* Vtramque iungas: *Deus, cum ceteros hom. perire iussisset, Noacho, quia ipsum colebat, pepercit.* Potes et priori enuntiationi causam addere et dicere: *Cum deus omnes homines, quia flagitiis dediti erant, perire iussisset, Noacho, qui ipsum colebat, pepercit.* Potes et addere, *qua ratione* perierint, et *cur* deus id fecerit, atque dicere: *Deus, cum iustitiae suae memor, omnes homines, Noachi aetate viventes, quia flagitiis dediti erant, aquae vi immissa perire iussisset, Noacho soli, quia ipsum colebat, benignitatis suae memor modo mirabili parcendum putavit.* Sic enuntiatio *concessiva* facile reperitur, v. c. dicenti: *industria sine ingenio parum prodest*, facile in mentem venit: *licet per se laudanda sit:* fit ergo periodus: *industria, licet per se laudanda sit, tamen sine ing.* cet. Sic et *conditionalis*, v. c. *industria, si caret ingenio, parum prodest* pro *sine ingenio.* Sic et *explicativa*, incipiens per *qui*, facile invenitur, v. c. pro: *Alexander vicit Darium* dicitur: *Alexander, qui Magnus est appellatus*, cet.

II) Saepe enuntiatio dissecanda per *accus.* cum *infin.* vel per *ut* cum coni. efferenda est, v. c. *Accipies, quae petiisti* mutes ita: *confirmo, te, quae petieris, acceptu-rum:* sic pro *scribe, si potes*, dicas: *rogo te, ut, si possis, scribas.* Saepe praefigi potest *fit, accidit* cet.

III) Commutandis vocabulis facile oritur enuntiatio inferenda; v. c.

1) *nam, enim* mutatur in *quia, quoniam, cur:* v. c. pro: *Cicero ab omnibus legi meretur: est enim praeclarus scriptor*, dicas: *Cicero, quia est praecl.* f. *cum sit praeclarus scriptor, ab omn.* cet.

2) pro *adiectivo* vel *participio* ponas *qui:* sic habes enuntiationem explicativam, v. c. pro: *omnes bonos libros legi* dicas: *Omnes libros, qui boni sunt, legi:* sic pro

rem

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0166
DFG

rem diu exſpectatam adcepi dicas: *rem, quam diu exſpectaveram*, cet. hinc patet, nimis amantes participia non eſſe felices in periodo ſtruenda.

3) *quidem (zwar)* mutetur in *etſi, licet* cet. ſic habes enunt. conceſſivam, v. c. pro: *deus eſt quidem benignus, attamen eſt quoque iuſtus*, dicas: *deus, licet ſit benignus, tamen* cet. Interdum deeſt *quidem*; at cogitatur, v. c. *amo te valde, nec tamen tibi gratificari ubivis poſſum*, dictum eſt pro: *amo te quidem* cet. Ergo dicas: *Non tibi, etſi te valde amo, tamen grat* cet.

4) *et* in particulam temporis, v. c. pro: *multi mentiuntur, et hoc ſibi honori ducunt*; dicas: *Multi, cum mentiuntur, hoc* cet.

5) *propter* in *quia, cum* cet. v. c. pro: *fratrem tuum ob eius magnam doctrinam omnes admirantur*, dicas: *fratrem tuum, quia eſt magna doctrina ornatus* cet.

6) *in* in *etſi, quando, cum* cet. v. c. pro: *ſapiens in ſumma paupertate felix ſibi videtur: Socrates in fine vitae praeclare locutus eſt*, dicas: *Sapiens, licet in ſumma paupertate verſetur* cet. *Socrates, cum finis vitae inſtabat* cet.

7) *poſt* in *poſtquam, cum* cet. v. c. pro: *Roma credebat, ſe poſt mortem Caeſaris liberam fore*, dicas: *Roma credebat, ſe, poſtquam Caeſar interfectus eſſet*, cet.

8) *per* in *quia, etſi* cet. v. c. pro: *per pecuniam homo non ſemper fit felix* dicas: *homo, licet pecunia abundet*, vel: *quia pecuniam habet, propterea non* cet.

9) *inter* in *dum*, v. c. *dum coenabat* pro *inter coenam.*

10) *ſine* in *qui; ſi, niſi*; v. c. pro: *homo ſine ingenio parum diſcit*, dicas: *qui* ſ. *ſi ingenio caret, niſi ingenio inſtructus eſt* cet.

11) *praeter* in *ſi excipis, excipimus*, v. c. *ſi excipis Adamum* pro: *praeter Adamum.*

12) *valde* in *tantopere, quantopere* cet. v. c. pro *ſcio me valde a te amari*, dicas: *ſcio, me, quantopere vix filius a patre ametur, tantopere* cet.

13) *magnus, maximus* in *tantus, quantus*, v. c. pro: *Cicero effecit, ut maxima dignitate frueretur*, dicas: *Cicero effecit, ut, quantam dignitatem pauci conſequuntur, tanta frueretur.*

14) *locus* in *particulam loci*, v. c. pro: *miror, te meam domum neſcire*, dicas: *miror, te, ubi habitem, neſc.*

15) *tempus* in *particulam temporis*, v. c. pro: *multi tempus rei nesciunt*; dicas: *multi, quando res acta sit* cet.

16) *omnis, omnia* in *quisquis, quidquid, quicunque, quaecunque* cet. v. c. pro: *quis dubitat, quin omnis nostra scientia parva sit*, dicas: *quin, quidquid scimus, id* cet. Sic pro: *ignis omnes libros mihi eripuit*, dicas: *ignis, quidquid librorum* s. *quoscunque libros habueram* cet.

17) *causa* in *cur, unde*: v. c. pro: *multi dubitant: at dubitationis causam non addunt*, dicas: *multi dubitant: at, cur dubitent, non* cet. sic *tonitru audis, sed, unde oriatur, nescis* pro *eius causas* cet.

18) *res* in *quid*, v. c. *tu, quid factum sit, non audisti*, pro *rem.*

19) *modus* in *quomodo, qua ratione*, v. c. pro: *qui rationem institutionis non intelligit, non debet pueros instituere*, dicas: *qui, qua ratione pueri instituendi sint, non intell.* cet.

20) *periphrases* hic valde prosunt, v. c. *ii, qui nos genuere* pro *parentes.*

SECT. IX.

Cautiones aliquot de usu periodi.

1) Omnis inserta enuntiatio aptam sententiam habere debet.

2) Periodo ubique uti non licet. Ineptum hoc foret ac taedium crearet. Variatione opus est. Hinc et *incisa* s. *commata* ac *membra* s. *cola* usurpanda sunt, quod vocatur *incisim membratimque dicere* ac *scribere. Commata* et *cola* sunt enuntiationes nulla enuntiatione dissectae: illa sunt breviora, haec longiora. E rhetorum praeceptis *commata* ad octo syllabas procurrunt: *cola* ad septendecim h. e. possunt IX, X—XVII syllabis constare. cf. Cic. Or. 66, 67. ubi haec vocat *incisa* s. *commata. Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas:* et haec *membra* s. *cola: incurristi amens in columnas: in alienos insanus insaniisti.* Sunt ista magis subtilia quam utilia: quis syllabas ubique

que numeret? Satis est, scire, nos debere modo *periodis*, modo *membris incisisque* uti.

3) Periodus non debet nimis longa esse: nam fatigat lectorem vel auditorem, taediumque et obscuritatem adfert. Longiores periodi a priscis vocantur πνεύματα h. e. *spiritus*, si uno spiritu pronuntiari possunt; vel τάσεις h. e. *extensiones*, si uno spiritu a nemine pronuntiari queunt. Hae vitandae in dicendo: in scribendo tolerari possunt, quia lectoris oculus plura comprehendere valet, quam auris auditoris.

4) Enuntiatio inserenda debet esse brevior ea, qui inseritur, vel saltem videndum est, ne verba posteriora enuntiationis dissectae nimis pauca sint prae interiecta enuntiatione, v. c. non dixerim: *patrem, etsi me nullis adficere solet beneficiis, amo:* est contra numerum: saltem dixerim: *tamen amo*, vel *tamen amare non dubito.*

5) In composita periodo videndum est, quantum fieri potest, ut consequens enuntiatio vel eandem vel non multo minorem longitudinem habeat, quam antecedens habuerat. V. c. Cic. Div. in Caecil. 1. in. *si quis vestrum* cet. Font. 14. in. *Quod si aut, quantam* cet. Agr. II, 36. extr. *Quemadmodum, cum* cet. Catil. I, 13. *Ut saepe homines* cet. ad Div. III, 8. in. *Etsi, quantum* cet. In his locis brevior est consequens antecedente. Contra paulo longior est consequens antecedente Cic. Agr. II, 37. *Nam si ii* cet. Patet hinc, raro utramque enuntiationem interiectam plane aequalem sibi reddi posse. Caveamus tantum, ne antecedentem longissimam consequens nimis brevis sequatur.

6) Periodus non modo in orationibus, sed et alibi adhiberi potest, v. c. in epistolis, in historia scribenda cet.

7) Dividunt etiam vulgo *periodos* in *bimembres*, *trimembres*, *quadrimembres*, prout *duabus*, *tribus* cet. enuntiationibus interiectis constant, et *quadrimembres* perfectissimas esse dicunt. At totum hoc est parvae utilitatis, quia se quisque ad materiam, quam tractat, adcommodare debet ac videre, quid et quantum dici interiicique possit. Imo talia praecepta tirones inducere possunt et efficere, ut plus studii in verborum fuco, quam in rei veritate ponant. Hoc tamen teneamus, suave esse, si, quot enuntiationes antecedenti, totidem consequenti enuntiationi insertae fuerint, v. c. *si, quantum regibus confidere solemus, tantum fiduciae in deo poneremus; haud dubie, quo gravius nos mala premerent, eo minus desperandum putaremus.* Hic una est in antecedente, una in consequente. Hac in re peccavit Cicero Caecin. 1. in. *Si, quantum* cet. ubi una est in antecedente, non item in consequente.

CAP. VI.

DE NVMERIS ORATORIIS s. NVMERO ORATORIO.

SECT. I.

Quid sint numeri oratorii? (numerus?)

Numeri oratorii (sic rectius, quam *numerus orat.* ut infra patebit) conveniunt cum *numeris poeticis*, ut Cicero ipse ait, et cum *numeris musicis*. Quid sunt *numeri poetici*, *musici*? quid aliud, quam *dimensae* unius Totius *partes sibi aequales*? In re musica *numeri* sunt *partes carminis dimensae sibique aequales*, quarum mensura indicatur pede, manu, lineola perpendiculari, et quae vocantur *Tacte*: hae partes omnes sibi sunt aequales *tempore*. Sic *numeri poetici* s. pedes sunt

ſunt demenſae unius verſus partes (ſ. membra) tempore ſibi aequales: v. c. ſpondeus aequat dactylum cet. Eadem ratio eſt *numerorum oratoriorum:* ſic enim primis temporibus haud dubie loquebantur, utentes plurali, non ſingulari, hi igitur *numeri oratorii* ſunt *partes (membra) aequales unius maioris ſententiae.* Poſtea et in ſingulari dicere coeperunt *numerum oratorium:* hinc orta difficultas definiendi. At poteſt quoque in ſingulari definiri, ut *numerus* ſit *aequalis menſura enuntiationum* (membrorum) *earum, quae ad ſe invicem referuntur atque ita unum Totum conſtituunt.* Facilius tota res intelligitur, ſi cogitamus, *numerum* proprie ſignificare *partem (membrum)* quamlibet, in primis *demenſam* et *ceteris partibus aequalem:* hinc patet, *numeros muſicos, poeticos, oratorios,* it. *militares, palaeſtricos, ſaltatorios* eſſe *partes unius Totius demenſas ſibique aequales:* v. c. Ovid. *carmen numeros veniebat ad aptos* i. e. *partes ſuas* h. e. *pedes.* Sic *cohortes* dicuntur *numeri* i. e. *partes legionis aequales. Numerus* de *parte qualibet* ſ. *membro* occurrit Ovid. Met. VII, 127. de embryone: *perque ſuos intus* numeros *componitur infans* i. e. *partes* ſ. *membra:* ut adeo in numeris muſicis, poeticis, oratoriis, militaribus, palaeſtricis cet. ne translatione quidem opus ſit, quia ubique proprie ſumere licet. *Numerum* autem propr. eſſe *partem* non mirum eſt: quid enim numerabant priſci, praeter partes unius Totius? v. c. *agnos*, qui ſunt partes gregis: et ſic nos numeramus nonniſi partes unius Totius. Et forſan vernacula *Zahl* et *Theil* ſunt eiuſdem originis: ſic Graecis *νόμοι* dicuntur *numeri muſici*, a *νέμω partior.* Ceterum hinc patet, *numerum* non eſſe ipſam *harmoniam*, *Wohlklang*, ut nonnullis videtur, ſed cauſam tantum huius harmoniae.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0171
DFG

SECT. II.

Vtilitas et origo numerorum orat.

Numeri prosunt 1) *suavitati;* nam omnis proportio s. demensa aequalitas placet: 2) *perspicuitati*, et *gravitati*, quia res ita magis oculis et auribus exponuntur ac sentiuntur. Inventores putantur Thrasymachus et Gorgias Leontinus; post perfecisse dicitur Isocrates; v. Cic. Or. 52.

SECT. III.

Quotuplices sint isti numeri? (numerus?)

Triplex genus est istorum *numerorum*, s. *numeri:*

I) *Enuntiationes* arcte coniunctae, in primis sibi oppositae, debent, ubi fieri licet, in certis partibus (membris) h. e. vocabulis sibi aequales esse seu respondere, ita, ut totidem vocabula eiusdem generis respondeant praecedentibus: v. c.

1) *unum vocabulum uni vocabulo eiusdem generis respondet;* v. c. nomen nomini, participium participio, ablativus ablativo, adverbium adverbio cet. Sic Cic. Mil. 4. *Est haec non* scripta, *sed* nata *lex:* — *ad quam non* docti, *sed* facti, *non* instituti, *sed* imbuti *sumus:* ubi opponuntur *scripta* et *nata: docti* et *facti: instituti* et *imbuti.* Peccasset Cicero, si dixisset: *est haec non a maioribus scripta, sed nata lex:* quia prius membrum tum longius fuisset posteriori. Not. Cicero hanc aequalitatem vocat *concinnitatem* Or. 49, ubi istum locum exempli causa adfert.

2) *bina vocabula binis eiusdem generis respondent:* v. c. Cic. ad Div. VI, 2. §. 5. *Si armis aut* conditione positis *aut* defatigatione abiectis *aut* victoria detractis *civitas respiraverit:* ubi respondent sibi *conditione positis, defat. abi., victor. detr.* et ablativi ablativis. cf. Cic. Arch. 6. *aut otium meum abstraxerit* cet. Cic. Marc. 2. *nec contentionum magnit.* cet. Cic. Or. I, 5. *populi motus* cet.

3) *ter-*

3) *terna ternis respondent:* v. c. Cic. Or. I, 9. *quis — tibi hoc concesserit, — genus humanum — non* prudentium consiliis compulsum *potius quam* disertorum oratione delinitum, *se oppidis moenibusque sepsisse.* Hic opponuntur sibi *prudent. cons. compuls.* et *disert. orat. delinitum:* ubi genitivus genitivo, ablativus ablativo, participium participio respondet. Si Cicero omisisset *compulsum*, debuisset quoque omittere *delinitum*, et sic in ceteris. Add. Cic. Mil. 4. *Est haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, adcepimus, legimus, verum ex natura ipsa adripuimus, hausimus, expressimus;* ubi not. *didicimus, adcepimus, legimus* et *adrip. haus. expressimus:* hunc locum Cicero ipse Or. 49. nomine *concinnitatis* insignivit.

4) plura quoque verba sibi respondent, v. c. Cic. Verr. V, 6, *ut, quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reservares?* Hic oppon. *quam* et *hanc, damnatis* et *indemnatis* cet. Add. Cic. Verr. IV, 52. *conferte hanc pacem cum* cet. quem locum Cic. Or. 50. in. tanquam exemplum *numerorum* memorat.

Sed hic duo notanda:

a) Ista aequalitas (numerus) non ubique adfectanda, sed tantum adhibenda est, ubi materia suppeditatur, praesertim in re gravi. Nec Cicero ubique adhibuit: v. c. Arch. 6. *quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad dies festos ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis* cet. Hic non sunt membra aequalia: nam *ad suas res obeundas* sunt quatuor verba sine genitivo sed *ad festos dies ludorum celebrandos* sunt quinque et inest genit. *ludorum* cet. Ibid. 7. *secundas res ornant* cet. ac saepius: peccavit ergo contra numerum, sed non in re: et melius est contra illum, quam contra hanc peccare.

b) quaeritur, unde materiam huius aequalitatis (numerorum) petamus? In primis variatione et copia dicendi, de qua infra. Debemus rem, quam tractamus, omnibus ex partibus considerare ac videre, an vocabula adhuc addi possint, v. c. similitudo, contrarium cet. Hic interdum prodest phrasin pro uno verbo ponere, ex uno substantivo duo facere cet. v. c. quando dico: *nemo potest sine labore ad doctrinam adcedere* recte dico; quia

labore et *doctrinam* sibi respondent: at cum dico: *nemo sine laboris adsiduitate ad doctrinam adcedere potest*, vel: *nemo sine labore ad doctrinae suavitatem adcedere potest*, pecco in utroque. At utrumque iungatur: *nemo sine laboris adsiduitate ad doctrinae suavit. adc. potest:* ita erit numerus. Potest et sic variari: *non otii studio, sed laboris adsid. ad doctr. suav. adced. licet.* Sic pecco dicens: *quod Caius propter amorem facere studuit, id Titius odio incitatus prohibuit:* dicendum est vel *propter amorem* et *propter odium*, vel *amore ductus* et *odio incitatus:* possis etiam, si tria verba tribus opponere placet, ita dicere: *quod Caius amoris magnitudine ductus facere voluit, id Titius odii vehementia incitatus prohibuit;* vel, si quatuor: *quod Caius incred. amoris magnitudine adductus — id Titius acri impetu odii inflammatus* cet. vel si quinque: *quod Caius incred. amoris acerrimi magnitudine inflammatus — id Tit. acri impetu odii saevissimi abreptus* cet. possis et adverbia addere, illic *egregie*, hic *turpiter:* possis et pro *Caius* dicere *Caii humanitas*, et pro *Titius* ponere *Titii crudelitas;* possis et τοῖς *humanitas* et *crudelitas* adiectivum addere, ac sic longius progredi cet.

II) Alterum genus est, quando pars posterior dissectae enuntiationis vel aequalis est insertae enuntiationi, vel etiam maior, vel saltem non nimis brevis prae illa. Nec enim hic *aequalitas* subtiliter intelligenda, quasi syllabae semper numerari debeant.

Notandum hic:

a) pertinere huc et omnem enuntiationem, quae alteram, cum qua coniuncta est, sequitur, licet non dissecta sit. Etiam haec praecedenti, quantum fieri potest, aequalis reddi debet.

b) sed quaeritur, si pars posterior dissectae enuntiationis vel omnino enuntiatio consequens brevior per se sit, quo modo longior reddi queat. Hoc fit variis rebus; in primis addendo vocabulo, v. c. substantivo, verbo, adverbio, adiectivo: it. per phrasin loco unius verbi, aliaque circumscriptione: v. c. pro: *quod tua crudelitas fecit, non ego faciam* dicitur: — *id mea humanitas non faciet;* pro: *olim vivebas cum laude, nunc non*, dicitur: — *nunc cum ignominia;* pro: *pater, ubi mortem filii audivit, flebat*, dicitur: *lacrymas tenere non potuit:*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0174
DFG

potuit: pro: *rex civibus, quia eos poenitere facti videbat, pepercit*, dicitur: *parcendum decrevit*, ſ. *ſtatuit, putavit*: vel: *rex, cum cives facti poenitere vidiſſet, in eos clementia utendum ſtatuit.*

c) Hoc genus numerorum non ubique adhiberi debet neceſſario; in levibus rebus contra eos peccare licet: non item in gravibus.

III) In primis verborum compages, ſive ſit pars diſſectae enuntiationis poſterior, ſive per ſe enuntiationem efficiat, quando ſententiam univerſam claudit h. e. inter ultimum ſignum diſtinctionis minimae, quod *comma* vocant, et inter ſignum diſtinctionis maximae, quod *Puncti* nomen vulgo gerit, intercedit, debet praecedenti verborum compagi (ſ. membro) vel aequalis vel potius paulo longior vel ſaltem non nimis brevis prae illa eſſe. Exigit hoc a) ſuavitas, quia omnis proportio placet; b) in primis perſpicuitas et gravitas, praeſertim in orationibus. Nam quo propior clauſulae ſuae ſit ſententia, eo magis adtenditur, eoque longior pars exſpectatur: deinde in fine ſententiae vox ſe remittere ſolet, ut facile una alterave ſyllaba pereat: hinc, quo brevius eſt ultimum membrum, eo minus tota eius ſententia percipitur.

At haec omnia nituntur contextu: v. c. in oxymoris parum valeat iſta regula. *Dum tacent, clamant*, rectius h. e. gravius eſt dictum, quam: *dum tacent, eos clamare quis non intelligit?*

Haec ſufficere poſſint ad cognoſcendos numeros. Sed eo referuntur, Cicerone auctore, inſuper haec duo:

I) Vltimum vocabulum ſententiae, poſt quam ſignum diſtinctionis maximae ponitur, debet, ſi fieri poteſt, a) paulo longius eſſe, et b) in primis paenultimam habere longam; et c) haec paenultima inter ceteras vocales τὸ *a*, propter ſonum clariorem, libenter recipit: permittuntur tamen etiam *o* et *e*, rarius *i* et *u*:

v. c.

v. c. *fateatur*, *videatur*, *perterrefecit* etc. quae melius ſententiam claudunt, quam: *docuit*, *habuerit*, *eſt*, *ſit* cet. Recte. Millies ſic Cicero, v. c. Manil. 1. *prohibuerunt:* deinde *putavi:* tum *conſecutus* cet. At

1) quaeritur, quaenam ſit huius clauſulae cauſa? *ſuavitas* an *perſpicuitas?* Suavitas pendet a conſuetudine? ergo perſpicuitas, puto, in dicendo. Nam in fine ſententiae cadit vox oratoris fitque obſcurior in ultimo vocabulo, ut auditor procul ſtans unam vel duas extremas illius ſyllabas non ſatis audire queat, ſi quidem a) vel ſint breves: nam priſcos breves ſyllabas celerrime h. e. ita, ut vix audirentur, pronuntiaſſe in Cap. de Orthogr. monui, b) vel paenultima huius ultimi vocabuli, licet longa ſit, careat vocali ſonantiori, v. c. *a* et *o*. At ſi vocabulum eſt longius, auditor, etiamſi unam alteramve ſyllabam non ſatis percepit, tamen ex una duabusve ſyllabis recte auditis ceteras colligit: praeſertim ſi paenultima longa eſt h. e. cum quadam vocis intenſione, ut Romani ſolebant, pronuntiatur: tum enim nonniſi ultima ſyllaba perit: quam facile e ſyllabis praeced. intelligere poteſt. Pertinet ergo iſta clauſula ad orationem proprie: tamen et alibi adhibita eſt a priſcis ſaepiſſime.

2) clauſula illa numeroſa non ubique cupide ac putide ſequenda eſt: et recte Cic. Or. 63.: *primum — numerus agnoſcitur; deinde ſatiat; poſtea — contemnitur.* Hinc ipſe illam ſaepe neglexit, v. c. Cluent. 19. *e manibus*, et ſtatim: *potuit.* Materia ipſa dare debet clauſulae locum. Quantam vero vim Cicero iſti clauſulae tribuat, vix dici poteſt: memorat adeo Or. 63. populum propter dichoreum ſ. ditrochaeum *comprobavit* in Oratione Carbonis exclamaſſe. Verba Carbonis fuerant: *patris dictum ſapiens temeritas filii comprobavit.* Sed dubito, an ditrochaeus cauſa tanti clamoris fuerit, cum millies ditrochaei recitati ſint, nec clamorem excitatum eſſe legamus. Forſan oppoſitio vocabulorum: *patris dictum ſapiens* et *temeritas filii*, praeſertim arcta coniunctio: *ſapiens temeritas* clamorem iſtum excitavit; forſan et Carbonis vox ſonora et volubilis, forſan et alia res. Nam cauſam, cur alii clament, nemo certo ſcit, praeter ipſos clamantes; imo ne hi quidem ſaepe ſciunt, cur clament;

clament; quia multi saepe propterea clamant, quia alios clamare audiunt.

II) Cicero praeterea de numeris poeticis in tota oratione apte permiscendis loquitur. At 1) non distincte de ea re agit, ut ipse dubius fuisse videatur, vid. eius Orat. 57 seqq. 2) nec ipse id observavit. Multo minus nos observare possumus, qui vocabula latina non e quantitate syllabarum ubique pronuntiamus, ut Romani feciſſe videntur: v. c. *hominibus*, *amaviſtis* ita pronuntiamus, tanquam antepaenultima illic longa, hic sit brevis. 3) Ac si possemus observare, oratio foret adfectata: et dum ista numerorum lenocinia captarentur, interim robur sententiarum effugeret. Orationis gravitas pendet a permotione animi: hic dictat graves sententias: nonne frigesceret, si istum numerorum permistorum tinnitum diu meditareris? — Idem dicendum de regula illa, qua volunt vocabula ita iungi, ut vocales et consonantes se excipiant; v. c. *quidquid in illa re dicitur, id esse debet* cet. cf. Cic. Or. 44. At Cicero ipse non observavit nec observare potuit, si quidem gravitati rerum et verborum ad hanc declarandam aptorum delectui sapienter studuit.

Ceterum iis, quae de *numeris* in hoc cap. dixi, haec addam: 1) nunquam debent videri quaesiti esse, sed sponte venisse, vid. Cic. Or. 65. 2) semper inesse iis debet sententia vera et apta. Recte Cicero Or. 71. *composite et apte, sine sententiis, dicere insania est* cet.

CAP.

CAP. VII.

DE MODIS CONNECTENDI VOCABVLA, ENVNTIATIONES ALIASQVE VERBORVM COMPLEXIONES VEL MAIORES VEL MINORES.

Nihil magis ab eloquente postulatur, quam apta dictorum connexio. Hinc de ea dicendum.

SECT. I.

De connexione vocabulorum singulorum.

Singula vocabula *eiusdem generis*, v. c. nomen et nomen cet. varie iunguntur.

I) *Duo* (it. plura) *vocabula*, inter se diversa, sed arcte inter se cohaerentia h. e. ad idem vel subiectum vel praedicatum pertinentia, solent, ut de *cum tum*, s. *tum tum*, *non modo sed etiam* cet. nihil dicam, in primis iungi

1) per duplex (vel triplex etc.) *et*: quod etsi proprie est i. q. duplex *tum, non modo sed etiam*, tamen saepissime ponitur, ubi vernacula uno *et* contenta est, v. c. Nos dicimus: *Vater und Mutter*; Latini libenter: *et pater et mater*: Nos: *meine Eltern und Brüder sind gekommen*: Latini: *mei et parentes et fratres* cet. Nos: *Wir sollen Gott lieben und ehren*; Latini: *debemus deum et amare et colere*. Millies sic prisci, v. c. Cic. ad Div. III, 10, §. 5. *Omnia volo a me et postules et exspectes, ich bitte alles von mir zu fordern und zu erwarten*: ubi unum *et* sufficere poterat. Notes hic: a) ista ratio *et* duplicandi non valet, nisi vocabula copulanda diversae sint significationis: si igitur alterum alterius explicatio est vel saltem parum aut nihil ab illo differt, abstinendum est illa; v. c. Cic. ad Div. III, 9, §. 14. *id feci adductus auctoritate et consilio tuo*. Agr. II, 5. *corpore inculto et horrido*: b) prisci tamen etiam saepe

pe uno *et*, ſ. *ac*, *atque* contenti fuere, ubi duplicare potuiſſent, v. c. Cic. ad Div. III, 6. extr. *conſtitues, quo loco — et quo die* cet.

2) per repetitionem vocabuli praecedentis, v. c. *qui, ſi* cet. v. c. Cic. ad Div. V, 5, §. 2. *omnia — a me in te profecta ſunt*, quae *ad tuum commodum*, quae *ad honorem*, quae *ad dignitatem pertinerent;* Verr. V, 58. in. *ſi quis rex, ſi qua civitas — ſi qua natio* cet.

3) per *ut* adverb. ſequente *ita*, v. c. pro: *patrem tuum et te amo* dici poteſt: *ut patrem tuum, ita te amo.* Sed not. a) in hac forma *ut* ſemper manet particula ſimilitudinis: neque ergo ubique *ut ita* pro *et* dicendum. b) *ita* ſemper ſequi, *ut* praecedere debet. c) perſpicuitas adtendenda: v. c. non dixerim: *Salmaſius tanto priſcos legendi ſtudio flagravit, ut, ut graecos, ita romanos brevi legeret:* ob duplex *ut.*

4) interdum per duplex *vel* pro *partim-partim*, v. c. Cic. ad Div. III, 10. §. 14. *cum tu omnibus vel ornamentis vel praeſidiis redundares.*

II) Duo vocabula eiuſdem generis (it. plura), quorum notiones ſibi ita oppoſitae ſunt, ut alterutra tollatur, iunguntur per *duplex* (it. *triplex* cet.) *aut, vel, ſive*, ubi vernacula lingua uno *vel*, *aut*, contenta plerumque eſt; v. c. *rogavi patrem, ut mihi aut (vel) libros aut (vel) pecuniam ad eos emendos mitteret*, daß *er mir die Bücher oder das Geld dazu ſchicken ſoll:* ſic: *ich werde morgen ſchreiben oder ſelbſt kommen: cras vel (aut) ſcribam vel (aut) ipſe veniam.* Not. a) ſaepe etiam priſci unum *aut*, *vel*, ponunt, ubi duplex ponere poterant: b) ſi ambae notiones per *aut*, *vel*, copulandae non valde inter ſe differunt, vel poſterior eſt explicatio prioris, unum *aut*, *vel* ſufficere debet. v. c. Cic. Marc. 2. *quae — niſi magna eſſe fatear, ut ea vix cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim.*

III) *Duo vocabula* (it. plura), quorum notiones ambae tolluntur, iungi ſolent

1) per duplex *nec*, ſ. *neque*, it. per *nec-neque*: ſ. *neque-nec*, nam inter *nec* et *neque* nullum eſt diſcrimen. Vernacula

nacula hic saepe abit, v. c. *Vater und Mutter ist nicht zu Hause, nec pater nec mater domi est*; sic: *ich habe dies in meinem Leben nicht gesehen noch gehört, hoc per omnem vitam nec vidi nec audivi.* Sic prisci plerumque: rarius *non* seq. *nec* s. *neque.*

2) per repetitionem vocabuli negativi, quae res ad gravitatem dicendi pertinet, v. c. *nemo te amat, nemo colit, niemand liebt noch ehrt dich*: sic: *non libri, non magistri tibi defuere, es hat dir nicht an Büchern noch an Lehrern gefehlt.*

3) per *ne quidem* seq. *nedum*, si posterior res est maior priori: interdum *ne quidem* deest.

4) per *non modo, sed ne quidem*, si posterior res est minor priori: est proprie dictum pro: *non modo non* cet. quae formula nec ipsa falsa est.

IV) Sunt et alii connectendi modi: v. c.

1) per *utrum* s. *ne*, seq. *an*; ubi tamen *utrum* s. *ne* omitti potest: v. c. *quaeris, utrum Ciceronem* (s. *Ciceronemne*) *legerim an Livium*: *quaeris Ciceronem legerim an* cet.

2) per *nec*, s. *neque* pro *et non*, v. c. *habeo libros paucos nec pulchros*: sic saepissime prisci. In primis not. *neo unquam* pro *et nunquam*; *nec quisquam* s. *ullus* pro *et nemo*; *nec quidquam* pro *nihil*; *nec usquam* pro *et nusquam.*

3) per *et is* s. *isque, idemque*, si vel explicationis vel gravitatis causa vocabulum additur: v. c. *habeo multos libros et eos* (*eosque*) *pulchros* i. e. *und zwar schöne*: sic *nec is* pro *et non is*, v. c. Cic. Brut. 76. *plurimae literae nec eae vulgares, viel Gelehrsamkeit, und zwar nicht gemeine.*

SECT. II.

De connexione enuntiationum.

Enuntiationes variis modis iunguntur, v. c.

I) *Duae* (it. plures) enuntiationes, quarum notiones inter se consipirant, per duplex *et* (it. triplex cet.) copulantur, ubi vernacula uno *et* saepe contenta est; v. c. *Te et semper amavi et per omnem aetatem amabo,*

ich

ich habe dich immer geliebt, und werde dich cet. sic: *Non habes, quod querare: nam et deus tibi ingenium praeclarum dedit, et parentes te omnibus rebus instruunt* cet. *denn Gott hat dir ein vortrefliches Genie geschenkt, und die Eltern* cet. Not. huc pertinet *neque* s. *nec* pro *et non*, seq. *et;* v. c. Cic. ad Div. IV, 7. §. 3. *itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego* cet. ibid. X, 1. §. 7. — *nec miror et gaudeo.* It. *neque* seq. *que* Cic. Catil. II, 13. e lect. Graeviana: *ut neque quisquam* cet. quod durum est; in Ed. Ernest. est, *ut ne quis* cet. It. *neque* seq. *et non* Cic. Off. III, 1. *ut neque cessaret* cet.

II) Duae enuntiationes (it. plures), quarum notiones sibi ita oppositae sunt, ut alterutra adfirmetur et concedatur, copulantur per duplex *aut*, *vel*, (it. triplex cet.) ubi vernacula saepe uno *aut*, *vel* contenta est: v. c. *er hat versprochen, daß er bald kommen oder doch bald schreiben werde, promisit, se aut mox venturum aut* cet. *Das muß wahr seyn, oder die Schrift hat gelogen, aut hoc verum sit necesse est, aut* cet.

III) Duae enuntiationes (it. plures) sibi ita oppositae, ut ambarum notiones tollantur, connectuntur per duplex *nec*, *neque*, (it. triplex cet.) ubi vernacula uno *nec* contenta saepe est, vel *et non* ponit, v. c. *der Vater kömmt nicht, und wir bekommen auch keine Briefe von ihm, nec pater venit, nec literas* cet. *Du hast das Buch nicht gelesen, und willst es auch nicht lesen, librum nec legisti, nec* cet. Not. a) Interdum tamen prisci etiam usurpant *non* seq. *nec* s. *neque;* b) occurrit et *nec non* seq. *nec* Cic. ad Div. I, 5. §. 7. *ut nec — non contendamus nec* cet. ubi *nec non* est i. q. *et*, ut saepius: it. occurrit *neque* seq. *et non* Cic. Off. III, 1. *ut neque cessaret unquam et — non egeret:* hoc inusitatius.

IV) Duae enuntiationes, quarum posterior est consecutio prioris, connecti arctius possunt per *ut* pro

quare, igitur, hinc: v. c. pro: *tu nunquam homines amasti: hinc non mirum est, te ab iis non redamatum esse*, dici potest: *tu nunq. hom. amasti, ut non mirum sit, te* cet. Sic prisci saepe, v. c. Cic. Off. I, 26. *ut recte praecipere videantur* cet.

V) Duae enuntiationes saepe per *ita ut* pro vulgari *et* copulari possunt, quando posterior enuntiatio e priori fluit, tanquam effectus, v. c. pro: *valde te amo, et in omnibus, quae cupis, tibi gratificabor*, dici potest: *amo te ita* s. *tantopere, ut — gratificaturus sim:* sic pro: *deus est benignissimus et iubet nos quotidie abundare rebus bonis* dici potest: *deus est tam benignus, ut iubeat* cet.

VI) Duae enuntiationes per *ita ut* pro vulgari *quidem sed* saepe iungi possunt, v. c. pro *amo quidem te, sed vitiis tuis indulgere nequeo*, dicitur: *amo te ita, ut vitiis tuis — nequeam*, s. magis perspicue: *ut tamen vitiis* cet. Cic. Rosc. Am. 26. *ita vivunt, ut ducere animam nequeant, ita moriuntur* cet.

VII) Duae enuntiationes saepe per *is, talis, tantus, tot* seq. *qui, qualis, quantus, quot* pro *ut* copulari possunt; v. c. *du bist nicht ein solcher Mann, daß du lügen solltest, tu non es is, qui mentiaris:* sic: *talem se praestitit pater, qualem si tu te praestares, pro magno viro habendus esses*, ubi *qualem si* cet. est pro: *ut, si tu talem te* cet. sic pro: *amor meus erga te tantus est, ut felicissimus essem, si tuus amor erga me tantus esset*, rectius dicitur: — *tantus est, quantus si tuus erga me amor esset, ego felicissimus forem.* Sic saepe Cicero.

VIII) Duae enuntiationes iunguntur in duplici interrogatione saepe per *utrum* s. *ne* seq. *an;* ubi tamen *utrum* s. *ne* omitti potest; v. c. *Vtrum hoc audisti, an vidisti? Audistine hoc, an vidisti? Audisti hoc, an* cet. sic et extra interrogationem: *dic, utrum hoc audive-*

audiveris, *an videris: dic*, *audiverisne hoc*, *an* cet.: *dic*, *audiveris hoc*, *an* cet.

IX) Duae enuntiationes saepissime iungi solent per *nec* s. *neque* pro *et non*; v. c. pro: *amo te et dicere non possum*, *quare*, rectius dicitur: *nec dicere possum* cet. Huc pertinet *nec ullus* s. *nec quisquam* pro *et nemo*; *nec quidquam* pro *et nihil*; *nec unquam* pro *et nunquam*: *nec usquam* pro *et nusquam*. Millies sic prisci.

X) Duae enuntiationes connecti quoque possunt per *quia*, *cum* pro *hinc*; v. c. pro *pater meus mortuus est: hinc tota nostra domus luget*, dicitur: *quia pater meus mortuus est*, *tota* cet. sic pro: *deus nobis quotidie bene facit: quis igitur eum non amet?* dicitur: *cum deus — bene faciat: quis eum* cet.

XI) Duae enuntiationes iunguntur quoque per *tantum abest*, seq. duplici *ut*, ubi vernacula habet *anstatt daß*, *weitgefehlt*; v. c. *tantum abest*, *ut omnia didiceris*, *ut pauca adhuc scias*. Not. sequitur et *ne* Cic. Or. 68. extr. quod durum est: at Ernesti pro *ne* edidit *ut*.

XII) Duae enuntiationes iunguntur quoque per *ut* s. *quemadmodum* seq. *ita*, s. *sic*, ubi vernacula habet *und* vel *nicht nur sondern auch*: v. c. *ich habe dich immer geliebt*, *und werde dich auch mein ganzes Leben hindurch lieben*, s. *ich habe dich nicht nur immer geliebt*, *sondern* cet. *ut te semper amavi*, *ita — amabo*, seu periodice: *te*, *ut semper amavi*, *ita — amabo*. it. pro *hinc*, v. c. *Gott hat uns viele Wohlthaten erwiesen*, *daher verdient er* cet. *Quemadmodum deus nobis multa beneficia tribuit*, *ita dignus est* cet.

XIII) Sunt plura connectendi genera, v. c. per *etsi* pro *quidem*, *quia* pro *nam* cet. de quibus vid. Cap. V. §. 8. n. III.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0183
DFG

SECT. III.

De connexione complexionum verborum absolutarum.

Complexiones verborum absolutae, inter duo signa distinctionis maximae interiectae, connectuntur v. c.

I) per *qui* pro *hic, is, ego, tu*, abiectis particulis connectendi *et, vero, igitur*, interdum etiam *enim.*, si perspicuitas patitur. Sed not. τὸ *qui* semper ad rem proxime praecedentem referri debere: v. c. *heri cum fratre locutus sum. Cui cum dixissem* cet. pro *et cum ei* vel *cum igitur ei* cet. *da ich ihm nun gesagt* cet. sic: *Doleo, me non adfuisse. Qui si adfuissem* cet. pro: *Si ego*, vel *Si enim adfuissem* cet. Videndum, ut res, ad quam *qui* refertur, huic pronomini quam proxima sit, v. c. haec verba: *Alexander war ein Sohn des Philippus. Da derselbe vor Begierde brannte die Perser zu bekriegen* cet. non debes, si *derselbe* ad *Alexandrum* pertinet, vertere: *Alexander erat filius Philippi. Qui cum flagraret* cet. quia ita *qui* ad Philippum pertineret, sed sic dicendum: *Philippi filius erat Alexander. Qui cum* cet. Not. abiectionem illarum particularum *et, igitur, vero, autem, enim* summe necessariam esse. Stulte dicas: *heri cum fratre locutus sum. Cui igitur* s. *vero cum dixissem* cet.

II) per *nec* s. *neque*, idque dupliciter

a) quando pro *et non* vel *etiam non* ponitur, quae est res nota. Quam vero libenter prisci τῷ *nec* s. *neque* ab initio totius sententiae utantur, inde adparet, quod adeo *nec non* s. *neque non* sexcenties pro *et* vel *etiam* usurpant, v. c. Cic. Rosc. Am. 15. *Neque haec tu non intelligis* i. e. *et tu haec intell.* Ibid. 32. in. *Neque ego non possum* i. e. *etiam ego possum.*

b) quando *neque* s. *nec* pro *non* post Punctum, quod vocant, simpliciter ponitur: v. c. *Neque vero, Neque enim, Neque tamen:* sic millies prisci: v. c. *Neque vero credibile est* pro *Non vero* cet.: *Neque enim possumus* pro: *Non enim* cet.: *Neque tamen negari potest,* pro:

pro: *non tamen* cet. Sic etiam *Neque vero quisquam* pro *Nemo vero; Neque vero quidquam* pro *Nihil vero: Neque vero usquam* pro *Nusquam vero: Neque vero unquam* pro *Nunquam vero.* Sic *Neque enim quisquam* pro *Nemo enim: Neque enim quidquam* pro *Nihil enim: Neque enim usquam* pro *Nusquam enim: Neque enim unquam* pro *Nunquam enim.* Sic *Neque tamen quisquam, quidquam, usquam, unquam* pro *Nemo tamen, Nihil tamen, Nusquam tamen, Nunquam tamen.* Sic prisci millies: et est haec ratio imitanda: dicunt tamen et prisci non raro: *Nemo vero, Nihil vero, Nusquam vero, Nunquam vero:* sic et *Nemo enim, Nihil enim, Nusquam enim, Nunquam enim;* sic et *Nemo tamen, Nihil tamen, Nusquam tamen, Nunquam tamen.* Pertinet huc quoque *Neque* s. *Nec vero non* pro *vero,* v. c. Cic. Mil. 32. in.: *Neque* s. *Nec enim non* pro *enim,* v. c. Cic. ad Div. VI, 1. §. 5. *Neque tamen non* pro *tamen,* v. c. Cic. Or. II, 85.

III) Sunt et alii sententias absolutas connectendi modi, v. c.

1) per *Nam cum:* sic usitatius quam *Cum enim:* it. *Et enim cum.* Attamen et *cum enim* rectum est.
2) per *Quod attinet ad id, quod* cet. pro quo et brevius saepissime occurrit *quod,* v. c. *Quod nonnulli hac de re dubitant, Was das anbelangt, daß einige* cet. Cic. ad Div. V, 2. §. 5. *Quod autem ita scribis* cet.
3) in obiectionibus per formulas: *At obiici possit; At obiiciat quis: Si quis obiiciat* cet. pro quibus et solum *at* potest adhiberi, v. c. *At difficile est:* it. *At vero* v. c. Sulp. ad Cic. IV, 5. §. 7. *At vero malum est* cet.
4) per *Ita, Atque ita, Tali modo* cet. quando effectus rei narratur, vel iudicium de re additur.
5) per *Hic* adv. pro *hac in re* i. e. *da, hierbey, bey dieser Gelegenheit:* Cic. Verr. IV, 27. *hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est* cet. *Da glaubte Verres* cet.
6) in narrationibus v. c. per *Interea, Inter haec, Dum haec geruntur* cet. It. *Tum vero* cet. *Quo factum est, ut* cet. It. per *Cum, Ubi* cet.
7) in conclusionibus per has similesve formulas: *Hinc adparet, intelligitur: Qua ex re videre licet: Unde fit perspicuum: Quis non statim inde intelligit? Quis igitur*

tur adhuc dubitat, quin cet. *Hinc non mirum est: Neque ergo dubium est, quin* cet. Addi possunt, quae de connexione argumentorum et partium libri vel orationis Sect. 4 et 5. dicentur.

SECT. IV.

De connexione argumentorum.

Haec variis fit modis. Omnis res vertitur in oratoris ingenio. Paucula dicemus. *Argumenta* non fere solent enumerari per *primo, secundo, tertio* cet. s. *primum, secundum* cet. Sed

1) si tria sunt: *primum, deinde, tandem* s. *denique* s. *postremo.* Si plura, multis modis variari potest, nisi quod *primum* et *denique* s. *tandem* s. *postremo* suum locum obtinet: v. c. si quatuor: *primum, deinde, tum, postremo:* si quinque: *primum, deinde, tum, praeterea, denique.* Ordo τῶν *deinde* et *tum* non constans est: hinc Cic. Font. 14. *primum, tum, deinde, postremo.* Additur, si numerus crescit, *postea, insuper;* potest et *tum, deinde* repeti. Haec omnia usitate. Quaeritur tamen, annon perspicuitati convenientius sit argumenta plura enumerare per *primum, alterum, tertium* cet. in primis, si singula iterum dissecta sint in partes minores, itidem per *primum, deinde, tum* cet. incipientes.

2) pro istis particulis possunt et aliae formulae usurpari, v. c. *Adcedit, quod:* it. si argumentum est levius: *ut taceam, omittam, praeteream, ne dicam* cet. sin gravius: *Quid dicamus de eo, quod: Quomodo vero tacere* s. *praeterire possim,* s. *Nullo modo praeterire possum.* It. *Restat adhuc aliquid, quod propter gravitatem* cet. It. *Venio nunc ad rem* cet. *Dic mihi adhuc est: Neque vero sufficit hoc vel illud dixisse* cet.

SECT. V.

De connexione sectionum s. partium maiorum.

Partes orationis libellive iisdem plerumque modis connectuntur, quibus sententiae absolutae vel argumenta

menta coniunguntur. Potest tamen hic pro cuiusque ingenio saepe variari; v. c. *Quaeritur hic primum* cet. *Dicendum primum videtur* cet. *Ante omnia explicandum est* cet. *Alterum, quod quaerebamus, erat* cet. *Veniendum mihi nunc est ad* cet. *Nunc consideremus* s. *consideretis* cet. *Video, duo mihi in primis demonstranda esse. Nulla vero maior quaestio unquam eruditos exercuit quam haec* cet. *Dicendum mihi restat* cet. *Vnum adhuc superest* cet. *Neque tamen negari ullo modo potest* cet.: *Quid censendum est* s. *censemus de eo, quod* cet. *Nulla vero utilitas huius rei maior esse potest, quam* cet. Et sic millies. Nec in libris, dissertationibus cet. dedecet maiores partes ob perspicuitatem enumerare, v. c. *primum, secundum, tertium* cet. *prima, altera, tertia res* cet. praesertim si illae in partes minores dissecentur per *primum, deinde* cet. Ceterum tota res hic non late explicari debet, cum ii, qui talem laborem adgrediuntur, iam viri esse soleant, nec nostris praeceptis indigeant.

CAP. VIII.

DE VARIATIONE VOCABVLORVM VNIVERSA s. SIMPLICE.

Vocabula variantur, 1) quia plane idem notant, v. c. *habeo librum* et *est mihi liber; delectare* et *voluptatem adferre:* vel non valde differunt, v. c. *auctoritas* et *consilium.* Haec variatio dici potest *simplex* vel *universa*, estque suavis per se: v. c. *studia literarum tantam voluptatem adferunt, ut nihil nos similiter delectet*, est suavius, quam: — *ut nihil nobis similem voluptatem adferat.* 2) in primis ob *perspicuitatem* vel ob *suaviorem* ideam, vel ob *gravitatem.* Hanc variatio-

nem vocare possis *ornatam*, quia oratio ornatur adcessione melioris ideae. — Nos hic maxime de variatione *simplice* loquemur: *ornatam* ad cap. de perspicuitate, suavitate et gravitate referemus.

SECT. I.

De commutatione substantivorum.

I) *Substantivum* cum *substantivo* saepe commutatur, v. c. 1) *notitia*, *cognitio*, *scientia*; 2) *eruditio* et *doctrina*, it. *scientia rerum multarum*. 3) *abstracta* pro *concretis*, v. c. *adolescentia*, *iuventus*, *senectus* pro *adolescentibus*, *senibus*: sic et nostri: *die Jugend ist kühn*, *das Alter furchtsam*. 4) *consilium* (Entschluss), *ratio* et *sententia*, v. c. *hoc consilium secutus est*, *hanc rationem iniit*. 5) *familiaritas* et *consuetudo*, *Umgang*, si contextus admittit: 6) *anni* hominis et *aetas*. 7) *auctoritas* pro *consilio*, *Rath* (hominis prudentis). 8) *cogitationes*, *sensa animi*, *sententia*, *mens*. 9) *facies*, *os*, *vultus*: at proprie differunt. 10) *vitium*, *Fehler*, *peccatum*, *Versehn*, *error*, *culpa*; at proprie differunt. 11) *opinio*, *existimatio*, *sententia*, *iudicium* de re. At differunt. 12) *verba* et *oratio* (*das Reden*). 13) *cupiditas*, *cupido*, *aviditas*, *studium*. 14) *providentia*, *diligentia*. 15) *studium*, *Eifer*, *industria*, *Fleis*, *adsiduitas*, *opera* et *labor*: at differunt. 16) *pulchritudo* rei, *venustas*, *dignitas*, it. *praestantia*, *excellentia*. 17) *dulcedo*, *suavitas*. 18) *turpitudo*, *foeditas*. 19) *stoliditas*, *stultitia*: it. augendi causa *dementia*, *amentia*, *furor*. 20) *calliditas*, *astutia*: it. *consilium*. 21) *humanitas*, *facilitas*, *liberalitas*, *comitas*. 22) *inhumanitas*, *crudelitas*, *immanitas*. 23) *laetitia*, *gaudium*. 24) *dolor*, *tristitia*, *animi molestia*, interdum *moeror*, *Gram*, it. *luctus*, *Trauer*. 25) *cura*, *Sorge*, *Kummer*, *moeror*, *Gram*. 26) *casus*, *fortuna*.

27) *vita*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0188
DFG

27) *vita* et *salus*. 28) *incolumitas* et *salus*. 29) *mors*, *obitus*, *finis vitae*. 30) *multitudo*, *copia*, *magna pars*, *magnus numerus*. 31) *paucitas*, *exigua pars*, *exiguus numerus*. 32) *probitas vitae*, *sanctitas*, *integritas*. 33) *existimatio*, *Reputation* s. *Ehre*, et *dignitas*: 34) *merita* et *dignitas*, *Verdienste*. 35) *fama* et *rumor*: hic illa est minor. 36) *praestantia*, *excellentia*. 37) *dubitatio*, *haesitatio*. 38) *gravitas* et *pondus*, v. c. *oneris* cet. 39) *improbitas*, *malitia*. 40) *decus*, *ornamentum*. 41) *honor*, *cultus*, it. *observantia*. 42) *paupertas*, *egestas*: haec est maior. 43) *constantia*, *gravitas*, *fortitudo*. 44) *inconstantia*, *levitas*. 45) *magnitudo* rei, *gravitas* v. c. mali. 46) *felicitas*, *beatitudo*. 47) *dignitas*, *der Anstand*, *decor*. Plura lector inveniet.

II) *Substantivum* pro *adiectivo*: v. c. 1) *victor*: v. c. *victor exercitus* Cic. Manil. 21. 2) *nihil rei* et *nulla res*. 3) in primis huc pertinet mutatio adiectivi in substantivum, v. c. *copia virorum* i. e. *multi viri*: sic Cic. ad Div. V, 2. §. 22. *huius temeritati si non restitissem* pro *si huic temerario* cet. Rosc. Am. 17. *si in hanc calamitatem venit propter praediorum bonitatem*, pro: *praedia bona*.

III) *Substantivum* pro *pronomine*, ob gravitatem dicendi, v. c. Cic. Cat. I, 1. *consul videt* h. e. *ego*. Sic frater fratri dicere potest: *noli repudiare fratris preces*: sic pater filio: *ne aspernere patris consilium*.

IV) *Nomen proprium* 1) pro *substantivo*, v. c. *Achilles* pro *fortissimo rege*: *Cicero* pro *Oratore magno*: sic *Nestor* cet. 2) pro *pronomine*, v. c. Cic. Lig. 2. *M. Cicero defendit* i. e. *ego*.

V) In primis *duo substantiva* pro *uno* ponuntur, ita tamen, ut neutrum vi sua careat. Neque enim credendum, priscos duo vocabula pro uno simpliciter h. e. temere posuisse. Imo hoc fecerunt, ut adcuratius lo-

querentur. v. c. 1) *vulnerare corpus hominis* pro *hominem:* 2) *animum hominis offendere* pro *hominem:* at *offendere hominem* potest et notare *invenire.* 3) *mucrone gladii ictus* pro *gladio:* 4) *puppes navium adpulsae litori* pro *naves:* 5) *maris saevitia* pro *mare.* At est pro *mare saevum.* 6) *ratio senatus est mutata* Cic. ad Div. I, 8. §. 8. pro *senatus:* at non redundat *ratio.* 7) *praemiorum spe incitatus* pro: *praemiis:* at aliud est *praemiis*, aliud *praemiorum spe incitari.* 8) *vis Herculis* pro *Hercule*, it. *vis deorum* pro *dii:* at *vis* in utroque non redundat. Male eruditi dicunt, duo vocabula pro uno poni, et alterutrum redundare, s. merae periphrasi servire: Ita in Clave Ern. Ciceroniana in vocabb. *vis, natura, ratio, necessitas, res* cet. dicuntur haec vocabula interdum merae periphrasi servire. Minime: v. c. *fiduciae ratio* Cic. Caecin. 3. est *causa fiduciae: veritatis ratio* Verr. I, 2. non est ipsa *veritas*, sed *die Rücksicht der* cet. *necessitas naturae* Cat. IV, 4. est *immutabilis fors nat.: res rationum* Verr. I, 14. non sunt *rationes*, sed *res in rationem relatae.* Prisci semper causas habuere, cur duo substantiva pro uno ponerent. *Prima* est, ut elocutio fieret *adcuratior, magis definita,* atque ita *dilucidior, suavior* et *gravior.* Altera est *concinnitas* s. *aequalitas membrorum.* v. c. Cic. Rosc. Com. 8. dixit: *inertia laboris*, quia sequitur *magnificentia liberalitatis.* Ergo forsan *inertia* redundat. At non opus est hoc dicere: nam *inertia* est etiam *Ungeschicklichkeit.* Ad hanc ambiguitatem tollendam Cicero, ut adpareret, *inertiam* hic esse *Trägheit*, addidit *laboris*, quod dictum est pro *in labore:* cuiusmodi genitivi plures occurrunt.

VI) *Substantivum* pro *adverbio*, sed plerumque coniunctum cum praepositione vel adiectivo vel utroque, v. c. *praeter opinionem* pro *repente: per insidias* pro *insidiose: singulis diebus* pro *quotidie: omni studio* pro *studiosissime:* sic multa vernacula adverbia circumscribenda sunt,

sunt, v. c. *schriftlich per literas*, *monatlich singulis mensibus* cet.

Not. Contra substantiva per verba saepe circumscribuntur, v. c. *qui genuerunt* i. e. *parentes*: *quod natum est* i. e. *infans*: *quod adcidit* i. e. *casus*. Sic: *silendo* s. *silentes plus proficimus saepe, quam loquendo* s. *loquentes*: pro: *silentio, verbis*.

SECT. II.

De commutatione adiectivorum.

1) *Adiectivum* ponitur pro *adiectivo*: ubi tamen contextus et vis propria adtendenda; v. c. 1) *fessus* et *lassus*: 2) *indubitatum*, *certum*, *exploratum*: 3) *praeclarus*, *egregius*, *eximius*, *praestans*, *excellens*, it. *insignis*, *singularis*: 4) *turpis*, *foedus*, it. augendi causa *abominandus*, *detestandus*, *aversandus*: 5) *pulcher*, *formosus*, it. *venustus*, *praeclarus*, *egregius*, *praestans* cet. 6) *callidus*, *astutus*, *versutus* malo sensu, it. *sagax*, *prudens*: 7) *difficilis*, *ardua* res: 8) *humanus*, *facilis*, *gefällig*, *comis*: 9) *inhumanus*, *expers humanitatis*, *ferreus*, *unempfindlich*, et in maiori re *crudelis*, *immanis*; 10) *aequum*, *billig*, interdum *verum*. 11) *suavis*, *iucundus*, *gratus*, *dulcis*: 12) *hilaris*, *laetus*, v. c. frons: 13) *stultus*, *stolidus*, it. *imprudens*, *ineptus*, *ridiculus*, *insulsus*: 14) *altus*, *excelsus*, *arduus*: 15) *profundus*, *altus*: 16) *continuus* et *perpetuus*, v. c. montes: 17) *cupidus*, *avidus*, *studiosus*: 18) *insignis*, *singularis*, bono et malo sensu: it. *praestans*, *eximius* cet. bono sensu: 19) *malus*, *pravus*, *improbus* de homine: 20) *rectus*, *honestus*, it. *iustus* de re: 21) *probus* (homo), *sanctus*, *integer*: 22) *plenus*, *refertus*: 23) *iniucundus*, *molestus*, *ingratus*, *gravis*, it. *acerbus*: 24) *tenuis*, *exilis*, *parvus* de re; it. *fragilis*, *caducus*: 25) *magnus*, *gravis* de re mala, et augendi causa *vehemens*, *acer*: 26) *imperitus*, *rudis*, *inscius*, it. *stultus* cet. 27) *se-*

dulus,

dulus, *adſiduus*: 28) *diligens*, *adcuratus*: 29) *pernicioſus*, *periculoſus*, *capitalis*, it. *inutilis* (litotes), ut nos: *ein unnützer Menſch*: 30) *ſalvus*, *incolumis*, *integer*: 31) *felix*, *beatus*, *fortunatus*: 32) *inanis*, *vacuus*. 33) *notus*, *cognitus*, et augendi cauſa *clarus*, *celeber* de homine ac re: it. *manifeſtus*, *apertus*, *perſpicuus*, de re: 34) *occultus*, *tectus*, *abſconditus*: 35) *inauditum*, *novum*: 36) *proprium*, *praecipuum* i. e. *was man vor andern voraus hat*: 37) *aptus*, *idoneus*, *adcommodatus* ad rem, it. *dignus*, *anſtändig*, *ſich ſchickend*: 38) *probus*, *ächt*, *verus*, *ſpectatus*: 39) *adtentus*, *diligens* in audiendo: 40) *conſtans*, *gravis*, *fortis*: 41) *inconſtans*, *levis*: et innumera alia. Hic notandum:

a) pro *omni* antec. *ſine* uſitatius dicitur *ullus*: v. c. *ſine ulla dubitatione* pro *ſine omni* cet.

b) ſuperlativus ſaepe mutatur in comparativum, v. c. pro: *omnium doctiſſimus eſt*, dicitur: *nemo eſt eo doctior*: ſic *nihil humanius eſt hoc homine*: pro *hic eſt omnium humaniſſimus*: ſic *locutus ſum cum homine, quo nemo doctior eſt* pro *qui eſt omn. doctiſſimus*.

c) *quot* mutari poteſt in *quantum* ſeq. *genit.* et *tot* in *tantum*, v. c. *quantum librorum*, *tantum librorum*: ac ſi vernaculum *wieviel*, *ſo viel*, non tam copiam, quam magnitudinem indicat, debet poni *quantum*, *tantum*, non *quot*, *tot*: v. c. *ſo viel Verſtand*, *tantum* cet. *wieviel Gelehrſamkeit* cet. It. *quot* mutari ſolet in *quotus quiſque*, ſi cum querela exclamatur, ac *paucitas* indicatur, v. c. *wie viele glauben dies*, h. e. *pauci*; *quotus quiſque hoc credit?*

II) *Adiectivum* pro *ſubſtantivo*, v. c. *ſenex*, *adoleſcens*, *vivus* pro *in ſenectute*, *adoleſcentia*, *vita*: v. c. *Cato literas graecas ſenex didicit* cet. Sic *ſalvis legibus*, *ſalvo iure* i. e. *ſine laeſione legum*, *iuris*: ſic *civis Lipſienſis* pro *civis e Lipſia*: ſic *Epaminondas Thebanus* i. e. *aus Theben*. It. multa vernacula ſubſtantiva debent latine per adiectiva verti, quia ſubſtantiva deſunt,

sunt, v. c. *certitudo*, *perniciositas*, *aptitudo*, *ridiculitas*; hic dicendum v. c. *quis non videt, hoc esse certum*, *pernicioſum* cet. *Wer ſieht nicht die Gewißheit, Schädlichkeit, Schicklichkeit, Lächerlichkeit ein?* ſic *verum* pro *veritas* dici debet, niſi virtus ipſa in abſtracto intelligitur; v. c. *ſi verum ſcire vis, wenn du die Wahrheit* cet.

III) *Adiectivum* interdum pro *adverbio*: v. c. *nullus dubito* pro *non*: *primus* pro *primum*; *ſolus*, *unus* pro *ſolum* cet. v. c. *Cicero hoc primus dixit*: *mater ſola adeſt*: *mihi ſoli*, *primo dixit*, i. e. *allein*, *zuerſt*.

SECT. III.

De commutatione numeralium.

I) *Numeralia* permutantur inter ſe, v. c. pro *octodecim*, *decem et octo* dici rectius creditur *duodeviginti*: omninoque dubitatur, an *octodecim* dici poſſit. *Decem et octo* ap. Liv. legitur: non ergo damnandum eſt. Sic *duodeviceſimus* rectius: ſic et *undeviginti* pro *novemdecim*: ſic *undeviceſimus*: ſic *undetriginta*, *undetriceſimus*, *duodetriginta*, *duodetriceſimus*, et ſic porro dicendum. Not. *millia* non pro *mille* h. e. de *uno mille* dicitur, ſed de pluribus millibus, v. c. *duo millia* cet.

II) *Numeralia* interdum pro adiectivis copiam vel paucitatem indicantibus ponuntur, v. c. *ſexcenti*, *centum*, *mille* pro *permultis*: ſic *ſexcenties*, *centies*, *millies* pro *ſaepiſſime*: attamen propria vis ſemper adtendenda, ut ſupra Cap. II. Sect. 14. diximus. Sic *tria verba* pro *paucis*: it. *ut unum verbum addam*, *uno verbo dicam*: ſic noſtri *tauſendmal*, *hundertmal* pro *ſehr oft*: *nur auf zwey Worte*, *mit zwey Worten ſagen*, *mit einem Worte* cet.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0193
DFG

SECT. IV.

De variatione pronominum.

I) *Pronomina* commutantur inter se, v. c.

1) *nos* pro *ego*: sic saepe Cicero in Orationibus, Epistolis cet. Quaeritur, an hoc modestiae causa fiat? sic Buchner. commut. rat. dic. p. 88. Servii ad Virg. Aen. II, 89. auctoritatem secutus. At hoc non ubique quadrat. Imo videtur hoc ex orationibus, in quibus oratores cum auditoribus nonnulla communicare solent, (et hic modestia vocari possit) in ceteros libros fluxisse. Sic recentiores saepe: *vide nos supra*: it. *vide, quae supra diximus* pro *dixi*. Quis hoc pro modestiae signo habeat?

2) *id quod* saepe pro *quod*, si ad totam praecedentem sententiam refertur, v. c. *Amas virtutem: id quod laudo.*

3) *nescio quis* pro *quidam* praesertim de homine obscuro vel contemto, quem haud novimus, aut haud nosse simulamus.

4) *ipse* pro *ille* dici debet de persona primaria, cum de eius rebus vel comitibus ante dictum est, v. c. *Caesar legatum praemisit cum tribus cohortibus: ipse secutus est* cet. *er aber folgte* cet. ubi *ille vero* falsum foret.

5) *qui quae quod* saepissime pro *is, ego, tu, nos, vos* ab initio sententiae ponitur, abiectis particulis *enim, vero, et, igitur*: v. c. *Tu non venisti. Qui si adfuisses* cet. pro *si vero tu* etc. Sic: *misisti mihi librum. Quem ubi legero* cet. pro *et ubi eum* cet. cf. supra Cap. VII, Sect. III. Sic et *qui* pro *ut ego, ut tu, ut is* cet. v. c. *digmus es, quem laudem: digna est, quae laudetur*, cf. infra Cap. X. de brevitate.

Not. *Hoc* et *haec* non debent a tironibus confundi: *hoc* de *una re, haec* de *pluribus* dicitur; v. c. *amas virtutem: hoc mihi placet*, non: *haec placent.*

II) *Pronomen* pro *adiectivo*, v. c.

1) *ipse* pro *totus*, in adcurate definiendo numero, v. c. *tres ipsos dies abfui.*

2) *is*

2) *is* pro *talis* saepissime, seq. vel *ut* vel *qualis*, v. c. *tu es ea doctrina, ut* cet. *Non ego is sum, qui mentiar* i. e. *talis.*

3) *hic* pro *praesens* saepissime, v. c. *haec tempora, hi mores* i. e. *die gegenwärtigen, itzigen* cet. Sic *hic Cato, der gegenwärtige, hier sitzende,* it. *itzt lebende* cet.

4) *hic* pro *proxime elapsus*, v. c. *his diebus adcidit.*

5) *ille* pro *prior*, et *hic* pro *posterior* libenter dicitur, v. c. *et Cicero et Livius legendus, ille (der erstere) ob* cet. *hic (der letztere) propter* cet.

6) *quicunque* et *quisquis* libenter pro *omnis qui* dicitur, v. c. *quoscunque laudas, eos laudo: quaecunque volueris, tibi dabo*, pro *omnes eos, omnia ea.* Sic *quidquid* pro *omne quod, omnia quae*, v. c. *quidquid volueris, id tibi dabo.*

III) *Pronomen* pro *adverbio*, v. c.

1) *quid* pro *cur?* millies: it. *quid est, quod* cet.

2) *ipse* a) pro *adeo*, v. c. *ipsi inimici te laudant:* b) pro *sponte*, v. c. *ipse fecit:* sic nostri, *selbst, von selbst.*

3) *idem* saepe pro *etiam, item, ebenfalls, auch,* s. *porro:* v. c. *Cicero scripsit orationes: idem alios libros edidit,* pro *edidit etiam* s. *item:* sic: *tu non solus Homerum legisti, ego eundem legi* i. e. *eum etiam.*

IV) *Pronomen* pro *praepositione*, v. c. *quae tua est humanitas, qui tuus est amor* cet. i. e. *pro tua humanitate* cet.

V) *Pronomen* pro *coniunctione.* Pertinet huc e n. III. *idem* pro *etiam:* it. *isque* s. *et is*, pro *et quidem*, v. c. *habeo multos libros, et eos pulchros.* In primis huc pertinet *qui*, quod ponitur a) pro *ut ego, tu, is* cet. v. c. *dignus es, qui laudaris, quem laudem*, sic *virtus est digna, quae laudetur, quam laudemus* cet. Sic *misit hominem, qui nuntiaret* i. e. *ut is* cet. b) pro *quod, daß, cum, da*, v. c. *videris esse sapiens, qui absis, abieris* i. e. *daß du* cet. *Caesar, qui sciret*, cet. i. e. *cum is sciret:* sic: *quid me laudas, quem ne noris quidem?* i. e. *cum*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0195
DFG

cum me ue cet. c) pro *enim, vero, et, igitur:* v. c. *Pater mortuus est. Quem cum* cet. pro *Et cum eum* cet. vid. supra C. VII. S. III. et infra C. X. Not. in *qui* ubique latet pronomen, v. c. *is, ego* cet. neque ergo pro *ut, cum* cet. simpliciter ponitur.

SECT. V.

De variatione Verborum proprie ita dictorum.

I) Verba commutantur *inter se;* ubi tamen contextus propriaeque significationis ratio habenda: non enim ubique commutari inter se possunt: v. c.

1) *pati, ferre, sinere,* it. *permittere, überlassen, die Gewalt geben:* it. *potestatem facere,* v. c. discedendi: it. *veniam dare.*

2) *tolerare, perpeti, perferre, sustinere, subire, erdulden.*

3) *suadeo, consilium do, auctor sum,* it. *censeo* v. c. *facias* cet. Male huc refertur *consulo tibi,* hoc est *prospicio.*

4) *habeo, mihi est, sum praeditus, instructus, ornatus:* it. *utor, non careo, non sum expers rei.* At differunt: v. c. *habeo* fere tantum de *rebus,* quae extra me sunt: *utor* de rebus, quas usurpamus: *Ornatus sum* de rebus, quae nobis ornamento sunt. It. usurpatur *esse* seq. genitivo vel ablativo, v. c. *mulier est egregia forma, egregiae formae.*

5) *careo, non habeo, expers sum, mihi non est, mihi deest* cet. it. *desidero* i. e. *vermissen, sich sehnen:* it. *destitui* h. e. *deseri.*

6) Pro *esse* potest dici *reperiri, inveniri,* v. c. *reperiuntur, qui dicant.* At non ubique, v. c. *doctum esse* et *doctum inveniri, befunden werden* differunt. It. *versari, sich befinden.*

7) *dicere, sagen, loqui, reden:* it. *ostendere* s. *demonstrare* seq. accus. cum infinitivo. It. *docere,* de iis, quae is, qui audit, nondum norat: v. c. *docere causam. It. cedo* pro *dic:* it. *dare* interdum, v. c. Ter. Heaut:

prob

prol. 10. It. *verba facere*, ſi de pluribus v. c. *conceptis* et *ſolennibus verbis ſermo* eſt, v. c. de oratione proprie dicta: cf. Cap. II. Sect. 7.

8) *narrare*, *memorare* et *commemorare*, *erwähnen*, *docere*, it. *tradere* propr. *überliefern*, *memoriae prodere*, *referre*: it. *certiorem facere aliquem* i. e. *narrare rem certam*: it. *oſtendere*, *demonſtrare* cet.

9) *promittere*, *polliceri*, it. *oſtendere*, *demonſtrare*, ſeq. accuſ. cum infinitivo. it. *ſpondeo*, *recipio*, *praeſto* ſeq. accuſ. cum infinitivo, de re certiſſima.

10) *docere*, *erudire*, *inſtituere aliquem*, it. *imbuere* literis: it. *tradere* alicui, *vortragen*, ut gr. παραδιδόναι.

11) *diſcere*, *doceri*, *inſtitui*, *erudiri*, it. *adcipere* v. c. a magiſtro pro *diſcere*; nam, ut qui docet, proprie aliquid *tradit* ſ. *dat*, ſic diſcens proprie aliquid *adcipit*: ſic παραλαμβάνω.

12) *audire*, *adcipere*, *cognoſcere*, it. *diſcere*, v. c. *didici a multis*, *rem ita eſſe*: it. *nuntium adcipere*, *Nachricht erhalten*; *certiorem fieri*, de re certa; ſic et *comperire*, *erfahren*, it. *auribus percipere*. At aliud eſt *experiri*, quod huc non pertinet.

13) *curo*, *rei curam ago* ſ. *gero*, *proſpicio*, *conſulo rei*, *rationem habeo rei*, *curae mihi eſt* cet. it. *caveo tibi*.

14) *ſpectare aliquid*, *auf etwas ſehen*, *zur Abſicht haben*, *id agere*, *hoc ſequi*, *hoc conſilium ſequi*, ſeq. *ut*: it. *rationem habeo*.

15) *homines ita ſolent agere*, *eſt mos*, *eſt moris*, *mos obtinet*, *mos* ſ. *conſuetudo ita fert*, *eſt hoc in more poſitum*.

16) pro *eſſe* ſeq. *inter* ponitur quoque *intercedere*, v. c. *intercedit diſcrimen*, *familiaritas inter* cet.

17) *vereor*, *timeo*, *metuo*: it. *vide*, *ne* pro *timeo*, *ne*; at proprie eſt *cura*, *conſidera*, *cave*, *ne*: et uſurpatur tantum, ſi quem adloquimur. At ſemper propriam vim obtinet, cf. Erneſti Clav. Cic. ubi et *videndum eſt*, *ne* huc refertur: at id melius proprie explicatur, ut et *vide ne* ſaepe.

18) *declarare*, *profiteri*, *prae ſe ferre*, *indicare*: it. *ſignificare*, *zu verſtehen geben*, v. c. *verbis*, *oculis* cet. it. *efficere*, *ut aliquis intelligat*: it. *aperire* v. c. *mentem ſuam*: it. *volo intelligi* i. e. *indico*. it. *enuntiare*, *ausſchwatzen* et *prodere* de rebus occultis: et *prodere* libenter de malis.

19) *adfirmo, pono rem:* it. *dico, rem ita esse*, it. *aio, confirmo.*

20) *nego* est 1) *läugnen:* pro eo dicitur et *tollere*, seq. accusat. v. c. *rem.* 2) *abschlagen*, pro eo et dicitur *recusare, sich weigern*, it. *respondere tristius* ap. Cic.

21) *praedicere*, it. *dico fore:* it. *divinare* h. e. *praedicere ita, ut causam nescias, propheceyen, weissagen.*

22) *credo, puto, arbitror, reor, existimo, statuo* seq. accus. cum infinitivo: it. *videtur mihi res* cet. *videor tibi* cet. *videris mihi* cet. it. *opinor* i. e. *vermuthen*, quod minus est: maius est *persuadeo mihi, gewiß glauben* et *iudicare, mit Grunde glauben.*

23) *oro, rogo, precor, peto, quaeso:* it. *contendo*, si acrius fit: sic et *posco*, propr. *verlangen.*

24) *posco* et *postulo, fordern, verlangen*, it. *flagito* i. e. *vehementer postulo:* it. *desidero* i. e. *sich sehnen.*

25) *debeo, ich muß* i. e. *bins schuldig zu thun, est officium meum*, s. *est meum:* sic: *patris est* cet. it. *patri sunt alendi liberi. Oportet* indicat, rem fieri debere ob utilitatem aliave de causa, v. c. *ich muß doch das Buch lesen: Necesse est* indicat, rem non aliter fieri posse, *es ist schlechterdings nöthig, es ist natürlich*, v. c. *mori, edere* cet. Cum hoc convenit fere *non possum non* seq. infin. seu *non fieri potest, quin* cet. proprie: *via alia non iniri potest, ut non hoc fiat, ich kann nicht umhin.* Pro his omnibus poni potest gerundium necessitatis vel participium fut. passivi, v. c. *mihi est scribendum* cet. Prisci tamen et saepe ponunt *debeo* pro *necesse est*, it. *oportet, necesse est* pro *debeo.*

26) pro *non opus est*, s. *non oportet*, si est i. q. *non est causa* dicitur seq. verbo alio libenter *non est, quod*, v. c. *quod fleas, rideas* pro *non habes causam flendi* cet. Sic *est, quod gaudeas, fleas* cet.

27) *utile est, prodest, in rem meam* s. *e re mea est:* it. *adfert utilitatem, est utilitati, commodo:* it. *fructus ex re in me redundat.*

28) *volo, cupio*, it. *desidero:* at differunt.

29) *non adcipere, nicht annehmen, recusare, negligere, praetermittere.*

30) *nolo* it. *non curo, ich mache mir nichts draus*, seq. infin. v. c. *Persium non curo legere, mag ich nicht lesen.*

31)

31) *vincere* eſt 1) *ſiegen*, pro eo dicitur etiam *ſuperare*, *fundere*, *fugare*, *profligare*, *proſternere*: at differunt proprie. 2) *übertreffen*: pro eo dicitur etiam *ſuperare*, *excellere*, *antecellere*, *antecedere*, *anteire*, *praeſtare*, *ſuperiorem eſſe*, *poſt ſe relinquere*.

32) *confugere*, *ſe recipere ad* cet.

33) *ire*, *proficiſci*, *contendere in locum*, *petere locum* vel *urbem*, et *iter facere*: it. *migrare*, h. e. *ita proficiſci ut non redeas*, *ziehen*: it. *incedere*, *einhergehen*, ſi modum eundi ſpectas.

34) *hinc ſequitur*, ſ. *conſequitur*, ſ. *conſequens eſt*, *hinc intelligitur*, *hinc fit*, *hinc colligitur*, *hinc planum fit*, *adparet* cet.

35) *punire*, *animadvertere in aliquem*: it. *poena adficere* addito adiectivo vel pronomine, v. c. *poena tali*, *hac* cet. it. *ulciſci* pro *punire* occurrit.

36) *exemplum adferre*, *proferre*, *memorare*, it. *uti exemplo*: it. *laudare*, ſi contextus admittit: it. *ſumere*.

37) *dico* ſeq. *non* brevitatis cauſa mutatur in *nego* ſeq. inf. v. c. *pater negavit*, *ſe facturum*.

38) *fateor*, *profiteor*, *confiteor*. *Fateor* et *confiteor*, *ich bekenne*, ſive fiat libere ac libenter ſive non: *profiteor* eſt *ſua ſponte et libere fateor*, *prae me fero*, *ich mache kein Geheimniß draus*, *declarire öffentlich*, v. c. *Socrates profeſſus eſt*, *ſe nihil ſcire*.

39) *contemno*, *contemtui habeo*, *deſpicio*, *parvi aeſtimo* ſ. *facio*: it. *negligo rem*, *abiicio*: it. *ſuſque deque habeo*.

40) *contentus ſum*, *ſatis habeo* ſeq. inf. It. *non poenitet me* v. c. *fortunae meae*: it. *placet*, *probatur* cet.

41) *fieri* et *facere*, ſi adiectivum praedicati loco additur, mutari poteſt in *reddi*, *reddere*, v. c. *redditus eſt ſapiens*, *reddere aliquem ſapientem*. Rarius eſt *evadere* pro *fieri*.

42) *ſtudeo*, *operam do*, it. *operam navo*, quod maius eſt; it. *incumbo ad* ſ. *in* v. c. *literas*: quod grave verbum eſt, et notat *omnes vires intendere propter aliquid*, *ſich anſtrengen zu* ſ. *wegen etwas*.

43) *video*, *cerno*, it. *conſpicio*, *erblicken*. It. *intueri*, *anſehen*, *anſchauen*; *inſpicere*, *beſehen*, *beſichtigen*.

44) *ſentio*, *empfinden*, *merken*, *intelligo*; *cognoſco*, *kennen lernen* ſ. *noſco*, *video*: it. *animadverto* i. e. *bemerken*,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0199
DFG

wahrnehmen. Agnoſco eſt *rem* olim cognitam *pro eadem cognoſcere et habere, anerkennen.*

45) *poſſe, valere, vermögen:* it. *ſcire,* ſi de *ſcientia* ſermo eſt, v. c. *ſcit bene latine ſcribere, er kann* cet. It. *ſuſtinere, ſich unterfangen:* v. c. *quis negare ſuſtinet? wer kann das läugnen?* h. e. *quis audet?*

46) pro *vivere* dicitur et *vitam vivere, degere, agere, ducere, trahere,* ſi adiectivum aut pronomen additur, v. c. *vivere vitam moleſtam* cet. Not. *ducere* de *laetiori: trahere* fere de *miſera.*

47) *mori, decedere, vita excedere, mortem cum vita commutare, diem obire, diem ſuum* vel *ſupremum obire, deſinere eſſe in vivis, animam efflare: mortem oppetere* forſan de violenta: it. *vitam ponere.*

48) *iuvare, adiuvare, auxiliari, adeſſe alicui, praeſto eſſe, opem ferre, adiumento eſſe:* it. *ſuppetias ferre,* quod rarum eſt: it. *ſubſidio venire: prodeſſe, utile eſſe, utilitatem adferre.* NB. cave dicas *promovere, befördern,* v. c. *felicitatem alicuius.*

49) *mederi, ſanare, occurrere* v. c. *malo:* it. *tollere, pellere* cet.

50) *impedire, impedimento eſſe, obſtare, officere, prohibere:* It. *per me ſtetit, quo minus* cet. *an mir hats gelegen* cet.

51) *vituperare, reprehendere,* it. *invehi in* cet. *loszuziehen auf* cet. it. *notare* i. e. *beſchimpfen.*

52) *ignoſcere, veniam dare,* it. *parcere:* it. *in bonam partem adcipere,* ſi ſermo eſt de re, quae et in malam partem adcipi poteſt: ſic et *non vitio vertere.*

53) *aegre ferre, moleſte ferre, übel nehmen, nicht gern ſehen, ſich ärgern* cet. it. *in malam partem adcipere,* ſi de re ſermo eſt, quae in bonam partem adcipi poteſt: it. *vitio vertere* propr. *als einen Fehler auslegen.*

54) *imperare, befehlen, Ordre geben, praecipere, Regeln vorſchreiben, iubere, heiſſen* (quocunque modo fiat, v. c. imperio, precibus, hortando cet.), et *mandare, auftragen, Commiſſion geben.* It. *volo fieri aliquid,* v. c. Cic. Roſc. Am. 25. *inſui voluerunt* ſc. parricidas, h. e. *iuſſerunt inſui* cet.

55) *defendere, tueri, cauſam alicuius agere, patrocinari:* it. *cavere alicui* ſcil. damno avertendo: it. *proſpicere,*

cere, consulere alicui, rationem habere, si in universum loqui lubet.

56) *felix sum, felicitate fruor, bene* s. *non male mecum agitur, utor fortuna secunda:* in primis, si *ut* sequitur, *contingit* usurpandum est, v. c. *non omnibus contingit, ut* cet. *Nicht alle haben das Glück, daß* cet.

57) *recordor, memini, reminiscor, in memoriam revoco*, it. *memoria teneo*, it. *non oblitus sum:* it. *venit mihi in mentem* v. c. *dies*, s. *diei.*

58) *obliviscī, oblivioni tradere, non meminisse:* it. *res effluxit ex animo.*

59) *constituo* s. *statuo, sich vornehmen, decerno, in animo habeo:* it. *consilium capio, cogito* seq. infin.

60) *celo, dissimulo, tego, non aperio, non dico, non enuntio, sileo, taceo.*

61) *paro, anschaffen, verschaffen, comparo, adquiro, pario, concilio*, it. *efficio.* Not. *pario* fere, si cum labore fit: *concilio* plerumque de re laeta.

62) *adcipere, bekommen, adipisci, nanciscī*, quocunque modo fiat; at *consequi, adsequi*, labore: *impetro*, in primis precibus.

63) *dubito, dubium mihi est, in dubium voco, sum dubius, haereo, non liquet, haesito, quid faciam.*

64) *certus sum, certum mihi est, persuasum est mihi, non dubito:* sic *certum est* s. *nemo dubitat, inter omnes constat* s. *convenit.*

65) *spero, spes mihi est, in spe sum, spe teneor, spes me tenet, spes mihi iniecta est, in spem veni, spem concepi;* sed *in spem venio* s. *spem concipio* est *incipio sperare.* Contra *despero, spem abieci, deposui.* Sic *non despero* cet. pro *spero.*

66) *suscipere rem, recipere, über sich nehmen*, it. *adgredi:* it. *subire*, si res est molesta, ac per metonym. *sustinere;* it. *descendere ad* cet.

67) *vertere, übersetzen, interpretari*, it. *transferre.*

68) *habitare locum* et *in loco, colere locum, incolere locum* et *in loco:* it. *civem esse alicuius urbis.*

69) *ridere aliquem, deridere, irridere, habere deridiculo*, it. *risu excipere:* Not. et iocosa locutio: *propinare aliquem deridendum.*

70) *respondere* et *alicuius verba excipere* i. e. propr. *loqui post aliquem.*

71) *convenire*, übereinkommen, et *respondere*: v. c. *spei exitus non respondit.*
72) *gaudere*, *laetari*, *laetitia adfici*, *laetitia efferri* in maiori re: it. *exsultare laetitia*, vor Freuden *springen*: *delectari re*, *voluptatem capere ex re.*
73) *angi* et *pavere.*
74) *dolere*, *tristem esse*, *tristitia adfici*, *aegre ferre*, *moleste ferre*: it. *non laetum esse.*
75) *incipere*, *instituere*, *ordiri*, *initium capere* s. *sumere* s. *facere*: it. *coepit*: it. *adgressus est* v. c. *dicere.*
76) *occidere*, *interficere*, *vita privare*, *vitam eripere*, *vim inferre*, *de medio tollere* s. *tollere* simpliciter: it. *caedere* et *obtruncare* i. e. *niederhauen.*
77) *minari* et *denuntiare* i. e. *ankündigen* v. c. mortem.
78) *erro*, *fallor*; *res*, *spes me fallit* vel *fefellit*: it. *decipior* v. c. specie recti: *in errorem inducor.*
79) *fugio*, *vito*: at *evito* ut et *vito* est *effugio.*
80) *persuadere alicui aliquid*, *probare alicui aliquid*: it. *efficere*, *ut aliquis rem credat*; *rem probabilem reddere.* At *convincere*, de rebus malis, v. c. *furem*, *errorem* cet.
81) *monere* s. *admonere*, *erinnern*: it. *in memoriam revocare*: at *hortari* est *ermahnen*: *instare*, *zusetzen.*
82) *amare*, *amore adficere* s. *complecti*: at *diligere* est *magni facere*, interdum tamen quoque est *lieben.*

II) *Partes Verbi* commutantur inter se:

A) *Modus* pro *modo*, v. c.

1) *Indicat.* fut. pro *imperativo*; v. c. *non scribes* pro *ne scribe*: est humanius dictum.
2) *Coniunct.* pro *imperativo*, v. c. *dicas*, *ne facias* pro *dic*, *ne fac*: est humanius dictum.
3) *Coniunct.* intercedente *cum* pro infinitivo in hac formula: *audivi ab eo*, *cum diceret* pro *eum dicere.*
4) *Infinitiv.* pro *indicativo* in narrationibus, v. c. *Caesar proficisci*, *dicere* pro *proficiscebatur* cet. Vocatur vulgo *infinitivus historicus* et a Servio ad Virgil. *stilus historicus*: melius *infinitivus narratorius*, ne tirones putent, eum esse historicorum proprium, ut Servius ait ad Virg., quia omnibus narrantibus communis est; centies occurrit ap. Ciceronem in orationibus, v. c. Verr.

Verr. II, 76. *haerere homo, versari* cet. c. 77. *clamare omnes* cet. Sic et poetae: v. c. Virg. Aen. II, 685. VIII, 493. Reperitur etiam post *cum* Sall. Iug. 98. *cum — barbari nihil remittere atque — instare.* Quaeritur, unde iste infinitivus mirabilis regatur? Vulgo dicunt ab omisso *coepit, coeperunt.* Non male, praesertim cum saepe *coepit* cum infinitivo verbi pro verbo ipso occurrat, v. c. *dicere coepit* i. e. *dixit.* At propterea nondum certum est, *coepit* ubique intelligendum esse: imo loca sunt, ubi intelligi nequeat; v. c. Sall. Iug. 92. extr. *milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque — sine periculo administrare:* ubi *poterant* potius intelligi possit.

5) *Infinit.* cum *accus.* pro *Verbo finito* cum *quod* vel *ut:* v. c. *gaudeo, te vivere,* pro: *quod vivis: volo te venire* cet.

B) *Numerus* pro *numero:* v. c. *cogita, quid dignitas et officium postulet* vel *postulent:* sic *dicemus* pro *dicam:* sic ap. historicos: *pars vulnerati, capti* cet.

C) *Tempus* pro *tempore:*

1) *praesens coniunct.* pro *imperfecto,* v. c. *dicat aliquis; si quis dicat; tu si hic sis, aliter sentias* ap. Terent. cf. supra C. II. S. XVII. n. XX. p. 112.

2) *praesens* pro *perfecto* in narrationibus, v. c. *Caesar edicit* cet. Sic nostri: *die Feinde rücken an* cet. cf. supra C. II. S. XVII. n. XX. p. 112.

3) *praesens* pro *futuro* a) de re futura illa quidem sed certo eventura: v. c. *cras sum apud te:* sic nostri: *Morgen komme ich zu dir:* b) quando futurum deest: v. c. *spero, ista brevi disci:* sic prisci: at rectius tamen: *spero fore, ut* cet. It. quando futurum adest, v. c. Cic. Verr. V, 25: *supplicium sumi* putatur pro *sumtum iri,* nisi pertinet ad proxime praecedens a). c) in primis prisci praesens coniunctivi usurpant, ubi vernacula futurum habet: v. c. *quis hoc neget? quis non intelligat? Wer wird das läugnen? Quisque videat, verum esse, Jeder wird sehen* cet.

4) *imperfectum* pro *perfecto*, a) *memini me dicere* pro *dixisse:* b) in narrationibus, v. c. *dicebat* pro *dixit*, ut nos: c) in epistolis, ubi res narrantur, quae ante, quam illae redditae fuerint, praeterire vel mutari possunt, v. c. *aegrotabam* pro *aegroto.* cf. supra Cap. II. S. XVII. n. XX. p. 111.

5) *perfectum coniunct.* saepe pro *praesente coni.* in his formulis: *ne dixeris* i. e. *dicas: si quis dixerit* cet. cf. supra C. II. S. XVII. n. XX. p. 112.

6) *futur. indicat.* pro *praes. coni.* vel *imperativi*, v. c. *non scribes* pro *ne scribas:* cf. paulo ante A, 1. p. 182.

Not. hic tantum de usitatiore variatione temporum loquimur.

D) *Personales terminationes*, quas vulgo *personas verbi* vocant, commutantur in exprimenda enuntiatione generali, ubi vernacula utitur *man:* v. c. *dicunt* et *dicitur*, *man sagt: stultum est, ea, quae nescias* s. *nesciamus*, *(was man nicht weis) alios velle docere.* Sed a) in terminatione personali incepta pergere decet: b) non omnis terminatio personalis promiscue usurpanda: cf. de hac re supra C. II. S. XVII. n. XX. p. 109.

E) *Genus* pro *genere:*

1) *passiva* et *activa* saepe permutantur, v. c. *amo te* et *amaris a me:* in primis haec permutatio necessaria est ad ambiguitatem evitandam, v. c. *patrem te amare dicunt* potest duplicem vim habere, et *patrem amare te* et *te amare patrem:* ut illud: *Aio, te, Aeacida, romanos* cet. at si dicis: *patrem a te amari* vel *te a patre* cet. nulla est ambiguitas. It. usurpantur nonnulla activa passive, v. c. *vertere* pro *verti* s. *vertere se*, v. c. Liv. V, 59. *iam verterat fortuna* scil. *se*, vel pro *versa erat.*

2) Deponentia aiunt pro passivis poni: at hoc tantum fere in participio perf. nonnullorum Verborum locum habet, v. c. *expertus*, *pactus* cet. quae saepe passive occurrunt.

III) *Verbum* pro *nomine substantivo:*

1) *infinitivus*, quando subiecti vim habet, v. c. *errare humanum est.* Haec mutatio necessaria est, ubi nomen non

non exstat, v. c. *virtutem magni facere reddit nos felices, die Hochschätzung der* cet. Sic *didicisse fideliter artes emollit* cet.

2) *Participia*, v. c. *crede mihi adfirmanti, auf mein Wort* pro *ob adfirmationem meam:* sic *deseruit me aegrotantem* i. e. *in morbo meo:* sic: *diffisus sibi ivit* cet. *aus Mistrauen zu* cet. Sic *defatigatus, timens nolebat* cet. pro: *ob defatigationem, timorem:* sic *moriens, bey seinem Tode* cet.

IV) *Verbum* pro *adiectivo*, v. c. *vix dici* s. *credi potest* pro: *incredibile est. Omnes sciunt* pro *notum est omnibus.* Haec mutatio est necessaria, ubi adiectivum deest vel non libenter usurpatur, v. c. *fieri potest* pro *possibile est: fieri non potest* pro *impossibile est:* sic *deus cerni nequit* pro *est invisibilis* cet.

V) *Verba* pro *adverbiis*, v. c. *quid quaeris?* i. e. *kurz:* it. *necesse est hominem mori* pro: *homo necessario moritur: manifestum est, te errare* pro *manifesto erras: parum abest, quin* cet. pro *paene.* Haec mutatio est necessaria, ubi latina non habet adverbia respondentia vernaculis, v. c. *hoffentlich, vermuthlich, billig, unmöglich* cet. v. c. *hoffentlich wird er kommen, spero, eum venturum: vermuthlich hast du es gesehen, opinor, te* cet.

VI) *Verba*, et quidem participia pro praepositionibus:

1) pro *sine:* v. c. *homo carens libris* cet. it. *non instructus* cet.

2) pro *cum:* v. c. *instructus, ornatus, praeditus:* v. c. *femina praedita divitiis, mit Reichthum.*

3) pro *ob* millies *ductus, adductus, impulsus, permotus, motus, incitatus, inflammatus, impeditus, prohibitus, exclusus, perterritus, coactus* cet. v. c. *fecit cupiditate ductus* s. *incitatus* pro *ob cupiditatem*, sic *timore perterritus* i. e. *propter timorem: egestate coactus* cet. Sic *occupationibus prohibitus, impeditus* cet. *venire non potuit;* sic et alia participia, v. c. *timens fugiebat* i. e. *ob timorem:* sic: *non potui hoc*

discere carens magistro, wegen Mangel eines Lehrers: sic *diffidens* i. e. *ob diffidentiam* cet.

4) pro *post:* v. c. *coenatus, pransus* i. e. *post coenam* cet. Sic *patre mortuo* i. e. *post mortem patris.*

5) pro *in:* v. c. *scribens moriebatur* i. e. *in scribendo:* sic *coenans dicebat* cet.

6) pro *ex:* v. c. *scio experientia edoctus, aus Erfahrung.*

7) pro *praeter*, v. c. *exceptis paucis*, i. e. *praeter paucos.*

8) pro *apud:* v. c. *libris adsidens moriebatur*, *bey den Büchern.*

VII) *Verbum* pro *coniunctione;* v. c. *dum*, *cum*, *postquam*, *quia*, *et* mutantur in participium, ut notum est.

SECT. VI.

De commutatione adverbiorum.

1) *Adverbia commutantur inter se:* v. c. 1) *ita*, *sic*, *tam:* 2) *adeo*, *usque eo*, *usque adeo:* 3) *rursus*, *denuo*, *iterum* i. e. *zum zweytenmale:* male *altera vice:* 4) *praeclare*, *eximie*, *egregie*, *excellenter:* 5) *stolide*, *stulte*, it. *temere:* 6) *olim*, de tempore praeterito, *ante*, *olim:* 7) *quamdiu*, *quousque*, *quem in finem?* 8) *tantum*, *tantummodo*, *solum*, *modo*, *duntaxat:* it. *nonnisi:* v. c. *nonnisi tres:* 9) *saltem*, *duntaxat*, *wenigstens*, it. *certe*, si τὸ *wenigstens* est i. q. *gewiß:* it. *at certe* vel *at* post *nisi* s. *si non:* v. c. *nisi omnes*, *at certe tres:* 10) *fere*, *paene*, *propemodum*, *tantum non:* 11) *cum primum*, *ut primum*, *simul* seq. *at* vel *atque*, it. *simul* simpliciter, *so bald als:* at *quamprimum* est *primo quoque tempore*, *ehestens*, nec huc pertinet. 12) *saepe*, *saepenumero*, *crebro*, *non raro:* it. *centies*, *sexcenties*, *millies* pro *saepissime.* 13) *aeque* seq. *ac* vel *atque: non minus quam*, *eben so wohl als:* Not. *non magis* est *eben so wenig*, et dici debet pro *aeque parum:* 14) *utrum* s. *ne*,

ſ. *ne*, ſeq. *an:* vel omiſſo *utrum* ſ. *ne:* v. c. *utrum ſcribis an legis? ſcribisne an* cet. *ſcribis an legis?* ſic: *neſcio, utrum ſcribas* ſ. *ſcribasne* ſ. *ſcribas an legas.* 15) pro *primo, ſecundo* cet. quae, licet male, pro adverbiis habentur, uſitatius dici *primum, deinde, tum, praeterea, poſtremo* cet. ſupra p. 166. dictum eſt.

II) *Adverbium* pro *Subſtant.* cum *praepoſ.* aut *adiect.*

1) *prudenter, ſapienter, ſtulte rem geſſit* pro *cum prudentia* cet. ſed illud uſitatius: ſic *cupide legere* i. e. *cum cupiditate:* ſic *ſtudioſe, mit Eifer:* *aliter* i. e. *alio modo:* *miſere perire* i. e. *miſero modo:* ſic *liquido iurare* cet.

2) *hic, iſtic, illic* pro *in hoc, iſto, illo loco:* *huc, iſtuc, illuc* pro *in locum hunc, iſtum, illum;* ſic *hinc, iſtinc, illinc* pro *e loco hoc* cet. Hae particulae in epiſtolis Cic. ita uſurpantur, ut *hic, huc, hinc* de loco, ubi epiſtolam ſcribens degit, ponatur: *iſtic, iſtuc, iſtinc* de loco, ubi is eſt, ad quem epiſtola mittitur, et *illic, illuc, illinc* de tertio quodam loco.

3) *ita* ponitur a) pro *hac conditione*, ſeq. *ut* vel *ſi*, v. c. Cic. Off. I, 9. *hoc ipſum ita iuſtum eſt, — ſi eſt voluntarium.* b) pro *hoc exitu*, v. c. Cic. ad Div. I, 2. §. 7. *ita ſum cum illo collocutus, ut* cet. c) pro *hac reſtrictione*, ut loquuntur, ſeu *hactenus, mit der Einſchränkung, in ſo fern.*

III) *Adverbium* pro *adiectivo:* v. c. a) *breviter*, i. e. *paucis*, v. c. *breviter rem dicere:* b) *ita, ſic* pro *talis*, v. c. *ſic ſum: ſic vita eſt hominum* Cic. Roſc. A. 30. c) *heri ſemper lenitas* ap. Terent. eſt durum, nec imitandum.

IV) *Adverbium* pro *pronomine:* v. c.

1) *cum* pro *quo, quibus*, de tempore: v. c. *illo tempore cum* cet. *zur Zeit, da* cet. ſic *multi anni ſunt, cum ille in meo aere eſt* pro *ex quibus*, ap. Cic.

2) *unde* pro *a quo, qua, quibus*, vel *ex quo, qua, quibus;* ſic millies. v. c. *homo, unde veni* cet. *domus, unde veni* cet. ſic *unde petitur* dicebatur reus in cauſa privata,

privata, pro *a quo petitur* sc. *res possessa*. Sic *unde* pro *qua ex re*, v. c. *Vnde sequitur* cet.

3) *hic* pro *hac in re* saepissime: v. c. *hic videre licet, hierbey* s. *hierin*, it. *bey dieser Gelegenheit.*

4) *hinc* pro *hac ex parte*, *auf dieser Seite;* cui oppon. *illinc* i. e. *ex illa parte*. Occurrit et duplex *hinc* pro *hinc* et *illinc*, v. c. Liv. I, 13. *hinc patres, hinc viros orantes* cet.

5) *hinc* pro *ex hac re*, s. *ex hoc*, millies: sic et *inde*, v. c. *hinc* vel *inde sequitur*, *intelligitur*. Sic et *unde*, vid. paulo ante.

6) *ut*, *wie* pro *quo*, *je* in usitata formula: *ut quisque est doctissimus, ita solet esse modestissimus* pro *quo quis est doctior, eo modestior* cet.

V) *Adverbium* pro *verbo*, v. c. *en*, *ecce* pro *vide, videte, adspice, adspicite;* v. c. *ecce me, ecce patrem, ecce causam* cet. i. e. *vide, videte* cet. vel etiam: *hic ego sum, hic est pater* cet. sic *ecce librum istum* i. e. *hic est iste liber*, ut francicum *voici.*

VI) *Adverbium* pro *coniunctione:* de hac re supra: v. c. 1) *ita* seq. *ut* pro *quidem*, *zwar*, v. c. *amo priscos ita, ut recentiores non spernam* pro *amo quidem priscos: attamen recent. non sperno.* Solet et perspicuitatis causa *tamen* addi; *ita, ut tamen* cet. 2) *ut* adv. seq. *ita* pro *et et, tum tum, non solum sed etiam*, v. c. *te, ut mei, ita omnes amant.*

SECT. VII.

De commutatione praepositionum.

I) *Praepositiones* commutantur inter se; v. c.

1) pro *apud* saepe ponitur *iuxta, ad, propter*, si significat *bey* i. e. *neben:* v. c. *ad urbem esse: propter viam* cet. *Penes, bey,* vel possessionem rei vel potestatem saepius indicat, v. c. *penes me est* i. e. *in potestate mea:* vel *possideo rem.* Not. pro *apud* quoque *cum* usurpatur, si rei praesentia propior indicatur, v. c. *habitat mecum, bey mir:* sic: *habeo pecuniam mecum.*

2) pro

2) pro *ante* quoque ponitur a) *ob*, v. c. *ob oculos ponere, verſari:* b) *prae*, v. c. *prae ſe ferre, agere* cet. *vor ſich her tragen, treiben:* c) *pro*, v. c. *pro roſtris, pro aede Caſtoris ſedens*, Cic. Phil. III, 11.

3) pro *circiter* in numeris incertis ponitur ſaepe *ad*, v. c. *ad duo millia, bey* ſ. *an zwey tauſend:* it. ſine caſu ap. hiſtoricos, v. c. *occiſis ad hominum millibus quatuor* Caeſ. B. G. II, 33.

4) pro *contra* ponitur ſaepe a) *adverſus* b) *in*, v. c. *odium in te:* c) *praeter*, v. c. *praeter conſuetudinem, ſpem, opinionem, voluntatem, wider Gewohnheit*, cet.

5) pro *erga*, v. c. *amor erga te*, poni *in*, *adverſus* notum eſt.

6) pro *ex* interdum *de:* v. c. *unus ex civibus, de plebe* pro *ex* cet. ſaepiſſime.

7) pro *de* interdum *ſuper*, v. c. *ſuper hac re ſcripſi.*

8) pro *inter* ponitur ſaepe *in*, v. c. *in doctis numerari, in diis referri:* it. *de* et *ex:* v. c. *e* ſ. *de graecis doctiſſimus.*

9) pro *poſt, nach*, ponitur a) ſaepe *ex*, v. c. *ex hoc tempore:* ſic *ex quo, ſeit dem:* b) *a:* v. c. *a meridie:* c) *ſecundum*, ſic ſaepe Cicero, Livius: v. c. Cic. Verr. I. Act. in Verr. 10 *ſecundum Calendas Ian.* i. e. *poſt.*

10) pro *pone* ſaepe *poſt*, it. *ſecundum.*

11) pro *ſecundum, nach*, dici poteſt a) *pro*, v. c. *pro dignitate, nach Verdienſt:* b) *de*, v. c. *de mea ſententia:* c) *ex*, v. c. *ex aequo: ex lege egit:* d) *ad*, v. c. *ad nutum hominis ſe fingere: ad voluntatem alicuius loqui.*

12) pro *ob* ſ. *propter* ponitur a) *per* in precibus, v. c. *rogo te per deum:* ſic dicendum. b) *pro, vermöge*, v. c. *pro noſtra amicitia illud facias;* ſic ſaepe. c) *prae*, v. c. *prae gaudio, prae lacrymis loqui non poſſum:* ſic ſaepe. d) interdum *ad:* v. c. Liv. I, 7. *ad deſiderium relictarum* i. e. *ob* cet.

13) pro *ſuper, über*, in his formis *per* dici debet: *per campum fugere, per agros currere, per montes iter facere:* it. pro *ſuper, auf*, debet *per* dici in hac ſimilique forma: *per agros diſcurſare, vagari.*

14) pro *verſus, gegen*, poteſt *ad* dici: v. c. *tendere, proficiſci verſus urbem, Romam* et *ad urbem* ſ. *Romam.*

II) *Prae-*

II) *Praepositiones* ponuntur pro *substantivis* nonnullis:

1) *a* saepe a) pro *a parte* s. *a partibus*, v. c. *stare ab aliquo, auf jemands Seite seyn:* sic *a fronte, von vorn, a tergo;* pro *a parte frontis* cet. b) pro *ratione, in Ansehung:* v. c. *firmus a peditatu: ab omni re paratus.*
2) *ad* a) pro *in comparatione*, ut male loquuntur, v. c. *nihil ad Persium:* b) pro *ratione*, v. c. *hoc est ad fructum uberrimum*, h. e. *hoc est uberrimum ratione fructus.*
3) *contra, gegen, über*, pro *e regione*, v. c. *contra Italiam.*
4) *de* pro *ratione* s. *quod adtinet:* v. c. *de libro, quem a me poscis, scito, me illum non adcepisse.* Sic saepe.
5) *ex* pro *per occasionem, nach Masgebung, auf Veranlassung;* v. c. Cic. ad Div. II, 15. §. 2. *quam* (epistolam) *ego tum ex tuis literis misi ad Appium?*
6) *pro* a) pro *loco, an Statt*, quod notum. b) pro *ad defensionem*, v. c. *dicere pro aliquo*, v. c. *pro Roscio*, hinc *Oratio pro Roscio, Milone* cet.
7) *prae* pro vulgari *in comparatione:* v. c. *felix es prae me* i. e. *gegen mich.* Sic dicendum.

III) *Praepositio* pro *Verbo*, et quidem fere *participio:* v. c. *clam patre* i. e. *patre ignorante* s. *inscio: coram rege* i. e. *rege praesente* s. *dum rex aderat: profectus sum cum multis amicis* i. e. *comitantibus amicis: praeter libros* pro *libris exceptis: sum felix prae te* i. e. *comparatus tecum*, s. *si me comparo tecum.* Cicero etiam dixit *cum* pro *indutus*, v. c. Verr. IV, 24. *cum tunica pulla sedere solebat* cet. ac saepius. Add. *per id bellum, per istas inducias* pro: *dum id bellum gerebatur, dum istae inducae erant.*

IV) *Praepositio* pro *coniunctione;* v. c. *cum* pro *et:* v. c. *pater cum matre profectus est*, pro *et mater.*

SECT.

SECT. VIII.

De commutatione coniunctionum.

I) *Coniunctiones* commutantur *inter se*, v. c.

1) *et*, *ac*, *que*, *atque*.

2) *at*, *verum*, *vero*, *autem*. *At* in primis usurpatur de re graviori: hinc in obiectionibus. Not. *neque vero*, non facile *neque autem*.

3) *aut* et *vel*, usurpantur de rebus diversis: *seu* et *sive* de iisdem.

4) *ut ne* pro *ut non*, v. c. Cic. Rosc. A. 20.

5) pro *et*, enuntiationi consecutionem effectumve praecedentium indicanti praefixa, libenter ponitur *ut*, praecedente *tam*, *ita*, *sic*: v. c. pro: *deus est valde benignus*, *et dat nobis beneficia* cet. rectius dicitur: *deus est tam benignus*, *ut* cet. sic vernacula: *wie könnte ich so unhöflich seyn*, *und dir es abschlagen: du bist so gütig gewesen*, *und hast mir* cet. *sey so gütig und hilf mir* cet. vertenda sunt, v. c. *Quomodo tam inhumanus esse possim*, *ut tibi denegem* cet.

6) pro *nam* interdum ponitur *ut*, praecedente *tantus*, *ita* cet. v. c. pro: *in magna versor perturbatione. Nam nescio*, *quo confugiam*, dici potest: *in tanta perturbatione versor*, *ut*, *quo confugiam*, *nesciam*.

7) pro *itaque* s. *ergo* poni interdum potest *ut*; v. c. *tam parum me amas*, *ut non mirari debeas*, *te* cet. pro: *parum me amas*, *itaque non debes* cet. It. sine *tam*, *ita*; v. c. *egregie rem egisti*, *ut facile adpareat*, *quantum sapientia efficere possit*, pro: *itaque facile adparet* cet. cf. infra III, c. p. 192.

8) pro *quidem*, *zwar*, millies dicitur *etsi*, *quamquam*, *licet* cet. v. c. pro: *non possumus quidem omnia efficere: attamen omnes mentis nervos intendere debemus*, poni potest: *quamquam non omnia efficere possumus*, *tamen omnes* cet. Sic millies Cicero.

9) pro *etsi*, *licet* cet. interdum dici potest *cum*, *da*, sed sequente *tamen*, v. c. *cum librum adceperit*, *tamen negat se adcepisse*: hic sive vertas *da* seu *ob er gleich*,

res

res eodem redit. Not. *etiamsi* non est i. q. *quamquam*, sed est pro *si etiam*: sic *ut* non est *obgleich*, sed *gesetzt daß*: attamen *ut* et *etiamsi* interdum pro *etsi* poni possunt.

10) *Quod si* pro *si* poni potest: at tantum a) post interpunctionem maximam, b) si cum praecedentibus quodammodo cohaeret. Ergo ab initio epistolae cet. ponere stultum foret. cf. infra C. IX. Sect. IV. n. II. p. 220.

II) *Coniunctio* pro *Verbo;* 1) *nisi*, praecedente vocabulo negativo: v. c. *nihil habes, nisi domum* pro *excepta domo: Nemo hoc efficere potest, nisi pater* pro: *excepto patre, si patrem excipis* cet. 2) *ut* pro *fac, pone, finge, faciamus, ponamus, fingamus* i. e. *gesetzt*, s. *wir wollen einmal setzen;* v. c. *ut istud se ita habeat, tamen pauci erunt, qui credant:* sic: *ut habeas omnes divitias, tamen per eas ingenium tibi comparare non potes.*

III) *Coniunctio* pro *adverbio;* v. c. a) *Neque* pro *Non*, ab initio totius sententiae, v. c. *Neque vero, Neque enim, Neque tamen:* de quo vid. supra C. VII. S. III. n. II. p. 164. b) *et* duplicatum pro *tum-tum*, s. *non solum sed etiam:* de quo vid. supra Cap. VII. S. I et II. c) *ut* pro *hinc, unde, inde* s. *ergo:* v. c. pro: *frater tuus felici est ingenio: hinc non mirum, eum alios doctrina superasse*, dicitur: *frater tuus est felici ingenio, ut non mirum sit* cet. vel addito *tam: est tam felici ingenio, ut* cet. Sic saepissime prisci, vel praecedente *tam, ita*, it. *talis, tantus*, vel sine his vocabulis.

SECT. IX.

De commutatione interiectionum.

Interiectiones, ut vulgo vocantur, interdum pro aliis vocabulis poni possunt; v. c. *o me miserum!* pro: *quam*

quam miser ego sum! s. *nonne sum miser?* sic: *wie gütig ist Gott! O deum benignum!* sic: *o hominem in ultimas terras deportandum!* pro *nonne hic homo dignus est, qui* cet. Add. *heus* pro *audi.*

SECT. X.

De fontibus quibusdam commutationis vocabulorum.

Addamus aliquot genera vel fontes istius commutationis:

I) Saepe poni potest *duplex negatio* pro *vocabulo adfirmante*, v. c. *non indoctus* pro *doctus: non inferior* pro *par: non par* pro *inferior: non obscurus* pro *clarus: non nescio* s. *non ignoro* pro *scio: non nemo* pro *aliquis* vel *aliquot, mancher: nemo non* pro *omnes: nonnulli* pro *aliquot: nonnunquam* pro *interdum: nunquam non* pro *semper: non nihil* pro *aliquid: nihil non* pro *omne: non semel* pro *saepe: nusquam non* pro *ubique: haud scio* s. *nescio an* pro *puto: non dubito quin* pro *certo credo* s. *mihi persuadeo: non pauci* pro *multi: non multi* pro *pauci: non difficile est* pro *facile est: non displicet* pro *placet: non sine* pro *cum*, v. c. *non sine laude rem gessit:* et innumera. Sed notandum hic:

a) negative dicta interdum plus valent adfirmative dictis, quod e solo contextu diiudicandum; v. c. *non inferior* potest etiam esse *superior*, et *non indoctus* pro *valde docto* poni, quae litotes vocatur. Sic: *scriptor non spernendus, nuntius non iucundissimus* pro *tristi*, ap. Sulp. ad Cic. IV, 12. in. *homo non beatissimus* Nep. Ages. 8. pro *paupere*. At semper ista vertenda sunt ad verba: *nicht die erfreulichste Nachricht, nicht der wohlhabendste* cet. ut litotes sentiatur: alioquin multum suavitatis et gravitatis periret. Cui bono est litotes, si eam non servamus et vernacule exprimimus?

b) interdum verecundiae causa de nobis negative potius quam adfirmative loquimur, v. c. *non equidem sum stul-*

ſtultiſſimus pro *ſapiens:* at quiſque videt, illud minus dicere ac minus intelligi velle, quam hoc. Sic Corydon Virg. Ecl. II, 25. ait: *non ſum adeo informis:* quis hic dicat, dictum eſſe pro *ſum formoſus:* nonne illud modeſtius et venuſtius (galanter)?

c) interdum negative loqui cogimur, quia adfirmative loqui non poſſumus, v. c. *non ſine* ſaepe pro *cum* dici debet, v. c. *non ſine cauſa hoc dico, non ſine prudentia* pro *cum cauſa* cet. Sic *non facile* pro *difficulter* dicere malim, quia illud uſitatius.

II) Saepe poni poteſt *antecedens* pro *conſequente;* v. c. *ſubire, ſich unterziehen*, pro *ſuſcipere, ſuſtinere, perferre*, v. c. *onus:* ſic et nos *ſich unterziehen: clavum tenere* pro *regere* v. c. navem, rem publicam: *pendere* et *metiri* pro *iudicare rem*, ut nos *erwägen, ermeſſen: petaſatus* pro *paratus ad iter: vixit* pro *mortuus eſt: iubere aliquem valere* pro *diſcedere*, ut nos *ſich empfehlen, Abſchied nehmen* pro *fortgehen von jemand: occurrere* pro *mederi* vel *ſponte adiuvare: patere* pro *parata eſſe ad uſum: mittere* pro *certiorem facere, nuntiare: iudicium regis* pro *honoribus alicui tributis:* ſic *conferre ſigna* ap. priſcos pro *proelium committere*, propr. *die Fahnen zuſammen ſtoſſen laſſen: ſigna inferre* pro *invadere hoſtes: ſigna convellere* pro *caſtra movere: ſigna convertere* pro *in aliam partem tendere.*

III) *Conſequens* ſaepe ponitur pro *antecedente*, v. c. *audivi* pro *narratum mihi eſt: habeo tibi gratiam* pro *beneficium abs te adcepi: careo facultate aliis bene faciendi* pro *ſum pauper;* et innumerabilia talia.

IV) *Cauſa* pro *effectu*, v. c. *aurum* pro *aureis numis, vaſis: ingenium* pro *cogitationibus acutis, witzige Einfälle: mens* pro *cogitationibus*, v. c. *mentem meam tibi declarabo: anima* pro *vita: ſcriptor* pro *eius ſcriptis: mobilis, levis* pro *inconſtans: meminiſſe* pro *gratum eſſe*, et *gratificari.*

V) *Ef-*

V) *Effectus* pro *causa* saepe ponitur, v. c. *cadere* pro *interfici*, in praelio: sic *necessitas*, *die Unvermeidlichkeit* pro *natura* interdum, quia est huius effectus: sic *necesse est*, *es ist natürlich*.

VI) Pertinent huc aliae locutiones metonymicae, v. c. a) *continens* pro *contento*, v. c. *urbs* pro *homines*: *domus* pro *familia*: *literae* pro *doctrina*, quia olim e libris hauriebatur, et pro *epistola*, et *omni scripto*. b) *signum* pro *signato*, v. c. *sceptrum* pro *regno*: ap. Romanos *toga* pro *pace*, *fasces* pro *imperio*, *laurea* pro *victoria* cet.

VII) Pertinent huc Synecdochicae locutiones, v. c. ut modo dicamus *offendere hominem*, modo *hominis animum*.

VIII) Pertinent huc metaphoricae locutiones, v. c. *ignis* pro *amore magno*: *fons* pro *causa*: *malum serpit*, it. *manat*: *proiicere* pro *vili pretio res vendere*, ut nostri: *es ist ordentlich weggeworfen*: *abstergere metum*, *molestiam* pro *demere plane*.

IX) *Genus* pro *specie* millies ponitur, ut in omnibus linguis, v. c. 1) *commodare* pro *leihen*: *propr.* est *gratificari*, *willfahren*, quocunque modo fiat. 2) *vivere cum aliquo* pro *uti aliquo*, *umgehen mit* cet. 3) *adpellare* pro *poscere debitum*, *mahnen*: propr. *anreden*. 4) *dicere* pro *orationem habere*: 5) *adcipere* pro *discere*, quia in discendo adcipimus aliquid: sic *tradere* pro *docere*: 6) *adesse alicui*, pro *adiuvare*, *dienen*, ut *deesse*, *nicht dienen*: 7) *curare* pro *sanare*: 8) *decedere* pro *mori*: 9) *satisfacere* propr. *facere tantum*, *quantum alter iure postulare potest*, *befriedigen*, pro *solvere debitum*, (ut nos *befriedigen*) et pro *se defendere*. 10) *quiescere* pro *dormire*: 11) *honorem habere alicui* pro *praemio adficere*: sic *commoda* pro *praemiis*: 12)

otium, *Ruhe*, pro *pace:* hinc *otiosi* i. e. *qui neutrarum sunt partium*, ap. Cic. quia hi in otio vivunt: 13) *tempus* pro *occasione:* 14) *honores* pro *munere honorifico*, *Ehrenamt:* 15) *fabula* pro *comoedia* vel *tragoedia:* 16) *mortales* pro *hominibus:* et innumerabilia alia.

X) Pertinet huc conversio relationis: v. c. 1) *tu es meus filius* et *ego sum tuus pater:* 2) *nolo tali servo uti*, et *talis hominis herus esse:* 3) *donasti me libro* et *adcepi a te librum:* 4) *mihi non scripsisti* et *nihil literarum abs te adcepi:* 5) *servire* et *dominum habere:* 6) *Caius mihi vendidit domum*, et *emi domum a Caio:* 7) *fui eius discipulus* et *ille fuit meus magister:* 8) *tu es me superior* et *ego sum te inferior* cet.

XI) Est et genus commutationis, quando *modus*, *forma* simul indicatur, v. c. *puteum deprimere* pro *facere.*

XII) Est et variatio per deminutiva, v. c. *literulis nostris* Cic. ad Div. V, 21, §. 5. pro *literis* per modestiam: sic *ingeniolum meum.*

XIII) Est et variatio per proverbia, v. c. *oleum et operam perdere: homo non semissis: Andabatarum more pugnare* cet. Sed quaeritur, quatenus priscorum proverbia hodie usurpare liceat. Proverbia sunt certarum plerumque tantum gentium: singulae habent sua. Hinc raro vel nunquam proverbiis Romanorum hodie utendum.

XIV) Est et variatio per *pleonasmum*, v. c. *interea temporis* pro *interea:* et per *ellipsin*, v. c. *paucis* pro *paucis verbis:* vid. de illo in Cap. de Copia dicendi, et de ellipsi in Cap. de brevitate.

XV) Est et variatio per *circumscriptionem;* v. c. *qui audiunt* pro *auditores: qui nos genuere* pro *nostri parentes:* de ea in Cap. de *Copia dic.* loquemur.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0216
DFG

SECT. XI.

De variatione conſtructionis grammaticae.

Eſt et variatio conſtructionis grammaticae, v. c. 1) *ſum doctior patre* et *quam pater:* utrumque recte. 2) *dignus, qui laudetur, laude*, rarius *laudis, laudari.* 3) *egeo* et *indigeo* cum ablat. et genitivo. 4) *opus eſt mihi liber* et *libro.* 5) *referre in deos, inter deos, in diis.* 6) *poenitet me facti* et *feciſſe.* 7) *donare alicui librum* et *aliquem libro.* 8) *praeire verba* et *verbis, vorbeten*, ut alter repetat, illud frequentius. 9) *ea res* et *id rei*, cet. ſic *multum temporis* et *tempus:* at *temporis* uſitatius. 10) *adire patrem* et *ad patrem.* 11) *antecedere alicui* et *aliquem.* 12) *ſequitur, ut hoc fiat*, et *hoc fieri.* 13) *gaudeo, quod vivis* et *te vivere.* 14) *venit, ut te videret, te viſurus, tui* ſ. *te videndi cauſa, ad te videndum.* 15) *habere aliquem pro docto* et *doctum.* 16) *inter graecos, in graecis, graecorum doctiſſimus.* 17) *ſpero patrem venturum* et *fore, ut pater veniat:* ſic *fore ut* ubique licet ponere, etiamſi verbum habeat futur. infinitivi. Et ſic ſexcenta alia. At referunt tirones huc nonnulla, quae huc non pertinent, v. c. 1) *Pridie Calendas, Nonas, Idus* et *Calendarum, Nonarum* cet. At prius magis probant eruditi: deinde rectius dici creditur v. c. *Pridie Calendas Maias, Apriles* cet. quam *Maii, Aprilis* cet. 2) *potiri* cum abl. et genitivo. At ſemper ablativus praeferendus; praeterquam in forma: *potiri rerum*, ſi *res* notant *ſummam poteſtatem, Oberherrſchaft:* at ſi *res* vulgari notione uſurpantur, ut ſint *Dinge*, uſitatius dices *rebus.*

CAP. IX.

DE COPIA DICENDI S. VERBORVM.

Copia dicendi s. *verborum* nititur fere omnis eloquentia Ciceronis. Nos hic de ea universa tantum dicemus.

SECT. I.

Quid sit copia ista verborum s. *dicendi?*

Copia verborum s. *dicendi*, ut vocatur Cic. Or. II, 25. it. *ubertas in dicendo*, ut dicitur Ibid. I, 12. (nos possimus vocare *die Ausführlichkeit*, interdum *Weitläuftigkeit*, it. *Reichthum in der Ausführung und im Ausdruck*) cernitur in eo, ut 1) *pro uno vocabulo duo vel plura*, 2) *pro una enuntiatione* (Satz) *duae vel plures ponantur*. Not. ad enuntiationes pertinent quoque *argumenta*, *testimonia*, *exempla* cet.

Et haec copia dicendi non ubique est adhibenda, sed tantum 1) quando notio talis est, ut in ea paulo diutius versari deceat. Ergo, quot verba adduntur, totidem ideae aptae addi debent. 2) ob *numeros* s. *aequalitatem membrorum*, de qua re supra. Sed et hic nil ponendum, quod aptis ideis careat. *Quid enim*, ait Cic. Or. I, 12. *tam furiosum, quam verborum — sonitus inanes nulla subiecta sententia?* Ergo omnis copia, omnis dilatatio est stulta, nisi per eam ideae augentur, atque contextus verborum dilucidior, suavior, gravior fortiorque redditur. Sed recte adhibita, est praeclara. Auditor enim lectorve ideam gravem, uno verbo expressam, saepe negligit et praeterlabi sinit: at verba plura de una re s. idea recitata efficiunt, ut auditor adtentus fiat eamque pro magna gravique habere incipiat: deinde,

inde, si auditor eandem ideam aliis verbis saepius repeti audit, recognoscere illam saepius cogitur, atque ita eius gravitatem tandem sentit.

SECT. II.

De copia dicendi in verbis singulis.

Cernitur in coniungendis *vocabulis pluribus*, ubi unum per se sufficiebat, vel sufficere videbatur: Fit illa variis modis:

I) Vni vocabulo, v. c. nomini, Verbo, adverbio cet. quod per se sufficere poterat, additur interveniente *τῶ et*, *ac* cet. aliud eiusdem generis, v. c. nomen nomini cet. (it. plura). At singula inter se differre debent, saltem quodam modo. Neque ergo vocabula eiusdem plane notionis, v. c. *edere* et *vesci* cet. iungi possunt. Videndum vero est omnino, ut posterius sit priori gravius aut clarius. Hoc ordo rerum postulat. Coniungi itaque possunt sequentia:

A) *Causa* et *effectus*, ubi alterutrum sufficiebat, v. c.

1) *liberalitas*, *edle Gesinnung*, *Wohlgezogenheit*, et *beneficentia*: it. *liberalitas* et *benignitas*: nam *beneficentia* et *benignitas* est effectus *liberalitatis*: v. c. pro: *magna patris est beneficentia* dici potest: *magna patris est liberalitas et beneficentia*: sic *liberalitas* et *clementia*, *Sanftmuth* iungi possunt: ubi *clementia* sufficiebat.

2) *humanitas*, *Menschenliebe*, et *facilitas*, *Gefälligkeit*, quae est illius effectus: sic *humanitas* et *clementia*: *humanitas* et *beneficentia* s. *benignitas*: sic *humanus* et *benignus*: *humanus* et *beneficus*: *humanus* et *facilis*, *comis*: sic *humanitas* et *misericordia* cet.

3) *lex* et *conditio*, quae est illius effectus: Cic. Agr. II, 3.

4) *ordo rerum* et *necessitudo*, *Verbindung der Dinge*, Cic. Har. 9. Ordo enim est illius effectus.

5) *ingeniosissimus* et *eloquentissimus*, Cic. Font. 13. sic *ingeniosus* et *suavis*; quia *ingenium* est causa eloquentiae et suavitatis.

6) *sapientia*, *Weisheit* h. e. cognitio veri pretii rerum, v. c. divitiarum, honoris cet. et *constantia* s. *fortitudo*; quia sapientia hanc parit. Sic *sapiens* et *fortis* s. *constans*; hinc *sapienter et fortiter ferre fortunam*: sic *sapientia* et *magnitudo animi*, quae est illius effectus; Cic. ad Div. I, 9, §. 8. sic *gravitas*, propr. *die Schwere*, et *constantia* cet.

7) *in lucem adspectumque proferre* Cic. Arch. 6.

8) *permiscere* et *perturbare*, v. c. Cic. Verr. I, 15.

B) *Antecedens* et *consequens* notio iungitur, ubi alterutra sufficere poterat; v. c. 1) Cic. Rosc. Am. 24. *Videtisne*, — *ut eos agitent furiae*, *neque consistere usquam patiantur*: 2) *factum* et *consilium*, *Entschluß*: sic Cic. Agr. II, 3. *ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur*. ubi bis coniunxit. 3) Cic. Agr. II, 3. *qui aditum huius loci conspectumque vestrum magnopere fugerunt*: 4) Cic. Fin. I, 7. *Ad maiora — nos natura genuit et conformavit*: 5) Ibid. 10. *Blanditiis — voluptatum deliniti atque corrupti*.

C) *Totum* cum *parte* vel *partibus*: it. *genus* cum *specie* vel *speciebus*: v. c. Cic. Har. 11. *te*, *nomen*, *imperium*, *vocem*, *adspectum*, *impetum tuum — senatus — et omnes boni sequebantur*: ubi *te* est totum: *nomen*, *imp.*, *vox*, *adsp.* et *impetus* sunt quasi partes Lentuli. Sic saepe iunguntur *gentes* et *nationes*; sic *virtus* et *integritas*, species virtutis Cic. Font. 13.

D) Duo vocabula, quorum posterius est fortius priori; v. c. *credo* et *mihi persuadeo*: *spero* et *confido*: *polliceor* s. *promitto* et *spondeo*, s. *recipio*, s. *praesto*. Sic saepe Cicero. Sic *aversari* et *exsecrari* Liv. VIII, 12. in. sic: *agitari et perterreri taedis ardentibus* Cic. Rosc. Am. 24: ibid. *furor atque amentia*: sic: *excitare*

citare et *inflammare* Cic. Man. 2. Ibid. *macula, quae insedit atque inveterovit.* Ibid. *necandos trucidandosque:* sic *opem* et *salutem ferre* Cic. Arch 1: sic *magna* et *gravia bella*, Cic. Man. 6: sic *turpia* et *flagitiosa* Cic. Font. 13.

E) Duo vocabula e diversis tropis ducta: it. ea, quorum alterum est tropicum, alterum proprium.

1) ubi duplex tropus; Cic. ad Div. III, 10, §. 11. *pugna et enitere, ne* cet. Sic *frangere* et *debilitare* iungi possunt. Sic Cic. Arch. 1. *Omnes artes-habent-commune vinculum et cognatione quadam inter se continentur.*

2) alterutrum tropicum: v. c. Caes. B. G. VI, 13. *qui aliquo sunt numero atque honore:* sic *via* et *ratio, ein Mittel:* ut nos *Mittel und Wege.*

F) Duo vocabula, quorum alterum ideam exprimit *negative*, alterum *adfirmative;* v. c. *res praeclara, nec ubivis obvia: homo magnus nec obscurae famae: liber egregius nec cum multis comparandus.* Fit vero etiam coniunctio alio modo; v. c. a) per *non-sed* vel etiam sine *sed*, v. c. Cic. Arch. 4. *qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit*, pro: *qui se scire, vidisse et egisse dicit:* at illud gravius. Mur. 9. *vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum:* b) per *non modo non, sed etiam;* Cic. Arch. 2. *non modo non segregandum, — verum etiam — adsciscendum fuisse:* c) per *non tam, quam;* Cic. Rosc. Am. 25. *ne non tam prohibere quam admonere videretur,* pro *ne admonere videretur.*

G) It. alia vocabula, si quidem eorum notiones inter se quodam modo differunt; v. c. 1) *culpa* et *peccatum*, v. c. Cic. ad Div. V, 21, §. 14. 2) *auctor* et *dux:* it. *auctor* et *princeps:* it. *dux* et *princeps:* 3) *defensor* et *patronus*, v. c. Cic. Har. 9. 4) *laus* et *gloria*, Cic. Arch. 11. et inverso ordine Font. 11. extr. Sic. *gloria* et *fama* Arch. 10. 5) *scelera* et *flagitia* Cic.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0221
DFG

Rosc. Am. 9.: it. *flagitia* et *facinora*, Sall. Cat. 23. in. 6) *sceleratus* et *impius*, Cic. Deiot. 1. sic *impurus* et *sceleratus*, Attic. IX, 15. extr. sic *impie scelerateque*, Rosc. A. 24. sic *turpissimus* atque *impurissimus praetor*, Verr. IV, 35. 7) *acerrime fortissimeque pugnare:* 8) *moderatissimus* et *continentissimus*, Cic. Arch. 7. 9) *feritas* et *immanitas belluae*, Cic. Off. III, 6. Et sic innumerabilia. Iunguntur a priscis etiam interdum, quae parum vel nihil differunt; v. c. *videre atque intelligere*, Cic. ad Div. VI, 5, §. 3. *exitus eventusque bellorum*, Ibid. ep. 6. §. 22. sic: *sua sponte et per se esse iucunda*, Cic. Fin. I, 7: *renovata atque instaurata*, Cic. Har. 10. it. *spoliatus et expilatus*, Cic. Verr. IV, 27. extr. In primis not. Cic. Cat. I, 6. *excidit casu aliquo et elapsa est*, ut fere Virg. Aen. VI, 310. *Lapsa cadunt folia:* it. *pati et perferre*, Ter. And. I, 1, 35: *dissimulare et occultare*, Caes. B. C. II, 31. cet.

II) *Ex uno substantivo fiunt duo:* h. e. substantivum mutatur in genitivum, et aliud additur conveniens illi h. e, indicans vel *partem* illius vel *adtributum* vel *causam:*

1) *partem:* v. c. *vulnerare hominis corpus* pro *hominem:* illud rectius, quia non totus homo vulneratur, sed eius pars h. e. corpus: sic *offendit patris animum* pro *patrem.* Sic pro *adolescens debet mature adsuefieri praeceptis sapientiae*, rectius dicitur *adolescentis animus* cet. sic *sapientis animus non timet* cet. pro *sapiens* cet.

2) *adtributum*, latissime sumtum; v. c. pro *pater me reddidit sapientem* dicitur *patris institutio, patris consilia*, vel *praecepta* vel *exemplum* cet. Sic *patris liberalitas mihi donavit* cet. pro *pater:* sic *fratris sapientia, temeritas* cet. pro *frater:* sic *mea fortitudo contemnit mortis acerbitatem* pro: *ego contemno mortem.* At haec omnia debent proprie explicari posse. Sic *fefellit curam* s. *diligentiam custodum* pro *custodes: reliquit huius vitae molestiam* pro *vitam: commisit se meae*

curae

curae pro *mihi: confisus est Caii fidei* pro *Caio.* Sed haec proprie ita explicanda: *fefellit custodes, licet curam* s. *diligentiam adhiberent: reliquit vitam, quae ipsi molesta erat: commisit se mihi, ut curam eius gererem: confisus est Caio, quia fidelis videbatur.* Hinc patet, istas additiones non tam copiam, quam brevitatem dicendi efficere.

3) *causam;* v. c. *laudo fratris sapientiam* pro *fratrem:* at dictum est proprie pro *laudo fratrem, quod sapiens est:* sic *pepercit illius pueritiae* pro *illi:* at dictum est pro *pepercit illi, quia puer erat* s. *ob pueritiam:* ut adeo ista forma dicendi magis nomen brevitatis quam copiae dicendi mereatur. Sic *gratularer felicitati tuae* Cic. ad Div. IX, 14. §. 14. non dictum est pro *tibi,* sed pro *tibi, quod tam felix esses.*

III) *Substantivis* adduntur libenter adiectiva, sed apta, v. c. *ver laetum, hyems tristis* cet. Sed videndum, ut conveniant; v. c. *deus benignissimus felicitati nostrae prospicere non desiit:* sic recte: non: *deus iustus:* contra: *deus iustus punit flagitia* cet. Sic Liv. VIII, 7. de Manlio, iubente filium suum securi feriri: *exanimati omnes tam atroci imperio* (i. e. iussu): poterat *tam atroci* omittere: at gravitatem augebat epitheton tale. Not. Loquor hic de adiectivis non per se necessariis, sed propter maiorem perspicuitatem et gravitatem addendis.

IV) Additur saepe ablativo *participium,* ad *causam* indicandam, ubi in vernacula non semper additur. Talia sunt *ductus, adductus, motus, impulsus, incitatus, commotus, incensus, inflammatus, doctus, instructus, munitus, captus, delinitus, corruptus, actus, deceptus, victus, fretus, confisus, coactus, prohibitus, impeditus, exclusus, lacessitus, perterritus, adtonitus, ictus* cet. Sed hic semper propria vis adtendi debet; v. c. pro *hoc feci cupiditate rei* vel *amore tui* dicitur *feci cupiditate rei* vel *amore tui ductus, adductus, motus, impulsus, incitatus,* ac si cupiditas vel amor

amor gravior est, *incensus*, *inflammatus*, it. *ablatus* s. *abreptus*, *hingerissen*, it. *coactus*. Pro *fugit hostium metu* dicitur *fug. host. metu ductus*, *adductus*, *motus*, *commotus*, *impulsus*, *perterritus*, *conterritus*, it. *abreptus*, *ablatus*, *adtonitus*. Negative loquenti addere licet eadem fere participia, ac praeterea *impeditus*, *prohibitus*, *exclusus*, *absterritus*, *deterritus*: v. c. *non poteram id facere temporis angustia impeditus*, *exclusus* s. *prohibitus*. Sic *inopia rei familiaris coactus abiit*: sic *experientia edoctus scio*: sic *aetate confectus*. Sic *captus pulchritudine*: sic Liv. I, 16. *romana pubes — orbitatis metu icta — silentium obtinuit*; et paulo post: *perfusus horrore*: et statim: *adtonitus miraculo*: it. *religione tactus*, Liv. I, 45: Ibid. I, 7. *Evander concursu pastorum excitus* cet. cf. supra commutatio participiorum cum praepositionibus p. 186. nam haec participia possunt per *propter* explicari.

V) Saepe *Verbum* proprie dictum, mutatur in participium et additur aliud *Verbum*: quod tamen non frustra adesse, sed aliquid maius exprimere debet, inprimisque *eventum rei*: v. c. pro *urbs incensa est* dicitur *urbs incensa flagrat*: at hoc indicat, urbem *adhuc ardere*: sic *miles confossus gladio cecidit* pro *confossus est*, it. *ictus sagitta periit* pro *ictus est*: at *cecidit* et *periit* proprie intelligendum. Sic *pater aegrotans iacet* pro *aegrotat*: at illud plus indicat: sic *rana rupto iacuit corpore* ap. Phaedr. pro *rupta est*: sic *irretitum tenere*, cet.

VI) Verbum *finitum* millies ap. priscos mutatur in *infinitum*, addito alio, at apto *Verbo*, v. c. *puto*, *arbitror*, *iudico*, *scio*, *constat*, *certum est*, *notum est*, *audivimus* s. *adcepimus*, *dicunt*, *video*, *intelligo*, *mihi videtur*, *laetor*, *doleo*, *scito*, *recordor* cet. v. c. pro *nihil est pulchrius virtute* dicitur: *nihil esse pulchrius virtute scimus*, *omnes sciunt*, *constat* cet. Sic *patrem tuum*

scio

ſcio eſſe doctum, pro *pater tuus eſt doctus:* in primis cum *qui*, v. c. *amiſi patrem, quem doctiſſimum fuiſſe omnes dicunt, fatentur* cet. Sic Cicero millies, v. c. ad Div. VI, 4, §. 18. *Ego, quae te velle, quaeque ad te — pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe — curabo* pro *Ego, quae tu voles et quae ad te — pertinebunt, omnia* cet. Ib. IV, 14. extr. *Tu velim, et quid agas et quid acturum te putes, facias me certiorem* pro *et quid acturus ſis.* Act. I. in Verr. 14. *Quo me tandem animo fore putetis, ſi quid in hoc ipſo iudicio intellexero — eſſe violatum* cet. pro *Quo animo ero, ſi quid — violatum erit.* ad Div. II, 18, §. 4. *nolo habere inimicos, quos video deinceps tribunos plebis — fore* pro *qui — tribuni plebis erunt.* Sic *ſcito* millies in Epiſt. Ciceronis, it. *certum eſt;* in primis *videri*, v. c. Manil. 23. *Quare etiamſi quem habetis, qui — exercitus regios ſuperare poſſe videatur* pro *poſſit.* At not. addita iſta verba propriam vim tenere debent.

VII) Saepe *Infinitivus* mutatur in *gerundium*, vel, ſi ſubſtantivum adeſt, in particip. fut. paſſivi et cum *eſſe* et ſine *eſſe:* addito *puto*, ſ. *arbitror, exiſtimo, credo, cenſeo, iudico, ſtatuo, duco, videri*, it. *video;* v. c. *ſcribendum putavi* pro *ſcripſi: literas has ad te mittendas cenſui* pro *miſi:* at ubique verborum additorum ratio proprie habenda: nec v. c. dici poteſt *moriendum putavit* pro *mortuus eſt:* hoc enim non pendet a voluntate hominis: proprie *ſcribendum putavi* eſt *putavi, ſcribendum mihi eſſe, habe geglaubt ſchreiben zu müſſen*, ergo *ſcripſi:* eſt anteced. pro conſequente. Millies ita Cicero; v. c. Manil. 1. *omne meum tempus amicorum negotiis transmittendum putavi:* ibid. *Atque illud in primis mihi laetandum iure eſſe video* pro *laetor.*

VIII) Adduntur et vocabula, notionem *cauſae, modi, temporis, loci* aliasque *determinationes* continentia: qua

qua re perſpicuitas adiuvatur. Ea ſunt in primis *adverbia*, it. *pro*, *propter*, cum ſuis caſibus cet. v. c. pro *deus non definit nos beneficiis adficere* dicitur *deus*, *pro ſua benignitate, non definit quotidie nos* cet. Sic pro *quis tam multas res a Caeſare geſtas narrare poſſit* dicitur *quis — geſtas ſatis* ſ. *pro dignitate narrare poſſit?* ſic pro *deus nos innumeris beneficiis cumulavit* dicitur *deus nos inde ab ineunte aetate innumeris* cet. Sic pro *Homerus Achillis res geſtas cecinit* dicitur: — *praeclare cecinit:* ſic Cicero millies, v. c. Roſc. A. 22. *ut*, *propter quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit*, *eos indigniſſime luce privarit:* ubi *indigniſſime* additum eſt.

IX) Repetitur ob gravitatem *idem vocabulum*, v. c. *rogo te, ut frater fratri ignoſcas*, pro: *ut mihi ignoſcas:* ſic *quomodo tu ſocius ſocium, amicus amicum decipere potuiſti?* Hoc copiae genus videtur potius eſſe brevitas quaedam, quia cauſa ſimul incluſa latet. Sic et repetitur vocabulum relationis oppoſitae, v. c. *quomodo tu pater filium odiſſe potes?* ſic *qu modo tu filius patrem* cet. Huc pertinet *multas multorum cauſas ſuſcepit: omnibus omnium commodis proſpicit deus.*

X) Vnum vocabulum circumſcribitur per plura: fit hoc a) per *definitionem* latiſſime ſumtam, b) per *partitionem*, *μερισμόν*. c) per *comparationem*. In his omnibus ſpectatur a) *perſpicuitas*, quia pluribus verbis ideam licet magis declarare quam uno, b) *ſuavitas*, quia ita vel laus vel vituperatio tecte includi poteſt. c) *gravitas*, quia argumentum ſic includi tecte poteſt. d) *periodica* et *numeroſa* ſtructura.

A) *Circumſcriptio* unius vocabuli per definitionem vel deſcriptionem et explicationem quamcunque; v. c. *ſtultum eſt eum vituperare, cuius ſapientiam ne ſatis quidem perſpicimus* h. e. *deum: debemus eos amare, qui nobis-*

nobiscum vinculo cognationis coniuncti sunt h. e. *cognatos.* Millies ita Cicero. Duplicem faciam descriptionem, breviorem et uberiorem.

1) *breviores descriptiones* per *qui:* v. c. *qui audiunt* pro *auditores; qui iudicant* i. e. *iudices: qui iudicia dat* i. e. *praetor: quod natum est*, ap. Terent. i. e. *infans:* sic per *quid*, v. c. Cic. ad Div. V, 21. *nisi ex me quaesieris, quid te velim facere* pro *nisi — quaesieris consilium meum:* sic *si quid est in me ingenii* cet. Arch. in. h. e. *omne meum ingenium* cet.

2) *paulo longiores descriptiones*, v. c.

Immeritum, per *quod abest a culpa:* Cic. ad Div. VI, 2. extr. *fortuna, quae abest a culpa* h. e. *immerita.*

Honestum per *non alienum a dignitate;* Ibid. IX, 14. §. 5.
Prodesse: per *ad commodum alicuius pertinere.*

Plane haud nosse aliquem per *nescire, utrum sit albus an niger:* e proverbio: sic Cic. Phil. II, 16. Phaedr. III, 15.

Vlcisci dominum: sic Cicero egregie Mil. 10. extr. *fecerunt id servi Milonis, — quod suos quisque servos in tali re facere voluisset* pro *servi Milonis ulti sunt dominum suum:* quibus in verbis latet simul caedes Clodii.

Parentes per *quibus vitam debemus, qui nos genuerunt, per quos hanc lucem adspeximus* cet.

Parricidam esse, s. *patrem* vel *parentes occidere.* Hanc notionem aliquoties Cicero circumscripsit pro Rosc. Am. maxime c. 22. Verba sunt: *portentum atque monstrum est certissimum, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit:* haec dicta sunt pro: *portentum — est certissimum, esse hominem, qui parentes suos occidere* s. *parricida esse possit.* Insunt plures circumscriptiones; 1) *esse aliquem humana specie et figura* pro *hominem:* sed illud gravius. 2) *propter quos hanc luc. adspexerit, eos* pro *parentes:* at illud gravius: 3) *luce privarit* pro *occiderit:* at illud gravius et aptius ob praecedens *propter quos lucem adspexerit.* Alia circumscriptio *parricidae* est Ibid. c. 23. *Nemo enim putabat quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum*

statim

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0227
DFG

statim capere potuisset pro *Nemo — putabat, quemquam parricidam somnum* cet. s. *quemquam, qui patrem occidisset*, cet. Ibid. 26. *ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur.* Arguta Comparatio.

Sullani per *qui vicerunt:* sic caute Cicero Rosc. Am. 47. *ut ii vincerent, qui vicerunt.*

Vitia per *quae in aliquo requirimus* s. *desideramus, was wir an Iemand vermissen:* modeste dictum de eo, quem vituperamus. Sic Cicero de Catone Mur. 29. *In Catone haec bona — ipsius scitote esse propria: quae nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, sed a magistro.*

Aetas puerilis per *aetas, cui etiam in captis urbibus parcitur*, Liv. V, 27: ubi Camillus ludi magistro, pueros in castra romana ducenti: *Arma habemus, non adversus eam aetatem, cui etiam in captis urbibus parcitur, sed* cet.

Herus per *qui centum habet oculos*, ap. Phaedr. II, 8, 18.

Liberalis per *qui libenter aliis beneficia tribuit: qui ea est natura, ut omnes felices reddere studeat* cet.

Fortissime per *ita*, s. *sic*, seq. *ut* circumscribi potest: v. c. Cic. ad Div. V, 2, §. 20. *sic cum eo disputavi, ut sentiret, sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum.*

Optime per *ita*, s. *sic*, seq. *ut:* v. c. Cic. Agr. II, 3. *mihi autem — omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur:* pro *quam non optime gerendum consulatum.* Omnino idea magnitudinis, multitudinis, paucitatis cet. et in universum superlativus libenter circumscribitur per *ita, sic, tantum* seq. *ut*, it. *tantum quantum* cet. v. c. Cic. ad Div. IX, 14, §. 10. *tantum adcessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum videbatur* pro *immensum quantum adcessit ad amorem:* Ibid. §. 11. *tantum adcessit* (ad amorem), *ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.* Sic pro *est doctissimus* dici potest *est tam doctus, ut nihil sit, quod non intelligat* cet.

Omnes, Omnia, mutari potest in *Nemo est, quin: Nihil est, quod non:* v. c. pro: *Omnes sciunt* dicitur: *Nemo est, quin sciat, qui nesciat* cet. Sic: *Nihil est omnino, quod deus efficere non possit* pro *deus potest omnia efficere:*

cere: sic *nihil est, quod ille nesciat; nihil est tam abditum, quod illum fugiat* pro *omnia scit:* sic *nullus dolor est, quem longinquitas temporis non minuat.* Sic *nullo modo* mutatur in *fieri non potest, ut* cet. Haec circumscriptio saepe necessaria est, ubi lingua latina unam ideam uno vocabulo exprimere nequit, v. c. *unwiderstehlich, faßlich, vernehmlich:* v. c. *loquebatur ita, ut ei non resisti posset* pro *irresistibiliter:* sic *faßlich erklären, vernehmlich reden, ita explicare, ut singula comprehendi possint; ita loqui, ut omnes intelligant* cet.

Not. In his circumscriptionibus omnibus principatum tenent eae, in quibus argumentum latet: v. c. supra *parricidae* cet. Sic Cic. Man. 1. dicturus: *ego auctoritatem et eloquentiam meam in primis apud vos ostendere debeo*, haec ita eloquitur: *Si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt* (h. e. *apud vos*); *et si quid etiam dicendo consequi possum, iis* (h. e. *vobis*) *ostendam potissimum, qui ei quoque rei* (eloquentiae) *fructum suo iudicio* (creando me consule) *tribuendum esse censuerunt.*

B) *Circumscriptio unius vocabuli per partitionem;* v. c. pro *omni tempore mihi se consilio adfuturum promisit*, dicitur: *promisit, se mihi, sive mane sive vesperi ad ipsum venissem, consilio* cet. sic *legit neque poetam, neque oratorem, neque* cet. pro *legit nullum scriptorem:* sic *lugent eum filii, cognati, amici* cet. pro *lugent eum omnes.* Prisci ita millies, v. c.

Officia circumscripsit Cic. ad Div. V, 5, §. 2. *Omnia a me in te profecta sunt, quae ad tuum commodum; quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinerent* h. e. *officia omnia.*

Negotia publica. Cic. ad Div. IX, 20, §. 4. *Nam omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abiecimus.*

Eloquentia circumscribitur per *ingenium* et *industriam*, Cic. Man. 1. *nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria.* Addere poterat *doctrinam*, quam addit Arch. 1. *si quid est — ingenii — si qua exercitatio dicendi — si huiusce rei* (h. e. dicendi) *ratio aliqua ab*

optimarum artium ſtudiis ac diſciplina profecta (h. e. doctrina) pro *ſi eloquentia inſtructus ſum.*

Nuſquam circumſcribitur Cic. Cat. II, 1. *non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domeſticos parietes pertimeſcemus.*

Omnia hominis vel *totus homo.* Cic. Piſ. 40. *omnes memoriam conſulatus tui, mores, faciem denique ac nomen deteſtantur:* pro *te.*

Nemo. Caeſ. B. G. VII, 28. *non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt.*

Nihil. Cic. Sext. 47. *quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit.*

C) Circumſcriptio unius vocabuli per comparationem, v. c.

Valde: v. c. pro *valde* ſ. *magnopere te amo* dicitur: *amo te ita, ut pater filium,* vel *filius patrem, frater fratrem non magis amare poſſit:* vel *tantopere, quantopere fas eſt hominem amare;* vel iocoſe: *quantopere vix avarus pecuniam, ſponſus ſponſam amare poteſt* cet.

Magnus: v. c. pro *meus erga te amor eſt magnus, maximus* cet. dici poteſt: *non minori te complector amore, quam pater filium, filius patrem complecti ſolet:* Et ſic centies variare licet: ſic pro *literarum ſtudia magnam* vel *ſingularem utilitatem adferunt* dicitur v. c. *tantam, quanta vix ulla ex re percipi poteſt* cet.

Saepiſſime per *ſaepius quam; tam ſaepe,* ſ. *toties ut, toties quoties:* v. c. pro *rem ſaepiſſime vidi* dicitur: *tam ſaepe, ut non amplius eius videndae cupidus ſim* cet.

Diutiſſime, it. *ſemper* per *tamdiu* ſeq. *quamdiu,* vel *ut, dum:* v. c. *didicit tamdiu, ut conſtaret, diutius didiciſſe neminem: laudabitur, dum memoria rerum romanarum manebit* i. e. *perpetuo* vel *diutiſſime.*

Permulti per *tot quot, tot ut, plures quam:* v. c. *Roma habuit tot viros fortes, quot fere nulla gens numerare potuit.*

Parum, non multum. Cic. ad Div. IV, 7, §. 15. *gratia tantum poſſumus, quantum victi.*

SECT.

SECT. III.

De copia dicendi in enuntiationibus.

Copia dicendi in enuntiationibus cernitur in eo, ut duae vel plures pro una ponantur, perſpicuitatis et gravitatis adiuvandae cauſa. Efficitur hoc variis modis:

I) Vnum vocabulum, indicans vel *Genus* vel *Totum* aliquod; per *partitionem*, aliquot enuntiationibus conſtantem, circumſcribitur; v. c.

Mali ſ. *improbi* circumſcribuntur Cic. Sext. 46. *Etenim in tanto civium numero magna multitudo eſt eorum, qui aut, propter metum poenae, — novos motus — reipublicae quaerant, aut qui propter inſitum — animi furorem diſcordiis civium ac ſeditione paſcantur, aut qui propter* cet. pro *malorum.*

Omnes. Cic. Mil. 5. *luget ſenatus, moeret equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, adflictantur coloniae, agri denique ipſi tam beneficum — civem deſiderant:* pro *Omnes lugent Clodium.*

Nihil: v. c. Cic. Arch. 6. *qui ita vivo, ut ab nullius unquam me tempore aut commodum aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit.*

Omni tempore ſ. *ſemper* et *omni loco* ſ. *ubique:* v. c. Cic. Arch. 7. *Haec ſtudia adoleſcentiam alunt* (Edd. *agunt*), *ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur* pro *omni tempore et loco proſunt.*

II) *Enuntiatio* dilatatur per *ita, adeo, tantum* cet. ſeq. *ut:* idque vel *cauſa praeponenda* vel *effectu poſtponendo:*

1) *praeponitur cauſa:* atque ita fit nova enuntiatio; v. c. pro *hic hominum felicitati libenter conſulit* dicitur: *hic eo eſt animo*, ſ. *ea benignitate, ut hominum felic. lib. conſulat.* Pro *hic dies noctesque literis dat operam* dicitur: *hic tanto literarum ſtudio flagrat, ut dies* cet. Pro *deus omnia efficere poteſt*, dicitur: *deus eſt tam potens, ut* cet. Sic: *nemo eſt tam ſtultus, tam rerum ignarus, ut hoc non intelligat* pro *Omnes hoc intelligunt.* Sic *fuit ea crudelitate, ut innumeros trucidaret* pro *trucidavit innumeros:* Sic *hic homo tam*

amans est veritatis, ut eius verbis facile credi possit pro *huius verbis facile credi potest.* Et sic innumerabilia, sicque centies Cicero.

2) postponitur enuntiationi *effectus*, atque ita nova fit enuntiatio; v. c. pro *deus* est *valde benignus* dicitur: *deus est tam benignus, ut omnibus adesse soleat*, s. *ut omnium felicitati prospiciat* cet. Pro *deus est valde potens* dicitur: *est tam potens, ut omnia, quae velit, efficere possit* cet. Sic pro *hic magno literarum studio flagrat* dicitur: *tanto literarum studio flagrat, ut iis noctes diesque det operam:* pro *amo te valde* dici potest: *ita te amo, ut in omnibus rebus meam operam exspectare possis:* et sic innumera et modis innumerabilibus variare licet.

III) *Enuntiatio* per *comparationem* dilatatur ope particularum *ita* s. *tantum ut*, *tantum quantum* cet. vel gradus comparativi, v. c. pro *amo te valde* dicitur: *amo te ita, ut pauci sint, quos simili amore complectar*, s. *ut vix pater filium* cet. *similiter amare queat.* Pro *Cicero fuit summus orator* dicitur: *fuit tantus orator, quanti omni tempore pauci reperiuntur* cet. Pro *tua domus est valde parva* dicitur: *est tam parva, ut casae agricolarum maiores esse videantur.* Et sic innumerabilia.

IV) Egregius modus augendi enuntiationes est, quando in enumeratione rerum aut personarum per unum *Verbum* proprie dictum connexarum, his singulis singula verba adduntur, atque ita, quot vocabula erant, totidem enuntiationes fiunt; v. c. pro *amant te cives et peregrini* dicitur: *amant te cives, diligunt peregrini:* Pro *deus nos vita, sanitate, pace aliisque bonis donavit* dicitur: *deus nos vita donavit, sanitate beavit, pace ornavit, aliisque bonis frui iussit.* Sic Cic. Arch. 7. pro *Haec studia prosunt in adolescentia, in senectute, in secundis et adversis rebus, domi, foris, noctu, peregre, rure* maluit dicere: *Haec studia adolescentiam alunt* (Edd. *agunt*), *senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent,*

bent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Ibid. 8. dicere volebat: *Homerum suum civem dicunt esse Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnaei:* at copiosius dixit: *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant:* add. ibid. 6. *qui ita vivo, ut* cet. Rosc. A. 22. *magna est vis humanitatis* cet. it. Virg. Aen. VI, 803. *Fixerit* cet.

V) Pro *una enuntiatione*, quae per se sufficiebat, coniunguntur duae, quarum una rem negative altera positive exprimit: sic gravitas rei adiuvatur; v. c. pro *semper memor ero beneficiorum tuorum* dicitur: *nunquam tua beneficia obliviscar, semper animo meo infixa haerebit eorum memoria,* vel: *tantum abest, ut beneficia tua obliviscī possim, ut potius* cet. Cic. Cat. II, 4. *Non est iam lenitati locus, severitatem res ipsa postulat.* add. Cic. Mil. 1. *Etsi vereor* cet. ib. 26. *satis declarat, se non* cet. Cic. Arch. 7. *Quod si non hic* cet.

VI) Pro una enuntiatione coniunguntur duae (it. plures) eandem rem designantes, sed posterior debet esse gravior vel dilucidior priori, atque ita hanc magis confirmare vel explicare et illustrare. Saepe ita Cicero, v. c. Rosc. A. 24. *sua quemque fraus et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque adficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent.* Cic. Div. in Caecil. 14. *Nunquam ille me opprimet consilio, nunquam ullo artificio pervertet, nunquam ingenio me labefactare atque infirmare conabitur.* Cic. Mil. 1. *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat; non usitata frequentia stipati sumus:* haec duo non valde differunt.

VII) Saepe enuntiationi praeponitur alia enuntiatio illius *modum* quendam indicans, licet per se intelligi atque abesse possit. Tales praeponendae enuntia-

tiones sunt: *non fieri potest*, *accidit*, *factum est*, *fit*, *effectum est*, *faciendum putavi*, *contingit*, *evenit*, *datum est* cet. v. c. pro *deus non mentitur* dicitur: *non fieri potest*, *ut deus mentiatur*: sic *datum tibi est hoc*, *ut posses efficere* pro *tu potuisti efficere*: *Accidit*, *ut morereturpro mortuus est*: *factum est*, *ut consul crearetur* pro *creatus est consul*. Not. *accidere*, *contingere* semper *casum* indicare, sic et *factum est*, *evenit*. Millies ita prisci: vid. exempla in lib. mai. Possunt et alia praeponi, v. c. *ita vivo*, *ut* cet. Cic. Arch. 6. In primis *hoc* s. *id agere*: i. e. *spectare*; v. c. *semper id egi*, *ut multa discerem* pro *semper studui multa discere*. Sic et saepe prisci.

VIII) Enuntiationi saepe additur alia enuntiatio illius *explicationem* et *illustrationem* continens; v. c. Cic. Man. 11. provocans ad testes virtutis Pompeianae *Italiam*, *Siciliam*, *Africam*, *Galliam* cet. poterat dicere: *testis est Italia*, *Sicilia* cet. vel *testis est Italia*, *testis est Sicilia* cet. at dixit: *testis est Italia*, *quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute — confessus est liberatam*: *testis est Sicilia*, *quam multis — cinctam periculis — explicavit*: *testis est Gallia*, *per quam* cet. Marc. 3. *At vero cum aliquid clementer*, *mansuete*, *iuste*, *moderate*, *sapienter factum in iracundia praesertim*, *quae est inimica consilio*, *et in victoria*, *quae natura insolens et superba est*, *aut audimus aut legimus*, *quo studio incendimur* cet. Additamenta: *quae est inimica consilio* et *quae natura insolens — est*, sunt explicationes *iracundiae* et *victoriae*, poterantque per se abesse.

IX) Additur enuntiatio *comparationem* continens, a) vel *simplicem*; v. c. pro *Sempronius valde errabat*, *cum putabat se ab omnibus laudatum iri*, dicere liceat: *Sempronio idem fere accidit*, *quod Ciceroni e Sicilia redeunti*, *ut*, *cum credidisset*, *se ab omnibus laudatum iri*,

iri, valde ipsum opinio falleret. Possunt haec quoque latius efferri: b) vel eam, quae serviat argumentationi a minori ad maius vel contra; — legatur hic Cic. Manil. 5. ubi docet, maiores de minori re saepe bella gessisse, ergo debere Romanos eo magis nunc bellum gerere cum Mithridate: dicit: *maiores vestri saepius* cet. add. Ligar. 4. *Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio?*

X) Augentur enuntiationes etiam *exemplorum* et *testimoniorum* commemoratione. Sic Cic. Mil. 4. ad evincendum, vim illatam vi posse repelli, laudat hoc exemplum: *Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim adferebat.*

XI) Additur in primis enuntiatio *causam* vel *consilium* (Absicht) continens per particulas *nam, enim, quia, cum, ut, ne* cet. v. c. pro *quis deum non amet?* dicere licet: *quis deum, qui tam beneficus est, non amet?* Regnat in hoc genere copiae in primis Cicero: v. c. Rosc. A. 25. laudans maiores, quod in parricidas poenam constituerint atque ita sapientius quam Solon, qui id omiserat, egerint, ait: *quanto maiores nostri sapientius? qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summoverentur.* Poterat breviter dicere: *quanto maiores nostri sapientius! qui supplicium in parricidas singulare excogitaverunt.* At addit a) causam: *qui cum intell.* cet. b) aliam causam s. consilium: *ut, quos natura* cet. Ibid. 26. tractans supplicii genus, quo parricidae adficiebantur, non contentus est dixisse: *noluerunt feris corpus obiicere, noluerunt*

nudos in flumen deiicere: sed dicit: *noluerunt feris corpus obiicere, ne beſtiis quoque, quae tantum ſcelus adtigiſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen deiicere, ne, cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent.* Mil. 4. *Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, — interfecit ab eo eſt, cui vim adferebat.* Hic deſinere poterat: ſed addit: *facere enim probus adoleſcens periculoſe quam perpeti turpiter maluit.* Et ſic milies.

XII) Saepe etiam *effectus* aliquis vel aliquid, quod e praecedentibus *conſequi* ſolet vel colligi poteſt aut poſſe videtur, licet per ſe intelligi poſſit, ad perſpicuitatem vel gravitatem magis adiuvandam additur per particulas *hinc, quare, igitur* cet. in primisque per *ut* pro *ut ſ. itaque:* ſic nova fit enuntiatio, interdum plures. Saepe ita Cicero, v. c. Agr. II, 2. *reperietis — me eſſe unum ex omnibus novis hominibus, — qui conſulatum petierim, cum primum licitum ſit, conſul factus ſim, cum primum petierim:* hic deſinere poterat: ſed addit: *ut veſter honos — non ad alienae petitionis occaſionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed dignitate impetratus eſſe videatur.* Cic. Marc. 6. Cicero laudans Caeſaris clementiam in victos Pompeianos ait: *quos amiſimus cives, eos Martis vis peremit, non ira victoriae:* hic deſinere poterat: ſed addit: *ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Caeſar ab inferis excitaret, quoniam ex acie conſervat, quos poteſt.*

XIII) Additur et interdum *contrarium*, ſicque fit nova enuntiatio: v. c. *labor membra firmat, cum contra deſidia frangat.* Cic. Deiot. 14. *Dabis profecto miſericordiae, quod iracundiae negaſti* pro: *dabis profecto hoc miſericordiae.*

XIV) Addi ſaepe poteſt ac debet enuntiatio *conditionem* continens, per particulas *ſi, niſi, ſiquidem, quatenus,*

tenus, it. *qui*; v. c. pro *deus hominibus peccata libenter remittit*, dicitur: *deus hominibus peccata, si eorum ipsos vere poenitet, libenter remittit.* Sic rectius dicas: *quaecunque a me postulaveris, ea, si potero, tibi dabo*, quam si omiseris *si potero.* Sic Cicero millies. Sic rectius dicas: *rogasti me, ut, si quid consilii scirem, tibi darem*, quam *ut tibi consilium darem.*

XV) Addatur saepe oportet enuntiatio, *tempus* vel *locum* designans; v. c. pro *quomodo potes Caium pro inimico habere, qui te tot beneficiis ornaverit* dici possit: *quom. pot. Cai. pro inimico habere, qui, quocunque tempore potuerit, te benef. ornaverit:* Sic pro *Cicero videns, quae in Sicilia egisset, non omnibus nota esse* cet. dicere queam: *Cicero, cum e Sicilia reversus vidisset, quae illic egisset*, cet.

XVI) Additur et *enuntiatio concessiva* per *etsi, etiam si*, it. *si* cet. licet per se intelligi possit; v. c. Cic. Arch. 8. *ut Roscii morte non commoveretur? qui cum* (i. e. licet) *esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem — videbatur omnino mori non debuisse:* verba: *cum — mortuus, tamen* abesse poterant. Manil. 5. *quod eiusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant.* Verba: *etiamsi — defendant, tamen* abesse poterant.

XVII) *Res*, per quam aliquid efficitur, *das Mittel*, saepe addi debet: sic nova fit enuntiatio: v. c. pro *frater tuus magna sua modestia multos sibi amicos conciliabit* dicitur *frater tuus, cum magna sit modestia, multos* cet. sic pro *bellum officit literarum studiis* dici potest: *bellum, cum otium turbet, officit* cet.

SECT. IV.

De pleonasmo s. *redundantia.*

Redundantia vocabulorum s. *pleonasmus* est duplex: *rhetorica*, permotionem animi significans, v. c. *his oculis vidi:* quae huc non pertinet: et *grammatica*, h. e. ubi vocabulum salvo sensu abesse poterat, nec contextui pondus addit. Sed cum interdum credatur vocabulum redundare, quod non redundet, duplicem faciam redundantiam 1) *veram* 2) *fictam.*

I) *Redundantia vera:* hic not. quae saepius occurrit, eam imitari licet, quae raro, ea abstinendum est:

1) *Ita, sic, hoc, id, illud* saepe ap. priscos redundat, seq. accusativo cum infinitivo: v. c. *ita:* Cic. ad Div. XIII, 10, §. 10. *sed cum ita sibi persuasisset ipse, meas — literas — pondus habituras* cet. sic de *sic, hoc, id, illud* v. exempla in lib. mai. Recte ergo dicimus: *promisit mihi ita, sic, hoc, id, illud, se omnia facturum* cet. It. ante *ut*, v. c. *hoc a me petiit, ut mox redirem.*
2) *quoad eius fieri potest*, *quoad eius facere possum* cet. v. c. Cic. ad Div. III, 2, §. 4. ubi *τὸ eius* h. e. *hac in re* redundat; nisi forte in hac forma pro *quoad* legendum *quod* i. e. *quantum*, ut monui in *der latein. Sprachlehre.*
3) *Vt ne* saepe occurrit pro *ne*, *ut non.*
4) *Nisi si* pro *nisi* saepe occurrit; at tantum in sententia media, quando explicari potest per *praeterquam, si außer wenn; es müßte denn;* v. c. Cic. Or. II, 58. extr. *miseros illudi nolunt, nisi si se iactant.* Ergo non ubique ponere licet.
5) *Interea temporis* occurrit pro *interea:* sic *saepe numero* pro *saepe*, ut nostrum *oftmals* pro *oft.* Hic est redundantia. At *ubi locorum? quo locorum? minime gentium* gravius dicta sunt quam *ubi? quo? minime.* Ergo hic *locorum* et *gentium* non prorsus redundat.
6) *Mihi, tibi, nobis* cet. interdum redundat, sed tantum in familiari sermone, v. c. epistolis cet. et cum relatione ad personam, quae in dativo est: v. c. *tum demum ille mihi venit, da kam er mir erst.* Exempla dedimus in *der Sprachlehre* p. 486.

7) *Imo*

7) *Imo vero* pro *imo* saepe occurrit, ubi *imo* sufficiebat: videtur tamen *το vero* paulum augere. Nempe *vero* i. q. *vere.*

8) *Id quod* saepe pro *quod*, quando non ad unum certum substantivum, sed ad totam sententiam praecedentem refertur; v. c. *tu amas deum; id quod laudandum est:* ubi tamen *quod* aeque rectum est.

9) *Item* in oppositionibus saepe usurpatur, ubi nostra lingua tacet, v. c. *ich liebe den Caius, nicht dich, amo Caium, non item te*, vel usurpat *aber* aut *und*, v. c. *Ich liebe den Caius, nicht aber dich*, s. *und nicht dich.*

10) *Ille quidem* saepe ita occurrit, ut *ille* redundet, v. c. *liber, quem mihi misisti, est ille quidem bonus, sed carus.* Sic saepe Cicero, a) sequente *sed*, v. c. ad Div. XII, 9, §. 2. b) sequente *tamen*, v. c. Amic. 19. *Novitates — non sunt illae quidem repudiandae, vetustas tamen* cet. c) seq. *vero:* ad Div. XII, 30, §. 8.

11) *Magis* et *potius* post *comparativos*, et post *malle, praeoptare, praestat* interdum occurrit, ubi manifesto redundat: v. c. Cic. Or. II, 74. *cum ei fuerit optabilius obliviscí posse potius — quam meminisse.* Ligar. 2. *An ille — Vticae potius quam Romae — esse — maluisset?* ac saepius. Sic et Graeci: sed hoc non imitandum est.

12) *Est, erat, futurum est* cet. sequente *ut* cum coniunctivo saepe redundat, v. c. Cic. Or. 59. *est, ut id maxime deceat* i. e. *id maxime decet.* Cic. Or. II, 36. *est, ut philosophi tradant* pro *philosophi tradunt.* Terent. Hec. IV, 1, 43. *si est, ut dicat* pro *si dicit:* ac saepius.

13) Plures sunt redundantiae, v. c. *sed autem, etiam quoque, itaque ergo, tum deinde, tandem denique, deinde postea*, (ut nostri: *hernach dann*) cet. v. Vech. Hellen. p. 155. et Hor. Tursell. Sed hoc non imitandum est. Not. Nec tamen huc pertinet *At vero* pro *at:* hic *vero* est i. q. *vere.*

II) De *redundantia ficta* h. e. cum imperitis vocabulum redundare videtur, quod non redundat; v. c.

1) *Quodsi* saepissime ab initio sententiae totius, postquam aliquid, quocum illa cohaeret, praecessit, occurrit pro *si;* sic *quod nisi* pro *nisi*, et interdum *quod ubi* pro *ubi*, *quod utinam* pro *utinam.* Hic *quod* non redundat, sed servit connexioni duarum sententiarum. Sed quid significet, latet: plerumque tamen per *igitur* explicari et vernacule *nun* s. *also* verti potest. Videtur

detur esse accusativus, intellecta aliqua praepositione, ut *quod* pro *quo* h. e. *qua re* vel etiam *qua in re* positum videatur.

2) *Doctissimus quisque, optimi quique, optima quaeque* cet. non ponuntur pro *doctissimus, optimi* cet. nec τὸ *quisque* redundat: sed efficit enuntiationem universalem: *optimus quisque* est *quisque optimus* i. e. *omnes optimi* cet.

3) *Scribendum putavi* pro *scripsi:* at illud est gravius et indicat, me *consilio* scripsisse.

4) *Fac eas, fac scribas* pro *i, scribe:* at τὸ *fac* auget: est excitantis, hortantis et rogantis, ut nostris: *mach und gehe, mache daß du schreibest:* hinc tantum in sermone familiari locum habet.

5) *Vero* in principio epistolarum Ciceronis interdum occurrit, ubi per *aber* verti nequit; v. c. ad Div. VI, 6. *Ego vero* cet. VII, 30. IX, 5. cet. It. occurrit in media sententia, v. c. Cic. ad Q. Fr. II, 9. *Quod me admones — in illo libro; ego vero memini* cet. Dicunt nonnulli τὸ *vero* servire responsioni. Recte: at quid significat? Videtur *vero*, ut *certo*, esse ablativus a *verum*, et plane esse i. q. *vere, wirklich, in Wahrheit*, interdum *recte*, cet. sicque ubique, puto, verti poterit: v. c. Cic. Divin. I, 46. Caecilia virgini requiescere cupienti dixit: *Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes* h. e. *Recte:* sic et Mur. 31. med. Leg. I, 24. extr.

6) *Non is ego sum, qui negem,* pro *non nego,* ac similia; at illud est gravius.

7) *Isque* s. *et is, idemque* non adiicitur per redundantiam, sed explicat adcuratius et auget, v. c. *habeo multos libros, et eos pulchros*, est nostrum *und zwar.*

8) *Si quis* saepe pro *qui* ponitur et poni potest, sed tantum, si de re tanquam incerta loquimur: v. c. *libros, si quos habes, mihi mitte* pro *libros, quos* cet. sic *rogo, ut, si quid negotii habes, id mihi committas* pro *ut negotium, quod habes.* At stultum est dicere: *deus, si quas res creavit, eas conservat* pro *deus res, quas* cet. Saepe Cicero *si quis* pro *qui* ponit, v. c. Verr. I, 4. in. *si populus romanus — non sic statuerit, non ipsum maius in se scelus concepisse, — quam eos, si qui ipsum — sententia sua liberarint* h. e. *absolverint. Per eas,*

eos, si qui istum — liberarint intelligit *iudices:* debebat dicere *quam eos, qui istum* cet. at dubitanter loqui maluit.

9) *Quid est quod* pro *cur? quid?* saepe ponitur; at ob gravitatem: gravius est v. c. *quid est, quod flemus? warum sollten wir wohl weinen?* quam *quid flemus?*

10) *Amabo, quaeso, obsecro* et *malum* non frustra adduntur, sed *amabo* est nostrum: *ich bin dir auch gut, will dir auch recht gut seyn*, est ergo blandientis et valde rogantis: est ergo i. q. *rogo*, it. *höre einmal. Quaeso* et *obsecro* sunt i. q. *rogo:* deinde respondet nostro: *höre einmal* cet. et *malum* est indignantis, *der Henker! der Geyer!* v. c. *quae, malum, haec impudentia est?* proprie est: *o Unglück!*

CAP. X.

DE BREVITATE DICENDI.

Brevitas dicendi est virtus orationis s. styli, paucioribus vocabulis et enuntiationibus, salvo tamen sensu, imo interdum cum maiori suavitate et gravitate exprimens ea, quae pluribus enuntiari poterant et vulgo enuntiantur. Sunt interdum notiones tam vulgares, ut, quo brevius et celerius exprimas, eo melius loquare. In gravibus rebus etiam saepe breviter dicendum est, ut celerius sentiantur et u[illegible] lector auditorve opprimatur. Hic de brevitate in universum dicemus: ea pertinet vel ad verba singula vel ad enuntiationes.

SECT. I.

De brevitate dicendi in verbis singulis.

Hic notanda haec:

I) *Uno vocabulo* saepe possunt duo, interdum plura comprehendi:

A) In

A) In *Particulis:*

1) *Nisi* pro *si non:* sic millies prisci.

2) *Nec* s. *neque* pro *et non, etiam non:* sic saepissime dicendum: v. c. *miror nec credo* i. e. *et non: nec tu vidisti* pro *etiam tu non vidisti.* Sic *necdum* pro *et nondum, etiam nondum.*

3) *Quin* saepissime a) pro *ut non*, v. c. *non fieri potest, quin* h. e. *ut non*, quod aeque rectum: b) pro *quod non* s. *tanquam non*, seq. coniunct. v. c. *suadeo tibi hoc, non, quin sciam* cet. i. e. *quod* s. *tanquam non sciam*, quod aeque rectum: *nicht, als wenn ich nicht wüßte:* it. pro *quod non* h. e. *cur non*, post *nihil causae est;* v. c. Cic. Quint. 9. *Cum — nihil causae esset, quin* cet. c) pro *qui non*, seq. coniunct. in his formis: *nemo est, quin sciat; quis est, quin credat?* cet. d) pro *cur non* seq. indicativo, in excitando, ubi plerumque verti potest: *ih so* v. c. *lauf, laßt uns laufen* cet. v. c. Liv. I, 47. *Quin adcingeris?* Cic. Att. IV, 17. *Quin tu huc advolas* cet.

4) *Libentissime* pro *cum summa voluptate:* sic *libentius, iucundius* pro *cum volupt. maiori:* sic *studiosissime* pro *summo studio.* Et sic plura adverbia.

5) *Hic* saepe a) pro *hac in re:* v. c. *hic peccavit:* sic *hinc*, pro *ex hac re*, v. c. *hinc sequitur:* b) pro *hac in urbe, hoc in loco:* sic *huc* pro *hunc in locum* vel *urbem: hinc* pro *ex nostro loco* vel *urbe:* sic *istic* pro *in isto loco; istuc, istinc; illic, illuc, illinc:* de quibus supra.

6) *Adverbia loci* saepe de personis ac rebus dicuntur; v. c. a) *unde* pro *a quo, a qua, a quibus*, vel *e quo* cet. v. c. *homo, unde didici; homines, unde adcepi: domus, unde veni:* sic *unde petitur* vocabatur reus in causa privata; sic *unde* pro *qua ex re*, sic et *inde* pro *hac ex re*, v. c. *unde, inde patet.* b) *ubi* pro *apud quem, quos* cet. v. c. *homo, ubi fuisti:* it. pro *in quo, qua* cet. v. c. *urbs, ubi natus sum:* c) *quo* pro *ad quem, quos* cet. v. c. Cic. Verr. V, 65. *ubi neque noti esse iis, quo venerunt — possunt.* d) *alio* pro *in alium locum*, vel *ad alium hominem, ad alios:* v. c. Cic. ad Div. I, 4. *qui a te causam regiam alio transferebant:* sic *aliunde* v. c. *pendere* h. e. *ab aliis rebus: aliunde stare* pro *ab alio* s. *alius partibus.* e) *alibi* pro *alio in loco, alia in re:* f) *alicunde* pro *ab aliquo loco:* it. *ab aliquo homine, ab aliquibus hominibus.*

7) *Ita*

7) *Ita* et *sic* saepe a) pro *hoc exitu, effectu:* v. c. Cic. Man. 3. *ita cum illo rege contenderunt imperatores, ut — non victoriam reportarent.* b) pro *hac conditione*, seq. *si* vel *ut:* Cic. ad Div. XV, 20. §. 2. c) pro *hactenus* s. *hac restrictione*, ut vulgo loquuntur; v. c. Cic. ad Div. XIII, 56, §. 2.

8) Ac sic plures particulae usurpari possunt; v. c. *saepe* pro *multis temporibus: semper* pro *omni tempore: simul* pro *eodem tempore; una* pro *eodem loco* cet.

B) In *Verbis* proprie dictis; v. c. *contemno* pro *non timeo: careo* pro *non habeo: negligo* pro *non curo: nego* pro *dico non: admoneo te* pro *facio, ut recorderis* cet.

C) *Participia* saepe pro *praepositione cum casu*, v. c. *rediens dicebat* pro *in reditu: moriens dicebat* pro *paulo ante mortem, tempore mortis, in morte; perditis rebus* pro *post iacturam rerum* cet. sic et *nomina*, v. c. *senex didicit* pro *in senectute;* sic *puer, adolescens, consul, vivus* cet. pro *in pueritia* cet.

D) In *Substantivis:*

1) Ablativus a) pro *per* cum suo casu, v. c. *virtute* pro *per virtutem*, quod aeque rectum: b) post comparativum pro *quam*, v. c. *doctior patre* pro *quam pater*, quod aeque rectum.

2) Substantivum, praepositioni *ob* s. *propter* iunctum, saepe, hac praepositione abiecta, transit in eum casum, quem Verbum proprie dictum regebat, ac tunc alterum substantivum, vel pronomen, quod hoc casu erat, abit in genitivum; v. c. pro *invidere alicui ob divitias* dicitur *invidere alicuius divitiis:* sic *ignoscere alicuius pueritiae* pro *alicui ob pueritiam:* sic millies Cicero; v. c. ad Div. IX, 14, §. 14. *gratularer felicitati tuae* pro *tibi ob felicit.*

3) Substantivum cum *ob*, s. *propter*, it. *per* coniunctum abiectis his praepositionibus abit in nominativum, ac personam subiecti induit: quae res prosopopoeiae suavi locum dat; v. c. a) *propter, ob;* pro *mihi ob pudorem meum aditus ad te interclusus fuit*, dicitur *mihi pudor*

pudor meus aditum ad te intercluſit. Millies ita Cic. v. c. ad Div. IV, 13, §. 18. b) *per:* v. c. pro *per doctrinam tuam clarus es factus* dicitur: *doctrina tua te claram reddidit:* ſic *modeſtia homini laudem parit* pro *per modeſtiam homo ſibi laudem parit.* Millies ita Cicero.

E) In *Pronominibus:*

1) *quicunque* ſ. *quiſquis* pro *omnis qui: quodcunque, quidquid, quaecunque* pro *omne quod, omnia quae;* v. c. pro *omnes eos amo, quos tu amas,* dicitur: *quoſcunque tu amas, eos amo:* ſic *quaecunque dices, ea mihi placebunt,* ſ. *quidquid dices, id* cet. pro *omnia, quae dices, mihi placebunt.*

2) *hic* et *iſte: Hic* a) pro *qui hic eſt, qui hic ſedet:* ſic ſaepe Cicero in Orationibus: b) pro *qui nunc* ſ. *noſtra aetate vivit:* ſic Cic. Off. III, 16. *huius noſtri Catonis pater. Iſte* in epiſt. Cic. ſaepe pro *qui iſtic eſt* h. e. *in ea regione, ubi degit is, ad quem ſcribitur;* v. c. ad Div. IX, 17. in. *de iſtis municipiis* cet.

3) *qui, quae, quod,* ſaepe ponitur a) pro *ut ego, ut tu, ut is* cet. v. c. *dignus ſum, qui amer, quem ames, cui faveas, cuius felicitati proſpicias* cet. pro *ut ego, ut me, ut mihi, ut meae* cet. ſic *dignus es, qui ameris, quem amem, cui faveam, cuius libros legam:* pro *ut tu, ut te* cet. Sic *digni ſumus, qui amemur, quos ametis, quibus faveatis, quorum felicitati proſpiciatis* cet. ſic *digni eſtis, qui amemini, quos amemus* cet. Sic ſemper dicendum, niſi iam *qui* praeceſſit: tum *ut* ſervandum; v. c. *multos vidi, qui digni erant, ut amarentur,* ſ. *qui ut amarentur, digni erant.* Sic *miſit homines, qui illum adducerent* pro *ut ii* cet. ſic *miſit mihi librum, quem legerem* pro *ut eum legerem:* ſic dici poteſt *nemini concedo, qui te magis amet* pro *ut te* cet.: *nemo eſt tam adflictus, qui non poſſit* cet. pro *ut non* cet. ſed hic *ut* aeque rectum. In primis not. *qui* pro *ut is,* praecedente *is* i. e. *talis;* v. c. *tu es ea doctrina, qua ſi ego eſſem, felicem me praeditarem* pro *tu es tali doctrina, ut, ſi ego tali eſſem, felicem me* cet. ſic ſaepe Cicero. Eodem modo *quantus, qualis* cet. uſurpatur: v. c. Cic. ad Div. IX, 14, §. 6. *gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum ſi ego — valerem, iam ſalvi eſſe poſſe-*

mus

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0244
DFG

mus pro *cum tantum vales ap. Dolabellam, ut, si ego tantum val.* cet. sic: *tu es talis, qualis si ego essem, felix mihi viderer.* b) pro *cum ego, cum tu, cum is* per omnes casus: v. c. *Pater, qui id nesciret, mirabatur*, pro *cum is id* cet. *Ego, qui id crederem, eo usi: Quis Ciceronem non legat, cuius libri tam praeclari sint? Quis virtutem oderit, qua nihil pulchrius esse constet? Nolite nobis aegre facere, quorum miseriam iam maximam esse sciatis* pro *cum nostram miseriam* cet. millies ita Cicero, Livius, Caesar. c) pro *et is, et ego, et tu* cet. pro *is vero, ego vero, tu vero*, it. *nam ego, tu, is* cet. in principio totius sententiae, praecedente alia, ad quam τὸ *qui* referatur: v. c. *Pater mortuus est. Quem cum* cet. Sic *Diu te quaesivi. Quem si invenissem* cet. saepe ita Cicero: cf. supra C. VII. S. III.

II) Saepe omittitur vocabulum, quia facile h. e. ob usum dicendi et contextus rationem intelligitur. Hic *defectus* vulgo *ellipsis* adpellatur. Exempla pauca laudabo, et nonnisi ea, quae imitari licet. Omittuntur ergo

A) *Nomina:*

1) *Homo, homines;* v. c. *omnes dicunt:* sic *aiunt, ferunt, man sagt;* sic *sunt, reperiuntur, qui dicant; fuerunt, qui dicerent:* ubi *homines* vel *aliqui* deest; sic *est, qui tecum loqui velit*; int. *homo* vel *aliquis.* Saepissime ita prisci.

2) *Aedes* s. *templum;* v. c. *ad D. Nicolai;* sic prisci; v. c. *ad Castoris* int. *aedem*, Cic. Quint. 4.

3) *Locus;* v. c. *non habeo, quo confugiam.* Sic dicendum.

4) *Tempus*, v. c. *erat, cum ita cogitabam.* Sic dicendum.

5) *Negotium* vel *aliquid;* v. c. *non habeo, quod agam, ich habe nichts zu thun;* sic *non habeo, quod edam, bibam* cet. sic *est, quod narrem, ich habe etwas zu erzählen:* sic *est, quod fleas, rideas* cet. pro *habes causam flendi* cet. sic *non est quod fleas* cet. sic semper dicendum. Pertinet huc *patris est, meum est alere liberos*, ubi intell. vel *negotium* vel *officium:* sic *hinnire est equorum* int. *negotium.*

6) *Verba;* v. c. *ut paucis dicam: quid multa?*

7) *Pars* omittitur, vel potius, quia nullus genitivus sequitur, tacite includitur in nonnullis adiectivis, v. c. *extremus, medius, primus, ultimus, intimus, summus;* v. c. *in extrema urbe* pro *in parte extrema urbis;* sic *extremo capite, libro:* sic *in medio mari, libro;* sic saepissime prisci: sic *in prima, ultima, intima provincia* i. e. *in provinciae parte prima* cet. sic *in summo monte* cet.

8) *Manus;* v. c. *dextra* scil. *manus,* Cic. Div. I, 28: sic *sinistra* vel *laeva* scil. *manus.*

B) *Pronomina* interdum omittuntur; v. c.

1) *Ego, tu, nos, vos* (nominat.) semper omitti possunt ante Verbum; v. c. *amo te:* at addi debent, ubi gravitas et oppositio postulat: v. c. *tu negas, ego aio.*

2) *Is* saepe omittitur, si intelligi potest; v. c. *dux victus est: fugientem occiderunt hostes* pro *fugientem eum:* sic *pater rogabat me, nec roganti resistere poteram,* int. *ei.* In primis *is* omittitur, si *qui* in eodem casu ad illud refertur, v. c. *laudatur, qui ita agit: errant, qui putant: laudo, quem laudas* cet.

3) *Meus, tuus, suus, noster, vester* omitti debent, quotiescunque intelligi possunt; v. c. *cum patre profectus sum, mit meinem Vater:* sic *locutus es cum sorore* omisso *tua,* si non de alius sorore intelligi potest. Sic *Cicero in Oratore dixit,* non *suo.*

C) *Verba* proprie dicta omittuntur; v. c.

1) *scito* s. *confirmo tibi,* vel simile quid, saepissime in membro consequente, praecedente vel *si* vel *quod* h. e. *quod adtinet ad id, quod;* it. *ne* cet. v. c. *quod librum tibi mitti cupis, ipse eum nondum legi* pro *scito, me ipsum nondum eum legisse: si, ubi pater sit, scire vis, Lipsiam profectus est.* Sic millies Cicero.

2) *dicere* saepe omittitur in narrationibus, si e praecedentibus intelligi potest; v. c. Liv. I, 9. in. *Tum — Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiumque novo populo peterent; urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci;* ubi post *peterent* intell. *et dicerent,* unde pendeat *urbes — nasci.* Ibid. 27. *Equitem — redire in proelium iubet; nihil trepidatione opus esse,* int. *et dicere.*

3) *In-*

3) *Infinitivus* omittitur, ubi facile intelligitur; v. c. *non tantum efficere possum, quantum tu potes* int. *efficere.*

4) *Facere* omittitur saepe in hac forma: *nihil aliud quam*; v. c. *nihil aliud quam flevit, risit* pro *nihil aliud fecit, quam ut fleret* cet. Sic Livius et Suetonius saepe. In quibus formulis *nihil aliud quam* est i. q. *tantummodo, nonnisi*, nec fere de ellipsi Verbi *facere* cogitare, saltem non ubique, licet.

D) *Adverbia* nonnulla omitti solent; v. c.

1) *Scilicet* (si quidem adverbium est); *nempe*, ad explicationem praecedentis rei, per se intelligendae, non adhiberi debet, ut in vernacula *nämlich*; v. c. *Ich weiß, was du willst, nämlich, daß ich dich lieben soll, Scio, quid velis, ut te amem*, sic semper prisci. Peccant ergo, qui addunt, nisi forte in libris dogmaticis interdum concedi possit.

2) *Non* omitti potest a) post *non modo, non solum*, si *ne quidem* sequitur; v. c. *hic homo non modo scribere, sed ne legere quidem didicit*; pro *non modo non*: sic frequenter prisci. Occurrit tamen etiam apud Ciceronem *non modo non, non modo nullus, non solum non* sequente *ne quidem*; b) post *haud scio, an* s. *nescio, an*; v. c. *Cicero fuit orator magnus et haud scio an maximus* pro *annon maximus, ob nicht der größte*, i. e. *und meines Bedünkens der Größte*: est litotes: sed ad verba explicanda: inest enim dubitatio modesta: neque ergo haec formula simpliciter adfirmat, ut alii putant: quis v. c. dicat: *nescio, an deus sit maior omnibus regibus* pro *certo scio* cet. — Occurrit et *dubito an*, pro *annon*, Nep. Thras. 1. in. *dubito, an hunc primum ponam.* Ceterum prisci quoque *haud scio an* s. *nescio an* proprie usurpant i. e. ut particula *non* minime intelligatur, v. c. Nep. Timol. 1. *Namque huic contigit, quod nescio an ulli* cet. *wovon ich nicht weiß, obs jemanden geglückt sey*, s. *was meines Wissens niemand geglückt ist.* Cicero etiam pro *haud scio an ulli* dixit *haud scio an nemini*, v. c. ad Div. IX, 14. §. 13. *Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini* cet. Vnde patet *haud scio an* fuisse formulam respondentem nostro *meines Wissens*: et *haud scio an* pro *annon* proprie vitiosum esse, sed per usum dicendi excusari.

3) *Vtrum* s. *ne* enclit. omittitur saepe, sequente *an*, v. c. *nescio, scribam an legam*, pro *utrum scribam* s. *scribamne:* sic et in interrogatione: *Vis legere an scribere?* sic saepe prisci.

4) *Vt, wie*, saepe abiicitur, ita, ut vel nihil in constructione mutetur, vel accusativus cum infin. sequatur; v. c. *pater, puto, doctus est*, et *patrem doctum esse puto* pro *pater, ut puto, doctus est;* sic nostri: *der Vater, glaub ich, ist gelehrt:* sic *te illud feciſſe probe scio* pro *tu illud feciſti, ut probe scio.* Hoc imitandum est valde, in primis si *qui quae quod* in accusativo sic ponitur sequente infinitivo; v. c. *Cicero interfectus est, quem magnum oratorem fuisse constat* pro *qui, ut constat, fuit* cet. Sic *gaudeo patrem tuum adhuc vivere, quem valde tibi profuturum esse certo scio, credo* cet. Possunt et haec exempla explicari per *de quo eum*, hinc et haec tria verba in *quem* mutari; v. c. *pater, quem audiveram mortuum esse, vivit adhuc* pro *de quo audiveram eum* cet. sic *libri, quos credebam mihi surreptos esse, reperti sunt* pro *de quibus credebam eos* cet. Sic semper prisci.

5) *Quam* post comparativos, et sequente Ablativo, quod notum, et non sequente, v. c. post *plus, minus, amplius*, it. *maior, minor, longius* cet. v. c. *plus annum, über ein Jahr*, Cic.: *plus quinque millia caesi*, Liv.: *amplius sunt sex menses*, Cic.: v. *die gröſsere Sprachlehre* de Ablat. post Adiect. p. 591 seq. Edit. tertiae.

E) *Praepositiones* nonnullae saepe omitti possunt, v. c. 1) *ad:* v. c. *summum, höchſtens, aufs höchſte* pro *ad summum; minimum, aufs wenigſte.* Sic *adire patrem* cet. 2) *propter;* v. c. *quid est, quod fleas: non est, quod rideas, fleas* cet. sic semper dicendum. 3) *per*, v. c. *tres menses ibi fui* pro *per tres* cet. quod aeque rectum: 4) *ex*, v. c. *urbe exire, eiicere:* 5) *in*, v. c. *erudire artibus:* sic *tertio capite, libro:* sic *hesterna nocte, his diebus* cet. omninoque in nominibus tempus designantibus, v. c. *mensis* cet. si adiectivum vel pronomen additur, semper *in* abiici debet: 6) *a*, v. c. *liberare malo* pro *a malo*, quod aeque rectum: sic *abstinere rebus* et *a rebus:* 7) *de*, v. c. *meo consilio, auf mein*

mein Anrathen, *mea ſententia:* 8) *cum*, v. c. *ſummo ſtudio*, *ſumma cupiditate* cet. praetereo nimis notas ellipſes, v. c. *Romam ire*, *Athenis* cet.

F) *Coniunctiones* nonnullae ſaepe omittuntur; v. c.

1) *ut* a) poſt verba rogandi: in primis poſt *velim;* v. c. *velim credas*, *dicas:* ſic ſemper fere priſci. b) poſt *neceſſe eſt*, *oportet;* v. c. *oportet diſcas: homo moriatur neceſſe eſt;* hic *ut* ſemper omitti poteſt.

2) *ne* poſt *cave;* v. c. *cave dicas:* ſic ſaepiſſime priſci.

3) In oppoſitionibus, ubi vernacula *und* vel *aber* addere ſolet, ſemper fere *et* vel *vero* ſ. *autem* omitti debet; v. c. *du biſt reich*, *ich aber arm*, ſ. *und ich arm*, *tu es dives*, *ego pauper*, non: *ego vero*, *et ego:* ſic *Tu adſirmas*, *ego nego*, *ich aber ſage nein.* Sic ſemper fere priſci: rarius hi addunt *vero*, *autem.*

4) *et*, ſ. *que*, *ac*, *atque* omittitur ſaepe inter duo, ſaepius inter tria vel plura vocabula et inter duas pluresve enuntiationes, ob celeritatem dicendi, plerumque tamen ob gravitatem; v. c. *virtutem*, *doctrinam amo: vitium*, *inſcitiam odi:* Vocant Rhetores *aſyndeta* h. e. *membra non vincta* ſ. *carentia copula.*

Hactenus de ellipſi uſitata. Sunt vero etiam rariores ellipſes, quibus abſtinendum eſt; v. c. Cic. Man. 12. *Sardiniam venit:* Sic interdum *magis*, *potius* ſequente *quam* deeſt ad rationem graecam. Sic *cum*, licet comitatum indicet, omittitur ap. Livium, Caeſarem, Nepotem; idque crebro; v. c. Caeſ. B. G. II, 19. in. *ſubſequebatur omnibus copiis.* Attamen nonniſi fere de *exercitu* priſcos ita loqui memini.

SECT. II.

De brevitate dicendi in enuntiationibus.

Brevitas dicendi in enuntiationibus cernitur in eo, ut vel uno vocabulo aut duobus, tota enuntiatio exprimatur, vel una enuntiatio omittatur, quia e contextu facile intelligitur, aut alia enuntiatione incluſa tecte eſt.

1) *Saepe uno vocabulo, vel summum duobus, tota enuntiatio exprimitur, atque ita una enuntiatio pro duabus* ponitur; v. c.

1) *At* in obiectionibus saepe usurpatur, pro: *possit aliquis dicere, obiicere;* v. c. *At difficile est* pro *dici vero potest, obiici vero potest, id esse difficile:* sic Cic. saepe, v. c. Phil. II, 9. *at ego suasi:* it. *At enim* pro *At,* Cic. Rosc. A. 16. in.

2) *Quod* pro *quod attinet ad id, quod* dici potest: v. c. *quod mihi scripsisti, te mox venturum, fateor* cet. *Quod nonnulli de ea re dubitant* cet. sic Cicero millies, v. c. ad Div. III, 4. §. 7. *Quod scribis* cet. Sic et nostri *Daß* usurpant.

3) *Ita* cum coniunctivo saepe est formula iurandi, sequente *ut* cum coniunctivo, si est optantis, vel cum indicativo, si est tantum confirmantis; v. c. *Ita me deus adiuvet, ut tu diu vivas, so wahr mir Gott helfen möge,* cet. pro *quam verum est me optare, ut deus me adiuvet, tam verum etiam est me optare, ut diu vivas;* sic in adfirmatione: *Ita me deus adiuvet, ut nihil praeclarius est virtute* pro *Quam verum est, me optare, ut deus me adiuvet, tam verum est, virtute nihil esse praestantius.* Sic saepe prisci: it. sine *ut,* v. c. Cic. Att. I, 16. *ita me dii iuvent!* Terent. Eun. III, 2, 21. *Ita me dii ament, honestus est.*

4) *Quicunque, quodcunque, quaecunque,* et *quisquis, quidquid* usurpari debent pro vernaculo: *wer es auch sey, was es auch sey, es sey wer es wolle, was es wolle:* v. c. *Hic nunquam illud credet, quisquis dicat, es mag es sagen wer es auch wolle:* sic *quidquid dicas* s. *quaecunque dicas, du magst sagen, was du willst:* sic *quoscunque libros legeris* cet. Sic semper prisci. Sic et *quantuscunque, qualiscunque, quotcunque;* v. c. *quantuscunque est homo, tamen est minor deo, der Mensch mag so groß seyn wie er wolle* cet. *Qualiscunque res est, die Sache mag beschaffen seyn wie sie will* cet.

5) *Participia* valde serviunt brevitati, et propter hanc solam causam usurpanda sunt: quo pertinent nonnulla substantiva et adiectiva, temporis notionem habentia; v. c. *moriens dicebat, morientem vidi* i. e. *cum moriebatur: mortuus* i. e. *postquam mortuus est* s. *post mortem*

tem cet. *Cicero hoc fecit consul* i. e. *cum consul erat:* sic *Consule Cicerone hoc factum est.*

6) *Vtinam* pro *quantopere optandum est, ut;* v. c. *utinam deus omnibus cupiditatem virtutis iniiciat! Wie sehr ist zu wünschen, daß Gott* cet. sic fere semper prisci: sic tamen et *O! si* usurpari potest.

7) Saepe enuntiationem uno vocabulo exprimere licet; v. c. *ignovi tuae adolescentiae* pro *tibi, quod adolescens adhuc eras: laudant omnes patris sapientiam* pro *patrem quia sapiens est: gratulor tuae eruditioni* cet.

8) Pro: *es tali vultu, quali pater tuus erat* dici potest: *tu es similis patri;* sic: *es similis patris* pro *es eodem animo, quo pater.*

9) Pro *non tantum dicere possum, quantum vos audire cupitis* dici potest: *mea oratio vestrae cupiditati non respondet* s. *non satisfacere potest;* sic: *non semper spei nostrae eventus respondet* pro *non semper id evenit, quod speramus;* sic Cic. Phil. II, 23. *etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae.*

10) Pro *ut pauper moritur, ita etiam diviti moriendum est,* dici potest: *ut pauperi ita diviti moriendum est: mors et pauperem et divitem opprimit* cet.

11) Pro *hic putat, omnes esse ipso inferiores* s. *se omnibus esse superiorem* dici potest: *hic omnes prae se contemnit, se omnibus praefert, sibi omnes postponit* cet.

12) Pro *hic homo primus fuit, qui hoc dixit, fecit* cet. vel *diceret, faceret* prisci libenter dicunt: *hic homo primus hoc dixit, fecit:* sic *primus vidi, fugi* cet. pro *primus eram, qui* cet. sic *Vltimus, solus, unus abiit;* sic *mihi uni* s. *soli non dixisti* pro *ego unus sum, cui non dixisti:* sic *te solo utor:* huc pertinent ordinalia: v. c. *tertiam ad te epistolam nunc scribo* pro *haec est tertia* cet. Sic *Tertium iam diem te exspecto* cet.

13) Pro *alius hoc alius illud dicit, facit* cet. dici potest: *alius aliud dicit* cet. sic *alius alium sequitur* pro *alius hunc, alius illum* cet. Sic *alius alio modo discit* pro *alius hoc, alius alio modo:* sic *aliud alii dedit* pro *alii hoc, alii illud:* sic Cic. Inv. II, 1. extr. sic *alia in alio loco intuebantur* pro *alia in hoc, alia in illo loco:* sic *alius ex alia parte* pro *alius ex hac, alius ex illa:* sic *alius alio* s. *aliorsum ibat* pro *alius huc, alius illuc:* sic Cic. Div. I, 34. *simia — aliud alio dissipavit.* Sic *alius alibi stabat: alius aliunde veniebat:* sic *alius aliter*

aliter agit pro *alius hoc, alius illo modo:* sic et *alii aliter:* nam non differt, utrum pluralem sumas an singularem.

14) *Obtemperare alicui* pro *facere ea, quae aliquis fieri iussit, voluit:* sic *obtemperare dolori suo,* Cic. Man. 19. in.

15) *Falso, recte, male, non* s. *nec iniuria* cet. saepe pro enuntiatione ponuntur; v. c. *Falso* pro *hoc falsum erat: Male* pro *male in ea re egit, actum est: Recte* it. *Non iniuria* pro *recte factum est:* v. c. *Frater invito patre abiit. Male.* Cic. Off. III, 18. *aliud utile — aliud honestum videri solet. Falso: nam* cet. Nep. Alc. 9. in. *sperans — suam fortunam occuli posse. Falso: nam* cet. h. e. *In eo fallebatur.* Cic. ad Qu. F. III, 8. *hoc horret Milo: nec iniuria, und hierin thut er nicht Unrecht.*

16) Omnis metaphora est brevitas quaedam, similitudinem rei, quae tota enuntiatione exprimi poterat, uno vocabulo exprimens: qua re una enuntiatio exsistit pro duabus: v. c. *pulvis et umbra sumus* s. *vita nostra pulvis et umbra est* pro *vita nostra tam cito evanescit, quam pulvis et umbra evanescere solet,* s. *quemadmodum pulvis et umbra* cet. *ita et vita nostra* cet. s. *vita nostra est instar pulveris et umbrae, quae cito evanescit:* sic *sapientia est fons felicitatis* pro *ut e fonte aqua perennis provenit, sic e sapientia oritur felicitas:* sic *sapientiae radix amara, fructus dulcis* cet. cf. supra C. II. S. XII. de *metaphora.*

II) *Saepe una enuntiatio plane omitti potest ac debet:*

1) Non omnes tres syllogismi enuntiationes recitari, sed unam h. e. eam, quae intelligi possit, omitti debere notum est: v. c. *quisquis magnas res gessit, nomen suum immortale reddit: quis igitur miratur, Caesarem nominis immortalitatem consecutum?* cet

2) *Metonymia* orationem reddit brevem, ponens consequentem enuntiationem pro antecedente: tum enim antecedens tecte inclusa est, intelligique debet. Nam plane illam cum hac commutari, ita, ut utraque sit eadem, credi non debet: v. c. *vir, fortissime pugnans, tandem cecidit* pro *occisus est et cecidit* sc. humi:

mi: sed *occisum esse* intelligitur e τῷ *cecidit*. Sic *homo sepultus nocere nemini potest*, ubi notio *mortis* simul inest.

3) In narrationibus omittuntur enuntiationes, quae facile intelligi possunt; v. c. *Domum ego reversus volebam amicum videre, credens eum se melius habere. At domum eius ingressus audio, funus eius mox elatum iri.* Hic deest v. c. *loquor cum eius servis* vel *ancillis; audio eum mortuum esse.* Sed quis hoc non intelligit? Sic Cic. Verr. IV, 40. in. *vix erat hoc plane imperatum, cum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres:* hic deest: *deiiciebatur de porticu;* nam eum de porticu deiici iusserat Verres. Ib. V, 45. *sex lictores eum circumsistunt —: caedunt acerrime virgis;* hic deest: *adcedunt, expediunt virgas:* Sall. Iug. 12. extr. *cum Hiempsal interim reperitur, occultans sese — quo — perfugerat. Numidae caput eius, ut iussi erant, ad Iugurtham referunt:* hic deest *occidunt eum, caput abscidunt et hoc, ut iussi* cet. sic poetae, v. c. Virg. Aen. I, 689. (693.) *Paret Amor* cet. Ib. IV, 133. *Reginam* cet. in primis ibid. 582. *Litora deserere: latet sub classibus aequor: Adnixi torquent spumas* cet. it. II, 426. *Diis aliter visum.*

4) Saepe ante *enim* vel etiam *nam* enuntiatio ad hanc particulam respiciens omittitur: hoc fieri solet maxime ab iis, qui commoto animo loquuntur; v. c. Cic. ad Div. I, 8. §. 10. *neque a me ulla res — negligetur. Neque enim verebor, ne sim ei* (i. e. Pompeio) *molestus, cui* cet. Ante *Neque enim* deest: *Colloquar itaque cum Pompeio de te.* Sic ibid. V, 12, §. 21. *Neque enim Alexander* cet. in primis IX, 14. §. 14. *sed contigit magnitudine tum animi tum ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius:* ubi ante *Legi* intell. *quod e concione tua elucet.* Cic. Manil. 13. extr. ubi Pompeius laudatur, quod provincialibus pepercit: *Non modo, ut sumtum faciat in milites, nemini* (provincialium) *vis infertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hyemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum — tectis esse voluerunt:* ubi deest: *Et hac in re recte* s. *e legum praescripto egit.* cf. Terent. And. III, 2, 22. *Certe enim scio:* Hor. Sat. II, 5, 79. *Venit enim* cet. Sic et in Graecis est, ubi saepe ante γὰρ enuntiatio de-

est. An vero in Graecis, ut praeeunte Clarkio multi hodie putant, et in latinis scriptoribus ubique talis enuntiatio intelligenda sit, non ausim definire, praesertim cum saepe incertum sit, qualem intelligere debeamus, v. c. Liv. IV, 3. *Quid enim de T. Tatio Sabino dicam* cet. Sic *At enim* in obiectionibus: v. c. Cic. Rosc. Am. 16. in. Quid hic intelligetur? Optimum forsan est, dicere, saepe *enim* et *nam* vel redundare vel per *vero* explicandum esse.

Ceterum cavendum est, ne studio brevitatis in ambiguitatis et obscuritatis vitium incidamus. Debet et brevitas modum servare. Peccavit hic e priscis in primis Plinius in Hist. nat. v. c. VII, 51. ubi inter signa morborum letalia refertur *praefandi humoris e corpore effluvium.* Modeste quidem *praefandus humor* dicitur hic pro *excrementis:* at quam breviter pro *humor, cui praefari solemus honorem* h. e. *cui solemus, si eum nominare cogimur, hanc formulam praemittere: sit venia verbo.*

FINIS PARTIS PRIORIS.

PARS

PARS POSTERIOR

DE

TRIBVS ELOQVENTIAE ET STYLI VIRTVTIBVS PRIMARIIS PERSPICVITATE, GRAVITATE

AC

SVAVITATE.

Tres sunt, ut eloquentiae, ita styli bene latini virtutes primariae, *perspicuitas*, *gravitas* et *suavitas dicendi*: illa rem dilucidam reddit; ista efficit, ut res magna sentiatur atque ita lector auditorque ad eam amandam, aversandam, admirandam cet. incitetur; haec delectat lectorisque et auditoris adtentionem conciliat. *Copia dicendi*, *brevitas*, *ornatus*, et si quae aliae numerantur virtutes eloquentiae, sunt illis tribus subiectae, ipsisque serviunt.

CAP. I.

DE PERSPICVITATE DICENDI.

SECT. I.

Perspicuitas est summe necessaria.

Perspicuitas dicendi est haud dubie princeps virtus eloquentiae et tum scribenti tum dicenti tam necessaria, ut sine ea garriat tantum, omnisque suavitas et gravitas necessario pereat. Eius necessitas patet *primum* per se. Nam cur loquimur et scribimus? nonne ut intelligamur? Et quomodo potes *persuadere* lectori et

et auditori, quomodo ei *placere*, quomodo eius animum *movere*, nisi *intelligare*? *Deinde* eam postulat *humanitas*, cuius est hominibus aditum ad nos quam facillimum reddere. Qui nos legit auditve, est similis ei, qui ad nos venit colloquendi causa. Nonne tam humani esse debemus, ut, quae legat audiatve, etiam mox intelligat?

SECT. II.

Quid sit perspicuitas dicendi, adcurate explicatur.

Perspicuitas dicendi ac *scribendi* cernitur in eo, *si quis ita loquitur ac scribit, ut res, quam tractat, facile intelligatur ab iis, quorum gratia dicit vel scribit.* Quatuor itaque requiruntur: 1) *res debet intelligi* h. e. auditor lectorve debet in audiendis legendisve alicuius verbis idem cogitare, quod hic, dum loquebatur vel scribebat, cogitabat. 2) *res debet plane intelligi* h. e. auditor lectorve videre debet non modo, rem veram esse, sed etiam, cur vera sit credique debeat; id quod argumentis, exemplis cet. fieri solet. Neque enim perspicuitas ad sola *verba*, sed et ad *res* pertinet. 3) *res debet facile intelligi* h. e. ut non opus sit sensum verborum operose investigare vel coniectura adsequi: 4) *res non ab omnibus promiscue intelligatur opus est, sed ab iis solis, quorum gratia scribimus vel loquimur.* Auditorum et lectorum semper habenda est ratio. Qui v. c. nova inventa Mathematica, criticas animadversiones cet. scribit, is si a solis *Mathematicis*, *Criticis* cet. facile intelligitur, perspicue scripsisse censendus est: his enim solis scripserat: neque, quia imperiti eum non intelligunt, obscuritatis crimen subire debet: his enim non scripsit. At qui omnibus promiscue scribit, is, si ab indoctis atque adeo plebe non intelligitur, non

scripsit

scripsit perspicue. Hanc in classem refero eos, qui 1) fabulas ad corrigendos homines scribunt; 2) capita doctrinae morum populari modo tractant, vel vitia hominum universorum perstringunt, vel de disciplina domestica, de puerorum institutione cet. scribunt; 3) orationes sacras edunt; 4) capita disciplinae artisve alicuius indoctis explicant. Hinc *Tissotus* et *Unzerus*, cum professi sint, se non medicis, sed artis medendi imperitis scripsisse, peccasse videntur, quia paucula tantum in istis libris ab imperitis, pleraque nonnisi a medico intelliguntur. Omnino omnis perspicuitas est res difficilis: at maioris artis est ita scribere, ut ab indoctis intelligare, quam ita, ut a doctis.

SECT. III.

De fontibus perspicuitatis remotioribus s. *generalibus.*

Fontes perspicuitatis remotiores sunt hi:

I) *Ingenium bonum* h. e. *totus complexus egregiarum virtutum* s. *facultatum mentis*, *der gute Kopf*, *das gute Genie*. Constat illud duabus virtutibus primariis: 1) *phantasia praeclara et feraci*, qua tum ideae priscae facile reperiuntur, tum novae facile inveniuntur, vel sponte ac temere vel in primis similitudine aut coniunctione notionum ansam praebente: b) *praeclaro subactoque iudicio* h. e. facultate facile animadvertendi, quae ideae sibimet conveniant ac coniungi debeant, quae non: quae facultas oritur maxime ope adtentionis bene cultae et exercitatae. Vtraque facultas, phantasia et iudicium, coniuncta debet in eo esse, cui ingenium bonum tribuere volumus. Phantasia, sine qua iudicium esse nequit, colligit et suppeditat, more condi promi variarum idearum multitudinem, quas deinde iudicium apte digerit et coniungit. Quomodo

iudicium

iudicium eas digerere possit, nisi ipsae iam in mente adsint? Errant ergo, qui aliquem aiunt posse ingenio carere et tamen praeclaro iudicio instructum esse. Phantasia est basis iudicii h. e. suppeditat menti facultatem materiamque iudicandi. Sed quod non omnes, phantasia praeclara praediti, iudicio subtili instructi sunt, huius rei culpa non est in eorum mente, sed vel in parentibus et magistris, qui illorum mentem non mature ad causas adtendere iusserunt atque ita acuere neglexerunt, vel in ipsis, v. c. in negligentia et in animi commotionum fervore. Nam animi commotiones, v. c. nimia cupiditas pecuniae, ultionis cet. impedit hominem, quo minus rerum seriem perspiciat atque ipsas recte iudicet. Qui vero alicui, phantasia praeclara carenti, iudicium praeclarum tribuunt, forsan viderunt aliquando aliquem, praeclara phantasia carentem, *iudicia aliquot recta ac praeclara proferre:* at propterea *iudicavit?* Imo aliorum iudicia repetiit.

II) *Doctrina solida et subtilis*, quae cernitur in eo, ut singularum rerum, quas noris, causas iustas, imo, si fieri potest, harum causarum causas scias. Theologus v. c. instructus est doctrina solida, si novit non modo, quibus locis librorum sacrorum capita Theologiae nitantur, sed etiam, quomodo ex istis locis recte demonstrari possint. Sic Philologus, Iureconsultus cet. Nam quod in rebus sensuum imperio obnoxiis sunt signa externa, idem sunt in rebus sensus non ferientibus argumenta s. causae: hae enim sunt signa veritatis. Logici docent, ideam distinctam dici eam, quando signa obiecti noris, et magis distinctam s. adaequatam (ut vulgo vocant) fieri, si signorum signa memorare queas. Iam qui rerum, de quibus dicere ac scribere parat, causas, imo causarum causas novit, ut tali modo mens eius nonnisi notionibus distinctis et adae-

quatis,

quatis, ut Logici adpellant, utatur atque ita in clarissima luce versetur, nonne is, quae distincte cogitat, ea etiam distincte et perspicue dicere et scribere possit? Nihil facilius est: debet enim, quae cogitat, duntaxat eloqui vel calamo excipere. Nec tamen nego, interdum adcidere, ut homo rem recte callens eam obscuris verbis tradat. Sed hoc saepe e superbia nascitur, qua inflatus artificium scribendi ostentare cupit et in obscuritate verborum laudem ponit. Hinc

III) *Modestiam* addo, quae nos monere potest, ut laudem non ponamus in iis, quae aliis displicent. Nemini placet obscuritas in dicendo ac scribendo.

IV) *Cognitio hominum* h. e. quando novimus, quid homines intelligant, quid non: ut ad hanc intelligentiam nos possimus adcommodare. Addiscitur a) ex usu hominum, si crebro cum iis more Socratis disputes, te inscium simules cet. b) ex te ipso, si crebro te interroges, quomodo hanc illamve rem explicare velis, si forte hoc facere iubeare cet. c) ex institutione adolescentum diligenti.

V) *Linguae*, qua in scribendo et dicendo uteris, *cognitio adcurata.* In quaque lingua sunt varii modi notiones exprimendi, sed est tamen alius alio aptior: insunt vocabula rara, ambigua, perspicua, propria, constructiones et connexiones ambiguae, faciles, perspicuae cet. Has res omnes qui nescit, delectum habere nequit.

VI) *Prudentia.* Ea ab inepta placendi cupiditate et adfectationis studio, matre obscuritatis, absterret, docens, omnem verborum ornatum sine sententia pulchra esse puerilem: sapientem magis curare res quam verba: stultum esse in durioribus translationibus, traiectionibus cet. laudem quaerere.

VII)

VII) Sunt et alii fontes, v. c. *ingenium hilare* proclivius eſt ad facilitatem locutionis et perſpicuitatem, quam triſte: ac ſaepe illud pendet a liberaliori educatione, a fortunis cet. Aliud eſt ingenium in egeſtate, aliud in divitiis educati. Magni quoque refert, quo *magiſtro* uſus ſis: ſi triſtem obſcuritatisque ſtudioſum aut hilarem et perſpicuitatis amantem nactus es, facile te ad eius ſimilitudinem conformabis. It. non parum refert, quales libros primum legeris, utrum obſcure an perſpicue ſcriptos.

SECT. IV.

De fontibus propioribus perſpicuitatis in univerſum.

Fontes propiores pertinent vel ad *res* ſ. *notiones* vel ad *verba*. Fruſtra de verborum perſpicuitate laboras, niſi ante notiones perſpicue h. e. omnibus ex partibus et adtributis, atque, ut loquuntur, circumſtantiis cogitas. Has partes, haec adtributa, has circumſtantias verbis recte exprimere eſt perſpicue loqui ac ſcribere.

SECT. V.

A) *De fontibus perſpicuitatis propioribus in explicandis rebus ſ. notionibus.*

Hi cernuntur in additionibus novarum notionum, per quas illae res ſ. notiones certiores magisque definitae reddantur. Addere igitur debemus *cauſas* ſ. *argumenta*, *exempla*, *teſtimonia*, *conditionem*, *modum*, *inſtrumentum*, quo res fit; it. *tempus* et *locum:* utendum eſt ſaepe *periphraſi*, *repetitione idearum*, *brevitate* cet.

SECT.

SECT. VI.

1) *De adiectione causarum.*

Primus ac praecipuus fons est *adiectio causarum* s. *argumentorum*. *Causa* s. *argumentum* est enuntiatio, cuius veritate nititur veritas alius enuntiationis, s. brevius: est *signum veritatis*. Possint inter eas quoque referri *exempla* et *testimonia*: sed de his separatim agetur. *Causae* igitur addantur

I) In primis *thesi* s. *enuntiationi generali*, quam proprie tractas. Hic quatuor sunt tenenda:

1) Causae debent esse satis *firmae* et *graves* h. e. tales, ut propter eas thesis ipsa vera esse atque res amanda, aversanda cet. videatur. Sed hic auditorum et lectorum ratio habenda, prout eorum est intelligentia et gustus. Orator vel scriptor debet antea, quam causas in publicum effert, videre, an ipse illis moveatur h. e. ob eas rem pro vera habeat. Orator frigidus licet valde clamet, tamen nihil efficit. Non clamor, sed pondus argumentorum efficit, ut prudentes rem credant.

2) Causae debent esse satis *multae*, si fieri potest: at a) saepe non omnes recensere opus est: b) omnes adlatae causae debent esse certae, firmae et graves. Leves et incertae sunt omittendae. Nec credendum est rhetoribus, qui leves causas immiscri patiuntur, easque, ut milites timidos, fortibus causis praeponi vel inter has interseri iubent. Ita egerunt prisci in orationibus habitis coram plebe, quae argumenta numerare, non ponderare solebat, ad illam opprimendam, inflammandam cet. At nos hodie vix decet id imitari. Qui de re vera scribit et loquitur, ei non desunt argumenta certa: ac praestat unum, idque firmum adferre, quam centum levia.

3) Causae debent *recte tractari* h. e. ita tradi, ut manifesto adpareat, quomodo propter eas thesis ipsa certa sit. Tria hic requiruntur: 1) causa debet, si opus est, explicari: sed haec explicatio brevis sit necesse est, ne confusio oriatur; 2) debet ostendi, causam istam esse firmam et certam, adiicienda alia causa non minus

firma: haec addita cauſa itidem, ſi opus eſt, explicari, illuſtrari aliaque nova cauſa confirmari debet: inter quas additas cauſas pertinent quoque exempla et teſtimonia: v. c. Thema: *mors non nimis eſt pertimeſcenda:* hic ſunt duae cauſae, a) *quia eſt via ad felicitatem aeternam;* huic cauſae addo hanc: *quia hoc literae ſacrae docent:* tum laudo aliquot loca: b) *quia omnibus inſtat:* hoc docet me tum *ſtructura corporis* tum *experientia:* en duplicem cauſam. 3) cauſa debet cum theſi coniungi h. e. debet doceri, quomodo ex iſta cauſa ſequatur, theſin eſſe certam: id quod fit per concluſionem, v. c. Thema: *Mors non nimis eſt pertimeſcenda.* Cur? 1) prior cauſa: *nam omnibus inſtat:* cur? iterum confirmatur duabus cauſis, quia *et experientia hoc docet, et ſtructura corporis monet:* Hinc concludo: *ſi omnibus mors inſtat, cur eam nimis pertimeſco?* Cur? ſ. quomodo hoc ſequitur? *quis enim ſapiens id nimiopere fugiat et timeat, quod effugere non poteſt?* 2) poſterior cauſa: *nam eſt via ad vitam aeternam:* Eſtne hoc verum? eſt, *nam libri divini hoc docent.* An hi vere loquuntur? recte. Iam concludo: *ſi mors eſt via* cet. *quis eam timeat?* Cur? ſ. quomodo hoc ſequitur? *Quis enim timeat viam, quae eum ad meliorem locum ducit?* cet. Poteſt et tanquam tertia cauſa adferri exemplum v. c. Socratis: Tum concludo: *Si alii potuerunt mortem contemnere, cur nos timeamus?* En cauſam: *Nam quod alii potuerunt, etiam nos poſſe debemus, modo velimus.*

4) Cauſae debent omni occaſione, maxime in fine repeti, ne lector auditorve eas obliviſcatur. Haec repetitio debet aliis verbis inſtitui, ne ſentiatur ab audiente ac legente. In quo artificio regnat Cicero: v. c. in Manil. vult oſtendere, vectigalia Aſiae in periculo et Pompeium ob virtutes ſingulares ſolum eſſe dignum, qui bello Mithridatico praeficiatur: hinc omni occaſione de his vectigalibus et de Pompeii virtutibus loquitur.

II) Aliis quoque enuntiationibus, niſi apertiſſimae ſunt, cauſae ubique addi debent. Cicero, ſi quem laudat, vituperat, hortatur, orat, ſi ſuadet, ſi quid pro magno, parvo habet, ſi quid optat, ſperat cet. ubique fere

fere causas addit. Versatur hac in re dupliciter, et *diserte* et *tecte:*

A) *Diserte*, per *cum*, *quia*, *quo*, *quin* (pro *quod non*), *ut*, *ne*, *nam*, *enim*, *propter*, it. *participia*, v. c. *adductus*, *motus*, *impeditus* cet. v. c. Man. 1. dicit, *se nondum pro vestris dixisse:* addit causam: *non mea me voluntas sed vitae meae rationes — prohibuerunt:* huic causae aliam subiicit: *nam omne meum tempus amicorum periculis transmisi:* quam confirmat hac causa: *nam per aetatem et ob eloquentiae defectum non ausus sum pro vestris dicere.* En ipsa verba Ciceronis: *Quamquam mihi semper — transmittendum putavi.* Ibid. 3. in. hortatur Romanos, *ut maculam, Mithridatico bello superiore conceptam, deleant:* additque causas: 1) *quia Romani laudis sint adpetentes;* 2) *quia Mithridates nondum pulsus sit:* cuius rei hanc causam addit, *quia imperatores illum nondum, satis vincere potuere:* En ipsa verba: *Et quoniam semper — reportarent.* Ad Div. I, 1. *Ego omni officio ac potius pietate erga te — mihi ipse nunquam satisfacio:* causam addit: *Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut, quoniam tu — non conquiesti, ego, quia non idem — officio, vitam mihi acerbam esse putem:* in qua duae novae causae insunt. Ibid. V, 5. in. *Etsi statueram nullas ad te literas mittere nisi commendaticias, non quo eas intelligerem satis apud te valere, sed ne — offenderem.* Et millies. De *participiis* v. P. I. c. 9. S. IV.

B) *Tecte:* idque variis modis:

1) Omittit saepe particulam causalem, si per se intelligitur; v. c. Man. 9. *Mithridates — auxiliis multorum regum et nationum iuvabatur. Hoc iam fere sic fieri solere accepimus, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes adliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt* cet. pro: *Hoc enim iam fere* cet.

2) per *qui*, *quae*, *quod* pro *nam*, *quia*, *cum*, v. c. Manil. 2. *Genus est belli eiusmodi*, *quod — vestros animos excitare — debeat: in quo agitur populi romani gloria — aguntur — vectigalia —*, *quibus amissis et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis; aguntur bona — civium*, *quibus est a vobis — consulendum.* Hic ter causam indicat: *in quo agitur* cet. *quibus amissis* cet. ac *quibus est a vobis* cet. cf. supra dicta de hoc pronomine P. I. c. 10. E. 3.

3) per *si* pro *cum*, *quia:* v. c. Manil. 6. in. *Quare si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti maiores nostri — bella gesserunt: quanto vos studio convenit* cet. et paulo post: *si ad belli utilitatem* cet. ac saepius: sic poetae, v. c. Virg. Aen. I, 607. *Dii tibi, si qua pios respectant numina* cet.

4) per *adpositionem*, ut grammatici vocant; v. c. ad Div. IV, 2. *Quid enim est, quod audeam suadere tibi, homini summa auctoritate summaque prudentia?* pro *cum sis homo* cet. Catil. III, 12. *veneramini illum Iovem, custodem huius urbis* cet. ac sic millies.

5) per *participium*, v. c. *amemus deum nobis quotidie benefacientem.* Sic millies. Not. participia *ductus*, *incitatus* cet. non huc pertinent, sed ad A.

6) Saepe et *periphrasi* includitur causa; v. c. Liv. V, 27. *Arma habemus, non adversus eam aetatem, cui etiam in captis urbibus parcitur* h. e. *pueritiam:* at inest causa: sensus enim est: *arma habemus, non adversus pueritiam: nam huic aetati etiam in captis urbibus parci solet.*

7) Enuntiationi, quae simpliciter efferri poterat, praeponitur enuntiatio causam eius recte complectens; v. c. pro *quis hoc non perspicit?* dicitur: *quis est tam rerum imperitus, ut hoc non perspiciat?* cf. de hac re P. I. c. 9. S. III. n. II.

SECT. VII.

2) *De adiectione exemplorum.*

Alter fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adiectio exemplorum.* Haec plus valent argumentis:

mentis: haec docent, rem fieri poſſe, illa, rem factam eſſe: haec, rem eſſe veri ſimilem, illa, rem eſſe veram. *Exemplum* eſt *enuntiatio* factum aliquod continens, per quod docetur, rem, quam tractas, vere in rerum natura fuiſſe; ſ. brevius: eſt *factum aliquod explicandae theſi adcommodatum.* Hic not. tria:

1) *exempla debent rei adcurate convenire;* v. c. ſi de mortis contemtu ſermo eſt, exemplo eſſe poteſt Socrates, non Cicero: hic mortem verbis, non re contemſit. Sic ſi de contemtu divitiarum ſermo eſt, exemplo eſſe poſſunt Curius, Fabricius: h. e. qui divitias conſequi poterant: non ii, qui non potuerunt, nec ii, qui, quia divites iam ſunt, divitias ſe non amare dicunt.

2) *exempla debent* eſſe *vera:* ficta parum proſunt.

3) *exempla debent recte tractari* h. e. debet effici, ut eorum vis adpareat: ergo debent a) interdum explicari, v. c. debet doceri, quo conſilio homo rem egerit: b) ſaepe argumento confirmari: v. c. ſi de contemtu divitiarum Socratis exemplum adlatum eſt, additur, v. c. *ſciebat enim, veras divitias in ſapientia cerni* cet. c) coniungi cum theſi et adiuvari argumentatione a minori ad maius cet. v. c. *Si Socrates, gentilis, mortem potuit contemnere, quanto magis nos Chriſtianos decet* cet.

SECT. VIII.

3) *De adiectione teſtimoniorum.*

Tertius fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *teſtimoniorum adiectio. Teſtimonia* 1) in rebus hiſtoricis ſunt ſumme neceſſaria et plus valent argumentis, ſi quidem proficiſcuntur ab hominibus fide dignis h. e. qui recte narrare poſſunt et volunt. 2) in aliis etiam rebus, v. c. in iudicanda rei praeſtantia, utilitate cet. proſunt, ſi a magnis viris petita ſunt: quia vulgo homines eiuſmodi teſtimoniis multum tribuunt. At cum homines magni et clariſſimi ſemper maneant

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0265
DFG

homines, eorum testimoniis non nimis confidere, nec iis ante uti debemus, quam res ipsa iam argumentis satis confirmata est. Excipienda tamen sunt testimonia librorum sacrorum, quae semper certa sunt vimque argumentorum habent.

SECT. IX.

4) *De adiectione conditionis.*

Quartus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adiectio conditionis*, quae semper addenda est, ubi de re sermo est, quae sub certa conditione fieri solet, aut certa, utilis est cet. Sic Cicero: qui non fere aliquid confirmat, pollicetur, rogat cet. nisi adiecta conditione, utens particulis *si*, *nisi*, *quoad* s. *quod* i. e. *quoad*, *quantum* cet. v. c. ad Div. XIII, 28. in. *Etsi libenter a te petere soleo, si quid opus est meorum cuipiam, tamen* cet. Tollas verba: *si quid opus* cet., ac senties Ciceronem locutum esse more plebis. Ibid. 23. §. 4. *pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis et eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, iuveris:* Praeclare et humane: duplex adest conditio, 1) *quod sine molestia* cet. 2) *si qua in re opus* cet.

SECT. X.

5) *De adiectione modi.*

Quintus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adiectio modi*, quo res facta, vel credibilis, certa sit cet. Pertinet ad subtilitatem. Hic tria monebimus:

1) Si res fit *casu* aut *necessario*, recte additur *accidit*, *contingit*, *necesse est*, it. *forte*, *necessario:* v. c. *In itinere cum essem, accidit, ut reperirem hominem* cet. vel *reperi forte hom.* pro *in itinere reperi hom.* Sic

pro

pro *qui luxuriae deditus est*, *fit pauper* dicitur: — *fiat pauper necesse est*, *fit necessario pauper*.

2) si quid *bene*, *male* cet. actum est, additur *bene*, *male*, *stulte*; v. c. pro *Pompeius*, *qui rebus multis gestis cognomen Magni adceperat*, *tandem in Aegypto periit*, dicitur: *Pomp. qui rebus multis bene gestis cogn. Magni adcep. tandem in Aeg. misere periit*, vel alio modo.

3) si quid dicimus aut narramus, hoc vel certo *scimus* vel *opinamur*, *coniicimus*, *audivimus*, *credimus* cet. Hinc notiones hunc modum definientes addendae sunt. Sic Cicero ubique fere addit *certum*, *manifestum*, *indubitatum est* cet. si de re certa sermo: it. *constat*, *perspicio*, *intelligo*, *video*, *scio*, *non nescio*, vel *scimus* cet. de minus certa *arbitror*, *puto*, *videtur mihi* cet. de incertissima *opinor*, *coniicio*, *aiunt*, *audivimus*, *rumor est* cet. v. c. Manil. 7. *nam tum*, *cum in Asia res magnas amisimus*, *scimus Romae solutione impedita fidem concidisse*. Ad Div. IV, 14, §. 8. *Si enim status erit aliquis civitatis*, *quicunque erit*, *te omnium periculorum video expertem fore*. *Nam alteros* (Caesarianos) *tibi iam placatos esse intelligo*, *alteros nunquam iratos fuisse*: recte addit *video* et *intelligo*. Ib. II, 18. §. 4. *Nocere tibi iratum neminem posse perspicio*. Manil. 9. *Hoc iam fere sic fieri solere adcepimus* cet. pro *solet*. Ad Div. VI, 4, §. 18. *Ego quae te velle*, *quaeque ad te et ad tuos pertinere arbitrabor*, *omnia studiose — curabo*. Sic *videri* millies addit: v. c. lb. V, 21, §. 15. *Ego*, *si videbitur recte fieri posse*, *ad te veniam brevi*. Sic recte dicimus: *deum esse manifestum est* pro *deus est*: *ego hoc homine*, *quia probus videtur*, *utar* pro *quia probus est*: cf. P. I. Sect. II. n. VI.

SECT. XI.

6) *De adiectione instrumenti.*

Sextus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adiectio instrumenti* h. e. rerum, per quas aliquid fit; v. c. pro *Pompeius effecit*, *ut nomen Magni*

conſequeretur, adcuratius dicis: *Pompeius multis rebus praeclare geſtis* cet. ſic *Ciceroni eloquentiae magnitudine contigit, ut ad ſummos honores perveniret* pro *Ciceroni contigit, ut* cet. Sic Cicero ubique: v. c. Mur. 11. in. de eloquentia: *Gravis — eſt et plena dignitatis dicendi facultas, — poſſe conſilio atque oratione et ſenatus et populi et eorum, qui res iudicant, mentes permovere:* recte addit *conſilio atque oratione.*

SECT. XII.

7) *De adiicienda notione temporis.*

Septimus perſpicuitatis fons propior in explicandis rebus eſt *adiectio temporis.* Pertinet ad ſubtilitatem. Adcuratius eſt dicere: *heri frater tuus apud me fuit et tres tantum horas mecum manſit*, quam: *frater tuus apud me fuit et non diu mecum manſit:* ſic: *beneficium tuum nunquam obliviſcar* pro *non.* Sic Cicero fere ubique. v. c. Manil. 3. in. *delenda vobis eſt macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta:* ibid. *qui uno die — cives rom. necandos — denotavit.* Ad Div. I, 1. in. *Ego omni officio — mihi ipſe nunquam ſatisfacio* pro *non.* cf. Sulp. ad Cic. in Epp. Cic. ad Div. IV, 12. §. 4. *poſtridie eius diei — circiter hora decima* cet.

SECT. XIII.

8) *De addenda idea loci.*

Octavus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *adiectio loci.* Sic Cicero fere ubique: vel locum ipſum memorat, vel addit *ubique, nuſquam* cet. Roſc. Am. 24. in. *ut eos agitent furiae, neque conſiſtere uſquam patiantur.* Man. 3. *qui uno die, tota Aſia, tot in civitatibus uno nuntio — cives romanos necandos denotavit.* — Add. Sulp. ad Cic. IV, 12. §. 4. *duo vulne-*

ra

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0268
DFG

ra adcepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem.

SECT. XIV.

9) *De adiectione effectus* s. *consequentiae.*

Nonus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adiectio effectus* rei et eorum, quae inde sequuntur vel tantum concludi possunt. Cicero nec hanc negligit; v. c. ad Div. V, 12. §. 16. de Epaminonda: *qui tum denique sibi evelli iubet spiculum, postquam ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum:* hic poterat desinere, sed addit: *ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur.* Man. 1. extr. *huius autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est.* Ib. 6. *Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit:* hic desinere poterat, sed addit: *Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest.* Sic ib. 9. *Itaque tantum victus* cet. ib. 13. med. *Itaque propter hanc avar.* cet. Potest et *effectus* recte adiici, v. c. pro *deus est potentissimus* dicitur: *est tam potens, ut nihil sit, quod efficere non possit:* vid. supra in *Copia dicendi* P. I. c. 9. Potest et effectus et consecutionis notio uno vocabulo exprimi, v. c. *victor discessit* pro *fuit: omnia prostrata iacent: canes rupti periere* Phaed. I, 20, 6. Ovid. Met. I, 119. 120. *aer fervoribus ustus canduit et ventis glacies adstricta pependit.*

SECT. XV.

10) *De periphrasi.*

Decimus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *periphrasis* s. *circumscriptio rei.* Ea est du-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0269
DFG

plex: a) *una*, quando notio ad suum genus reducitur: haec servit tegendae notioni; qualis est illa Cic. Mil. 10. *fecerunt id servi Milonis, quod* cet. pro *ulti sunt dominum occidendo Clodio:* haec non huc pertinet: b) *altera* est, quando notio s. res dissolvitur in suas partes et adtributa: quo pertinent omnes definitiones ac descriptiones; v. c. pro *quis deum non amet?* dicitur *quis eum non amet, a quo creatus est, et quotidie innumeris beneficiis adficitur?* sic pro *mirum est, Christianos non legere libros sacros* dicitur: *quis non miretur, libros sacros non legi ab iis, qui illorum auctoritate niti dicunt suam religionem?* Sic pro *parentes* dicitur *ii, per quos lucem suavissimam adspeximus*, Cic. Rosc. A. 22. sic Cic. Man. 17. in. Pompeium ita circumscripsit: *cur non — eidem, cui cetera summa cum salute reipublicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?* vid. supra P. I. c. 9. sect. II. n. X.

SECT. XVI.

11) *De dissolutione Totius in partes, Generis in species et individua.*

Vndecimus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *dissolutio Totius in suas partes, Generis in suas Species* atque adeo *Individua. Totum* et *Genus* uno vocabulo expressum cito praetervolat lectoris oculos et auditoris aures: at in partes et species dissolutum diutius verfatur ante aures et oculos, atque ita melius perspicitur. Dupliciter instituitur ista dissolutio: 1) praedicatum, quod ante dissolutionem Toti et Generi addebatur, partibus deinde ac speciebus vel individuis tribuitur; v. c. pro *Mors inflat omnibus hominibus* dici potest: *Mors pauperi et diviti, nobili et humili, docto et indocto inflat:* 2) possunt et singulis istis partibus vel speciebus singula praedicata tribui, v. c. *mors*

inflat

instat pauperi et diviti; minatur nobili et humili; invadit domos doctorum et indoctorum, vel auctis praedicatis ita: *Mors instat pauperi, minatur diviti; adest humili, non parcit nobili; intrat domos indoctorum, nec timet domicilia doctorum.* Potest et Totum vel Genus praeponi vel postponi, v. c. *Quis est mortalium, qui a mortis periculo liber esse possit? Instat illa pauperi; minatur diviti; adest humili* cet. Millies ita Cicero: prioris generis exemplum est Sext. 46. *Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum poenae — novos motus — reipublicae quaerunt, aut* cet. h. e. *malorum civium:* it. Arch. 7. extr. *Haec studia* cet. posterioris generis exemplum est Mil. 8. *Luget senatus, moeret equester ordo, tota civitas* cet. h. e. *omnes lugent Clodium.* cf. supra P. I. Cap. 9. S. II. n. X. sub B. et S. III. n. I.

SECT. XVII.

12) *De comparatione ac similitudine addenda.*

Duodecimus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adiectio comparationis* s. *similitudinis.* Nihil magis rem reddit perspicuam quam illa. Est enim mensura definiens rei magnitudinem, utilitatem omnemque qualitatem. De acervo magno frumenti non iudicare possumus, nisi comparamus cum modio cet.: sic de aliis rebus ac personis non possumus iudicare, nisi eas comparamus cum rebus vel hominibus notis, v. c. cum *Helena, Homero, Eugenio,* cum *vento, nive* cet. v. c. *magnus amor* comparatur cum *amore parentum, liberorum, fratrum* cet. — Comparatio est vel *latior*, vel *brevior*, vel *brevissima: latior*, si rem, quacum aliam comparo, ante explico, illustro et argumentis confirmo: *brevior*, si res illa non ante explicatur, sed pro nota habetur, v. c. *magnus amor*

est

est parentum erga liberos: at meus erga te non est inferior: brevissima, si constat uno vel paucis vocabulis, v. c. *amo te ut patrem: tu es mihi pater.*

Omnis vero *Comparatio* debet esse *apta*, hinc 1) res, quacum rem comparas, debet esse *vera:* omittenda igitur sunt *Elysium, Phoenix*, cet. 2) similitudo debet esse *vera:* 3) in comparandis hominibus habenda est ratio dignitatis et ordinis eorum; v. c. *rex* cum *rege* comparandus est, nec cum milite quovis: nec miles cum rege cet. Videndum quoque est, ne secundariae notiones in animo lectoris vel auditoris oriantur, quae toti rei officiant; v. c. non decet institutionem magistri comparare cum simo agri fertilitatem adiuvante cet.

Comparatio potest quadrupliciter institui:

1) *Par res* vel *homo* confertur cum pari: ubi sic concludimus: quod huic convenit, id convenit etiam illi: sic Cic. Arch. 6. comparat suum studium artium bonarum cum aliorum studio voluptatum: Ibid. 8. Archiam cum Homero: *Ergo illi alienum* (Homerum), *quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiamus?* Ibid. 9. extr. Archiam cum Ennio.

2) *minor* res vel homo *maiori* comparatur; ubi sic concludimus: si maior res vel homo parum effecit cet., quanto minus res vel homo minor cet.

3) in primis notanda est comparatio hominis vel rei *maioris* cum *minori*, quae sic instituitur, ut primum doceatur hanc rem *minorem* esse magnam prae aliis, deinde, eam tamen esse minorem ea, quam cum illa comparamus; v. c. *doctrina est haud dubie res praeclara: nam mentem illustrat* cet. *At multo praeclarior est virtus: nam* cet. Sic Cic. Marc. 2. dicturus clementiam Caesaris erga Marcellum esse rem summam, comparat eam cum rebus Caesaris bellicis: has valde laudat his verbis: *Nullius tantum est flumen ingenii* cet. et cum aliorum rebus gestis comparat ita, ut hae inferiores sint: deinde illas sensim extenuat, ut clementia

tia maior videatur. Sunt et breviores comparationes, v. c. Arch. 8. comparatur Archias cum Roſcio hiſtrione, ubi docet Cicero, ſi Roſcius propter artem corporis tantopere amatus ſit, magis amari debere Archiam ob poeſin: it. cum poeta malo cap. 10. cf. Manil. 5. in. *Maiores veſtri* cet. Arch. 12. *An, cum ſtatuas* cet.

4) Etiam *contrarium* cum *contrario* comparatur, ut illius vera ratio melius adpareat. Sic Cicero comparat *vitam urbanam* cum *ruſtica* Roſc. A. 27; *frugalitatem* cum *luxuria* Tuſc. V, 33 ſeq.; *Verrem* cum *Piſone Frugi* Verr. IV, 25. et cum Marcello Ibid. 54; *Dionyſium tyrannum* cum *Archimede* Tuſc. V, 20-23.

SECT. XVIII.

13) *De repetitione idearum.*

Tertius decimus fons propior perſpicuitatis in explicandis rebus ſ. notionibus eſt *crebra repetitio rerum ſ. notionum;* non omnium, ſed earum, quas tenere intereſt lectoris et auditoris; tales ſunt *theſis, argumenta, horumque argumenta* cet. Nam ſemel dicta facile oblivioni traduntur. Repetitio haec fit quatuor modis:

1) *Continuo* una res ſ. notio bis, ter ac ſaepius repeti poteſt, ſed aliis verbis, v. c. *liberalitas et beneficentia, factum et conſilium, pugnare et eniti, frangere et debilitare, peccatum et error* cet. Haec de ſingulis notionibus, de quibus vid. ſupra P. I. c. 9. de *Copia dicendi*, ubi monui poſſe, ad unam notionem exprimendam, iungi duo ac plura verba, quorum 1) unum *cauſam*, alterum *effectum*, 2) unum *notionem antecedentem*, alterum *conſequentem*, 3) unum *rem totam* vel *genus*, alterum *partes* vel *ſpecies* exprimat, 4) unum ſit *tropicum*, alterum *proprium*, 5) alterum altero ſit *fortius*, vel 6) alterum ſit *poſitive*, alterum *negative* poſitum, vel 7) alterum ab altero paulum *differat*. Sic et in notionibus iunctis ſ. enuntiationibus agendum; v. c. Si thema ſit: *mors non eſt extimeſcenda*, et cauſa: *quia omnibus inſtat*, poſſim hanc cauſam varie exprimere et repetere, v. c. *Mors enim inſtat omnibus*

omnibus hominibus: nemo ab eius periculo liber esse potest: quisque, sive sit dives, seu pauper cet., *mortalem se esse fateatur necesse est* cet.

2) Maxime vero post interiecta plura verba repeti debent notiones notabiles. Hic eadem variatione, de qua modo dixi, utendum, ut repetitio non facile ab auditore et lectore sentiatur. Cicero sic millies; v. c. Agr. II, 1 seq. hanc notionem: *ego homo novus factus sum consul anno meo* saepe repetit: dicit primum: *me primum hominem novum consulem feciſtis:* deinde: *eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidiſtis* cet. porro: *neque me tantummodo consulem — sed ita feciſtis, quomodo pauci nobiles consules facti sunt, novus ante me nemo;* deinde: *reperietis me esse unum ex omnibus novis hominibus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit; consul factus sim, cum primum petierim* cet. ac saepius. Ibid. c. 3 et 4. quater confirmat, *se popularem futurum.* Sic in Manilana saepe repetit, vectigalia esse in periculo, Pompeium esse virum magnum et digniſſimum, qui adversus Mithridatem mittatur.

3) Huc pertinent illae figurae: *anaphora, epiphora, symploce* et *epizeuxis:* repetunt enim eandem ideam: *Anaphora* in principio enuntiationum connexarum, v. c. *Deus nobis vitam dedit, Deus nos sanitate donavit, Deus* cet. *Epiphora* repetit eandem notionem in fine enuntiationum; v. c. *doletis, tres exercitus — esse interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clariſſimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Symploce* est coniunctio anaphorae et epiphorae, v. c. Cic. Agr. II, 9. *Quis legem tulit? Rullus. Quis partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis prohibuit? Rullus. Epizeuxis* repetit eandem notionem continuo iisdem verbis, v. c. *Deus, Deus hoc fecit:* sic Cicero Cat. I, 1. *nos, nos dico aperte, consules desumus:* Cic. Font. 7. in. *Fuit, fuit* cet.

4) In fine orationis solere argumenta cum thesi repeti, sed breviſſime, notum est.

SECT.

SECT. XIX.

14) *De pictura rei addenda.*

Quartus decimus fons propior perspicuitatis in explicandis illustrandisque rebus est *pictura rei* s. *descriptio vivida*, quam vulgo *diatyposin* et *hypotyposin* appellant. Cernitur illa in eo, cum res aliqua ita narratur, vel potius depingitur, ut ei interesse et oculis auribusque eam percipere videamur. Id quod fit, si quaedam eius partes s. circumstantiae sensibus subiectae, in primis, quae oculis et auribus percipiuntur, recensentur. Sic Livius saepe praelia ita depingit, ut iis interesse et pugnantes videre videamur: sic Cicero Phil. II, 41: *personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes* cet. At cavendum, ne rei partes s. circumstantias taedium creantes memoremus. Peccavit hic Cicero Phil. II, 25. *magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit.*

SECT. XX.

15) *Additamentum ad fontes perspicuitatis rerum.*

Plures haud dubie fontes detegi poterunt. Possunt eo quoque referri 1) *brevitas*, quia haec saepe perspicuitati prodest: vid. de ea P. I. c. 9. 2) ordo idearum, quae iungi debent, prout earum natura postulat: qua de re supra P. I. c. 3. s. II. late dictum. 3) modestia in acumine adhibendo: 4) Subtilitas in omni re adtendenda, v. c. a) ut videamus, utrum praedicatum toti subiecto, an eius parti conveniat, v. c. *offendere alicuius animum* pro *aliquem; vulnerare hominis corpus*

pro

pro *hominem: puppim advertere ripae* pro *navem:* b) ut praedicata conveniant ſubiectis, ac v. c. dicamus *gradus altus*, non *magnus* cet. Referuntur talia vulgo ad vocabula; hinc et ibi de iſta re dicemus.

SECT. XXI.

B) *De fontibus perſpicuitatis propioribus in uſu vocabulorum.*

Sequitur *alterum genus fontium perſpicuitatis propiorum* pertinens ad *verba.* Perſpicuitas dicendi, quod ad verba adtinet, quatuor conſiſtit rebus, 1) vocabulorum delectu, 2) coniunctione, 3) ordine, 4) connexione. De his pauca dicemus, ſed ita, ut cum his lectores ea, quae P. I. c. 2, 3, 4 ſeq. dicta ſunt, coniungere velimus.

SECT. XXII.

1) *De delectu vocabulorum ſingulorum.*

Primus fons propior perſpicuitatis in vocabulorum uſu eſt *rectus vocabulorum ſingulorum delectus.* Hic notes haec:

I) Debent eligi *vocabula vera* ſ. *vere latina:* Ergo omittenda 1) *graeca,* ſi latine exprimi poſſunt, v. c. *ὁ πάνυ Caſaubonus* cet. Excipiuntur graeca latina veſte a priſcis donata, v. c. *muſeum, tropaeum* cet. 2) recens inventa, v. c. *aequipollentia, concivis* cet. At toleranda *Archidux, Abbas, Vaſallus, infuſum* ap. Medicos cet. 3) vocabula dubiae auctoritatis, v. c. *adverſo, collimare* pro *collineare, vendico* cet. Hinc utendum eſt editionibus Criticorum.

II) eligi debent *vocabula nota* h. e. quae credere poſſumus ab omnibus, qui linguam quodammodo callent,

lent, intellectum iri. Ergo omitti debent, quantum fieri poteſt,

1) *vocabula*, non in ſcriptoribus aureae aetatis occurrentia; hi enim maxime leguntur, atque ita eorum vocabula notiora habenda ſunt, quam cetera. Recenſebo magnum numerum vocabulorum in libris aureae aetatis (quantum quidem nunc ſciamus) non occurrentium: *Abbas*, *Abbatiſſa*, *abbreviatura*, *adbreviare*, *abominabilis*, *abominatio*, *adquiſitio*, *additicius*, *adoptatio*, *aequanimis*, *iter*, *aequipollentia*, *adfectuoſus*, *adfirmativus*, *e*, *agonizare*, *albedo*, *aliqualiter*, *aliquanti* i. e. *aliquot*, *aliquatenus*, *amanuenſis*, *amicabiliter*, *anathema*, *anguſtiare*, *animalculum*, *animitus*, *adnihilare*, *adnullare*, *adnuatim*, *apoſtata*, *adpropriare*, *aptitudo*, *Archidux* cet., *archivum*, *armiſtitium*, *adſiſtentia*, *adſuefactio*, *augmentare*, *balbuties*, *baptiſmus*, *baptizare*, *benefactor*, *beneplacitum*, *beſtialis*, *blaſphemia*, *bibliothecarius*, *bibo* ſubſt., *boatus*, *bovinus*, *breviarium*, *caeſpitare* ſ. *ceſpitare*, *cambium*, *calculare*, *canonizare*, *captivare*, *carentia*, *carminice*, *carnalis*, *iter*, *caſualis*, *iter*, *certitudo*, *coacte*, *coadiutor*, *coaequalis*, *coaetaneus*, *coaevus*, *coelitus*, *coincido*, *combinare*, *Comitiſſa*, *commendatorius*, *commenſalis*, *compater*, *compatior*, *complacentia*, *complex*, *computus*, *concernit* (i. e. *adtinet ad*), *concivis*, *concordantia*, *concupiſcentia*, *condeſcendere*, *condolentia*, *confiſcare*, *confoederare*, *tio*, *confortare*, *confrater*, *congruus*, *connumerare*, *conſiſtorium*, *conſortium*, *conſtellatio*, *contrariari*, *contradictorius*, *e*, *contribulis*, *controvertitur*, *converſari*, *coordinare*, *cordialis*, *iter*, *cordicitus*, *corporalis*, *iter*, *correcte*, *correſpondere*, *crapulari*, *creatura*, *crucifigere*, *cuprum*, *curſorius*, *e*, *dapifer*, *decollare* i. e. *köpfen*, *decrementum*, *deitas*, *depraedari*, *deriſio*, *deſertum*, *deſolatio*, *deteriorare*, *deviare*, *dieſcit*, *dietim*, *dignanter*, *diſtrictus* ſubſt., *diverſicolor*, *diverſimode*, *diviſim*, *dolorificus*, *doloroſus*, *dubietas*, *Duciſſa*, *econtra*, *edecumatus*, *efficaciter*, *effigiare*, *efformare*, *eleemoſyna*, *eluceſcit*, *es erhellt*, *epitomare*, *ator*, *eremita*, *ethnicus*, *excommunicare*, *exhibitor*, *exinanitio*, *exorbitare* cum de-

rivatis, extemporaneus, extraordinarie, extrinsece, facilitare, famigeratus, favorabiliter, fictitius, fideiussor, figmentum, filialis, iter, finalis, iter, flavedo, forpex, fortificare, frontispicium, fructificare, frustraneus, fundamentalis, iter, gehenna, glorificare, gratanter, gratitudo, habitaculum, hebdomadatim, hereditare, historiographus, homagium, hortulanus, humiditas, humiliare, hypocrita, idololâtria, ieiunare, ignominiose, ignoranter, illatio, illativus, illegitimus, immediatus, e, immoriger, immorigerus, impertinens, impoenitens, entia, importantia, impossibilis, itas, impraegnare, inadvertentia, incapax, incertitudo, incessabilis, iter, incessanter, incidenter, incolatus, incongruus, inconsideranter, inconsideratio, incoram, incorporalis, iter, incorrigibilis, iter, incredulitas, incunctanter, incurabilis, iter, indesinenter, indisciplinatus, inelegans, infernalis, infinities, influxus, ingratitudo, inobediens, insimul, insipidus, insolite, insufficiens, entia, enter, intelligibilis, intimare, intimior, intrinsece, invariabilis, invasor, inverecunde, dia, irrationalis, iter, irrationabilis, iter, irreconciliabilis, irregularis, iter, irremissibilis, irreverenter, tia, invisibilis, itas, iter, itinerarium, iuramentum, iustificare, labilis, licite, liga, longanimus, itas, lubricitas, lucta, maledictus, manuductio, martyr, martyrium, matricula, medie, mediate, ator, meliorare, mensurare, meridionalis, minorare, miraculosus, modernus, molestiare, momentaneus, momentaliter, monachus, monialis, monoculus, mortificare, multoties, necessitare, negativus, e, neotericus, neutralis, nigredo, nimietas, notorius, e, nullatenus, obtenebrare, obviare, occidentalis, octodecim, ocularis, iter, orthodoxus, e, ordinarie, oscitantia, pacifice, paenultimus, parochia, partialis, passio, peccamen, peccaminosus, peccator, trix, perlator, perpendiculariter, pientissimus, pinnaculum, plausibiliter, pompose, populosus, possibilis, itas, praenominatus, praeprimis, praesentaneus, praesentare, praeservare, praesupponere, primicerius, primordialis, primogenitus, prioritas, profunditas, proficuus, prolongare, promanare, promtitudo, propalare, prophetare, proportionaliter, protectio, protector, protoplasti, purificare, puritas,

puritas, *puſillanimis*, *itas*, *qualisqualis*, *quantocius*, *ratificare*, *realis*, *iter*, *recenter*, *recommendare*, *recompenſare*, *rectitudo*, *redargutio*, *redhoſtimentum*, *refrigerium*, *reiteratio*, *repedare*, *reſpective*, *reſtaurare*, *reſurrectio*, *reverenter*, *reverendiſſimus*, *reviſio*, *rigoroſus*, *ſalvator*, *ſalvificare*, *ſanctificare*, *atio*, *ſapidus*, *ſcandalum*, *oſus*, *ſcholaris*, *ſcibile*, *ſcortatio*, *ſcrutinium*, *ſeptimana*, *ſignanter*, *ſituari*, *ſituatio*, *ſolummodo*, *ſomnolentus*, *tia*, *ſordities*, *ſpecialis*, *iter*, *ſpondaicus*, *ſpontaneus*, *ſtannum*, *ſternutatio*, *ſubalternus*, *ſubalternare*, *atio*, *ſubaudire*, *ſubintelligere*, *ſubiugare*, *ſubſiſtentia*, *ſubſtantia*, *ſubſtantivum*, *ſucceſſivus*, *e*, *ſufficienter*, *tia*, *ſummitas*, *ſuperciliоſus*, *ſuperfluus*, *ſuperioritas*, *ſupernaturalis*, *ſuppedaneum*, *ſupremitas*, *ſuſtentaculum*, *tortura*, *totalis*, *iter*, *transmutatio*, *tranſubſtantiatio*, *triumphator*, *vacantia*, *vane*, *variabilis*, *vaſallus*, *vaticinium*, *vegetativus*, *verificare*, *vice verſa*, *viror*, *viſibilis*, *iter*, *itas*, *ullibi*, *ultime*, *ultimo*, *ultimato*, *unanimiter*, *uniformis*, *unigenitus*, *voluptuoſus*, *e*, *voracitas*, *uxoratus* et ſexcenta alia. Multis horum carere poſſumus iisque alia ſubſtituere, v. c. *adoptatio* mutari poteſt in *adoptio*, *aequanimiter* in *aequo animo*, *adfirmativus* in *adfirmans* ſ. *aiens*, *armiſtitium* in *induciae*, *archivum* in *tabularium*, *adſiſtentia* in *auxilium*, *adſuefactio* in *conſuetudo*, *boatus* in *mugitus*, *coaequalis*, *coaetaneus*, *coaevus* in *aequalis*, *cordicitus* in *ex animo*, *correcte* in *emendate* cet. Multa autem non commutari poſſunt, v. c. *Abbas*, *Abbatiſſa*, *Archidux*, *angelus*, *diabolus*, *bibliothecarius*, *Comitiſſa*, *Monachus*, *Paſtor*, *Diaconus*, *Vaſallus*, *paenultimus*, *ſubſtantivum* cet. in primis nomina honoris, v. c. *Miniſter regis*, *reverendiſſimus* cet.

2) *raro occurrentia* in ſcriptoribus aureae aetatis, quia non omnibus nota ſunt; v. c. *absque*, *cauſari*, *infideliter*, *nullibi*, *ſervitudo* cet.

3) *poetica*; quia ſunt communi dicendi uſui plerumque ignotiora, v. c. *imputare*, *aequor* de *mari*, *altiſonus*, *velivolus* cet.

4) *graeca*, ut n. 1. dictum.
5) *recentiora*, si iis carere possumus.
6) e mythologia vel antiquitatibus ducta, saltem pleraque.

III) Vocabula debent sumi *significatione nota* h. e. quam pro nota omnibus habere possumus. Habent enim vocabula

1) interdum *significationes raras*, nec omnibus notas, v. c. *notatio* pro *etymologia: gaudeo* pro *habeo: utor* pro *opus habeo*, ut nostris *brauchen: supplicium* pro *supplicatione: quasi* pro *circiter* cet.

2) interdum *significationes dubias*, v. c. *periculum* Nep. Epam. 8. nonnulli explicant per *tabulas publicas, das Protocoll:* et provocant ad Cic. Verr. III, ubi *scribis tabulae publicae periculaque magistratuum committi* dicuntur. At loci sunt diversi. Sic *humare* explicant nonnulli per *cremare* ap. Nep. Eum. 13. extr. et provocant male ad Cic. Legg. II, 2. qui dicit, *sepultos* (i. e. crematos) dici *humatos:* at propterea *humare* non est *cremare:* est ergo haec vis vel dubia vel ficta. Sic *ad scenam ire* ap. Nepot. cet.

3) interdum *fictas* vel aureae aetati ignotas *significationes;* v. c. *advocare* pro *causas agere: ambitio* pro *superbia; ambitiosus* pro *superbia inflatus; adserere* pro *adfirmare; adparere* pro *videri; avarus* pro *nimis parco; bona opera* pro *beneficiis erga pauperes* cet. *brachium saeculare* de *magistratibus; calumnia, Verläumdung; calamitas* pro *omni malo; clemens* pro *benefico; communiter* pro *vulgo, plerumque; competens* pro *legitimus*, v. c. *iudex; confundi* pro *pudore adfici: consulere alicui* pro *suadere: convincere* pro *persuadere; copia* pro *exemplo, Copie; cordatus* pro *animosus; crux* pro *malis; damnati* pro *iis, qui in orco sunt*, ap. Theologos; *deputare* pro *destinare; devotio* pro *ardenti pietate erga deum; diligens, fleißig*, i. e. *geschäftig; discretus* pro *humanus; festivitas* de *die solenni; fides in Christum*, sic *fideles, die Gläubigen*, ap. Theol.; *fornicatio* de *scortando; impingere* neutr. pro *offendere; infernus, die Hölle; infideles, infidelitas*,

fidelitas, *Ungläubigen*, *Unglaube*; *infucatus* pro *non fucatus*; *inquam*, ſi eſt revocantis ſe in verbis perperam dictis; *intercedere* pro *rogare alicuius cauſa*: *iuxta* pro *ſecundum*, v. c. *iuxta Platonem hoc verum eſt*; *levis* pro *facilis*; *linea* pro *verſu*; *medium* pro *re, qua aliquid efficitur*, *das Mittel*; *mundus* pro *hominibus malis*; *omnino* in adfirmante reſponſione; *paganus*, *ein Heide*; *praeciſe* pro *adcurate*; *pro tempore* pro *nunc*; *promovere* pro *adiuvare*; *proximus* de *quovis homine*; *publicus* pro *manifeſtus*; *quoad* cum accuſ. pro *quod adtinet ad* cet.; *reſurgere* pro *ab inferis redire*; *remedium* i. e. *Mittel zu etwas*; *ſcientia* pro *diſciplina* in libris tradita; *ſaecularis*, *weltlich*; *ſubditus* pro *cive*, *Unterthan*; *unio* pro *coniunctione*; *votum* pro *ſuffragio* cet.

4) *ſignificationes poetis fere proprias*; v. c. *ſalutor* et *audio* pro *adpellor*, *eſt* ſeq. Infinit. pro *licet*.

IV) Vocabula debent eſſe *apta* h. e. notionem adcurate exprimere. Tripliciter hic peccare poſſumus: 1) quando cum vocabulo aliam ideam coniungimus, quam priſci iunxere, v. c. *conſulere alicui* pro *ſuadere*: 2) vel *maiorem*, quam priſci, v. c. *opinio* pro *ſententia certa*: 3) vel etiam *minorem*, v. c. *inflammatus ira* pro *iratus*; *honoratus* pro *dignus honore* cet. Qua in re ne peccemus, debemus rem, quam exprimere ſtudemus, et vocabula, quibus illam exprimere volumus, adcurate noſſe. Tum videbimus a) multa priſca vocabula noſtris rebus non reſpondere, v. c. *legio*, *cohors*, *tribunus*, *haſtati*, *ſeſtertius*, *denarius*, *municipium* cet. ac nec ſatis *ſervus*, *toga*, *tunica* cet. b) ſaepe recentiora magis convenire, v. c. *Archidux*, *angelus*, *epiſcopus*, *feudum*, *pilulae*, *infuſum*, *decoctum* cet. Sunt enim omnibus nota.

V) Vocabula debent *ambiguitate carere*: hinc vel eligenda ea, quae ſunt unius certaeve ſignificationis,

v. c. *sum*, *homo* cet. vel si homonymum sumitur, debet aut contextus docere, quae vis cum illo coniungenda sit, aut res eo expressa debet ipsa nota esse: v. c. *consilium patris* non intelligo: at si quis dicit: *pater mihi suasit, ut ita rem instituerem: quomodo placet tibi hoc consilium?* aperte video *consilium* esse *der Rath*, non *Entschluß*, *Klugheit* cet. Sic *imperium* varias habet notiones: at si dicis *imperium Sullae*, *Marii* cet. intelligo esse *das Commando*.

SECT. XXIII.

2) *De perspicuitate in coniungendis vocabulis.*

Alter fons propior perspicuitatis in vocabulorum usu est *eorum coniunctio recta*. Hic tenenda sunt haec:

I) *Substantivis addi debent Verba, proprie dicta, quae illis conveniant;* v. c. *viae*, pro *ratione*, Mittel, non convenit *eripere;* male loquaris: *viae omnes mihi sunt ereptae;* imo *occlusae, obseptae, interseptae:* nec facile dixerim: *habeo viam:* pro *patet via.* Sic non dici potest *honoris gradum adcipere*, sed *adscendere* cet. non *poenas adcipere*, sed *dare*, *pendere* cet. non *naufragium pati*, sed *facere:* sic et *damnum adcipere*, non *pati.* Sic si de romanis rebus, dicendum: *creare* (it. *facere*) *consulem* cet. *cooptare pontificem: legem ferre* de magistratu, *scisere*, *iubere* de populo: sic *Vestalem legere* vel *capere*, *Interregem prodere* cet.

II) *Verbis* proprie *dictis addi debent adverbia illis convenientia;* v. c. *enixe rogare*, non *obnixe: facile pati, sich gern gefallen lassen*, non *libenter:* hoc alium sensum efficeret. Sic non dicendum *cibus sapit pulchre, flos olet pulchre*, sed *bene.*

III) *Sub-*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0282
DFG

III) *Substantivis* addi debent *adiectiva* tum *convenientia* tum *sufficientia:*

1) *convenientia:* v. c. *consilium bonum*, si cum prudentia datur, *fidele*, si cum fide; nec *consilium prudens, sapiens* reiiciendum, licet proprie *homo* non *consilium* sit *prudens* cet. Sic *ager bonus*, si de fertilitate sermo, non *pulcher*. *Homo senex* recte de *annis; homo antiquus* de *moribus: vir magnus* de *virtutibus*, non de *statura*. Sic recte *manu mea*, *mit meiner eignen Hand*, non *propria* h. e. *eigenthümlichen*. Sic *gradus honoris altus* s. *excelsus*, non *pulcher* cet. Sic *vestigia perspicua, expressa*, non *pulchra, magna*. Sic *finis* (*Absicht*) *certus*, non *pulcher, prudens, callidus* cet. sic *lingua vernacula*, non *materna:* non enim mater sola illa utitur. Sic non dixerim forsan *conscientia bona, mala*, licet Cicero dixerit *conscientia praeclara, recta*, sed *conscientia recte factorum, malefactorum*, s. *bonorum, malorum consiliorum*. Sic non dici potest *verus doctus, magnus doctus*, sed *vere, valde doctus* cet.

2) *sufficientia*. Hic videndum, quot adtributa res quaeque postulet: v. c. in *consilio* requirimus duo, primum, ut sit *bonum*, deinde *fidele:* ergo recte dicimus *consilium bonum et fidele:* sic *beneficia multa et magna:* sic *laus tenuis atque obscura* Cic. Verr. I, 1. med. *multis et firmis praesidiis* Cic. Font. 16. in. *certissima et maxima vectigalia* Cic. Manil. 2. — Quaeritur hic, an etiam duo adiectiva sine copula *et*, *ac* cet. possint uno substantivo iungi: possunt utique, si unum adiectivum una cum substantivo potest cogitari ut una notio, v. c. *bellum acerbissimum civile* Cic. Phil. V, 15. ubi *bellum civile* tanquam una notio cogitatur: sic *Codex Lipsiensis primus* cet. In primis substantivo coniuncto cum adiectivo aliud praeterea adiectivum (it. plura) addi potest, si hoc est pronomen, vel gentile, vel indicat numerum, multitudinem, paucitatem; v. c. *hi magni viri: multi magni morbi: tria bella Punica* cet. adcurate de hac re egi in *der ausführlichen latein. Sprachlehre*, P. II. c. 1. §. 7. p. 318 ff.

IV) Adiectiva, si in iis inest notio primaria, mutantur saepe in *substantiva:* et tum substantiva, vel pro-

nomina, quibuscum iuncta illa erant, abeunt in genitivum; v. c. Cic. Rosc. Am. 17. *si in calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem* pro *praedia bona et multa.* Ad Div. V, 2, §. 22. *Huius temeritati si — non restitissem:* Caes. B. G. IV, 17. *etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem altitudinemque fluminis* cet.

V) Substantivo vel pronomini aliud substantivum additur, per quod illud magis definiatur sicque perspicuitas magis adiuvetur: atque ita prius substant. abit in genitivum. Substantivum, quod additur, notat vel partem vel adtributum vel causam substantivi, cui additur; v. c. *offendere patris animum* pro *patrem: commisit se patris fidei* pro *patri: ignovi Caii adolescentiae* pro *Caio;* cf. de hac re supra P. I. C. 9. Sect. II. n. II. Sic millies prisci: Cic. ad Div. V, 2, §. 14. *Si vero meam salutem contra illius — impetum defenderim* cet. pro *si vero me contra illum defend.* cet. Ibid. §. 15. *Quem ego cum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare* cet. Ibid. §. 22. *Huius ego temeritati si non — restitissem* cet. Ibid. §. 20. *ego dolori tuo non solum ignosco* pro *tibi:* et statim: *meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet.* Ib. ep. 12. §. 7. *si uno in argumento unaque in persona mens tua tota versabitur:* Ib. §. 8. *potest enim mihi denegare occupatio tua,* pro *tu.* Phaedr. I, 4. de cane: *lympharum in speculo vidit simulacrum suum,* pro *in lymphis vidit se;* sic Fab. 12. *cervus — in liquore vidit imaginem suam:* ac deinde: *crurumque nimiam tenuitatem vituperat, venantum subito vocibus conterritus* pro *crura, per venantes:* Fab. 14, 10. *tum confessus est, non artis ulla medicae se prudentia, verum stupore vulgi factum nobilem* pro *non per artem medicam, sed vulgum.* Omnia praeclare et adcurate dicta.

VI) *Non*

VI) *Non peccari debet in casu, numero, genere substantivorum, in tempore, modo Verborum* cet.: haec peccata perspicuitati officere possunt:

1) in *casu;* v. c. non dici debet *condolere alicui, communicare alicui, iubeo tibi, erubesco alicuius, incumbere literis* pro *ad literas:* nam *literis* alium gignit sensum. At rectum est *ponere in terra* vel *in terram:* latet *mihi* et *me* cet.

2) in *numero;* v. c. non dicendum: *pater et mater vivit adhuc: multum audivi* pro *multa: paucum didici* cet. Non vernaculum *dieses, welches,* si de una re sermo, vertendum *haec, quae.* Nam *hoc, id, quod* de *una: haec, ea, quae* de *pluribus* dicuntur. Sic *omnia* rectius quam *omne,* quanquam et hoc non raro occurrit.

3) in *genere;* v. c. a) ne usurpemus genus rarius; v. c. *finis* interdum in genere feminino occurrit, v. c. Cic. ad Div. XII, 1. in. *finem nullam facio:* quod non imitandum censeo: b) ne vocabula, quae, ut significatione, ita genere differunt, confundamus; v. c. *malus* in *horto* et in *navi: calx* pro *postrema pedis parte* et pro *materia lapidis cocti: Adria* masc. est mare, et *Adria* fem. est oppidum: sic *Cupido* cet.

4) in *tempore Verbi;* v. c. qui vernacula haec: *ich weis nicht, wenn der Vater kommen wird,* vertit: *nescio, quando pater venerit* pro *venturus sit,* is non perspicue loquitur: et quisque lector vel auditor pro perfecto habeat et vertat: *gekommen ist.* Sic qui futurum simplex pro exacto ponit, deceptus vernacula, is aliud dicit, aliud cogitat: sic aliud est *fratris culpa factum est, ut miser sit,* et *miser esset.* cf. de vero usu temporum P. I. c. 9. S. XVII. n. XX. B.

5) in *modo Verbi;* v. c. qui vernaculum: *wenn ich kann* vertit *cum possim,* perperam loquitur. Sic aliud est *si possum* et *si possim: si vides* et *si videas: etsi fis doctus,* et *etsi es doctus:* qua de re supra dictum.

6) in *terminatione personali* (quam vulgo *personam* vocant) *Verbi;* v. c. in enuntiatione universali, quae incipit vernacule per *man.* Recte quidem dicimus: *pulchrum est ea, quae didicerimus, f. didiceris, alios docere:* at non recte: *non credenda sunt omnia, quae dicimus,* vel *quae dicis, was man spricht.* cf. supra P. I. c. 9. S. XVII. n. XX. A.

VII) Non debet peccari in *usu participiorum:* Hic not. 1) participia debent ita poni, ut statim adpareat, an per *qui, postquam, quando* cet. explicari debeant. Hinc *si videam patrem, dicam ei, wenn ich den Vater sehen sollte* cet. non debet mutari sic: *videns* cet. 2) participia non debent nimis coacervari, ne qua obscuritas in mente legentis et maxime audientis suboriatur. In primis cavendi sunt participia, si propter similem casum substantivi ambiguitas exsistere potest: v. c. *in uteris hominibus fruentibus voluptatibus*, vel *hominibus voluptatibus fruentibus.*

VIII) *Subiecti idea ab idea praedicati* debet facile discerni posse. Peccari hic potest 1) *in duobus nominativis*, v. c. obscure dictum est: *saepe tristitia laetitia est: malum est bonum:* cet. sic Cic. ad Div. III, 10. §. 9. *dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista sollicitudo futura sit*, ubi *sollicitudo* est subiectum. Add. Terent. Hec. II, 1, 4. *omnes socrus oderunt nurus:* sed contextus ibi ambiguitati occurrit. 2) *in duobus dativis*, v. c. non dixerim: *mihi est parcendum homini.* 3) *in duobus accusativis*, v. c. non dixerim: *miror homines alios videntes virtutes colentes nolle ipsos eas amare.* In primis huc pertinent duo accusativi infinitivo iuncti, v. c. *Audio patrem filium non amare.* Vter amat? it. *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse:* it. Plaut. Merc. II, 4. in. *Pentheum diripuisse aiunt Bacchas;* Terent. Hec. V, 1, 6. *Credo — te mirari, quid sit, quapropter te huc puerum evocare iussi;* ubi *puerum* est subiectum. Add. Cicero ad Div. V, 20, §. 8. *respondeo, me — tamen te exspectaturum fuisse* cet. Potest saepe ista ambiguitas evitari mutando activo in passivum, v. c. *Pentheum direptum esse a Bacchis* cet.

IX) *Nominativus princeps, Verbo legitime praecedens, non facile omitti debet*, nisi paulo ante praecessit,

sit, vel facile intelligi potest; v. c. non dixerim: *Nuper fratrem tuum apud patrem meum vidi: quaesivit ex eo* cet. Vter quaesivit? Rectius additur *ille*, si ad fratrem, et *hic*, si ad patrem refertur. Prisci plerumque, ad perspicuitatem adiuvandam, addunt *Is*, *id*, *qui* cet. atque adeo, ubi per se intelligi poterat; v. c. Cic. ad Div. I, 3. in. *Aulo Trebonio — utor valde familiariter. Is cum antea* cet. Manil. 4. in. *Mithridates — omne reliquum tempus — contulit. Qui posteaquam maximas aedificasset* cet.

X) Praepositio *a*, quando initium temporis indicat, ante se libenter habet *inde:* sic omnis ambiguitas tollitur; *inde a primis annis: inde ab adolescentia factum* cet.

XI) *Parentheses* longae ac crebrae in eadem sententia vitandae sunt. Res per se loquitur.

XII) Post parenthesin longiorem Cicero, ut contextum interruptum restituat, atque ita perspicuitatis causa, repetit unum vel aliquot vocabula, addito vel *inquam*, ut nostri, *sage ich*, vel *igitur*, *ergo*, interdum *sed*, *verumtamen*, *sed tamen*. a) *inquam:* Or. III, 31. in. Att. I, 16. med. b) *igitur:* ad Div. I, 9, §. 67. *scripsi igitur* cet. Att. XVI, 3. in. Tusc. IV, 15. in. Fin. IV, 20. in. V, 32. c) *ergo:* ad Div. XV, 10. in. Tusc. I, 7. *id ergo est* cet. d) *sed:* Qu. Fr. II, 3. non procul ab initio: *sed ut peroravit* cet. Offic. I, 30. *sed si quis* cet. Or. III, 12. in. e) *sed tamen:* ad Div. IX, 16, §. 2. Or. II, 90. non proc. ab in. f) *verumtamen:* ad Div. V, 21, §. 9. Att. I, 10. in.

XIII) Si quod vocabulum, quo uti cogimur, paulo obscurius esse credimus, id explicare debemus v. c. per *hoc est*, *sive*, *seu* aliove modo. Potest et explicatio recte institui, 1) quando statim synonymum adiicis, v. c. *auctoritas et consilium:* sic Cic. Verr. III, 7. *do tibi hoc et concedo:* de qua re supra dictum P. I. c. 9. S. II. p. 199.

p. 199. 2) quando eandem rem et adfirmative et negative effers: v. Ibid. p. 199. 3) repetitione eiusdem rei per aliud vocabulum vel per circumscriptionem. Vid. supra P. I. c. 9. S. II. n. X.

XIV) Repetitio eiusdem ideae, ad quam adtendere lectorem et auditorem volumus, valde necessaria est perspicue loqui cupienti, ut supra Sect. XVIII. dictum. Fit tribus modis:

1) *Idem vocabulum repetitur;* v. c. Cic. Rosc. A. 26. *Tanti maleficii crimen, cui maleficio* cet. Cic. Verr. III, 6. *quarum ager — illis est redditus. Is ager* cet. Man. 12. *Ita tantum bellum —, quo bello* cet. Cic. Cluent. 57. *Cluentius — causam dicit ea lege, qua lege senatores* cet. Mil. 20. in. *Ante fundum Clodii: quo in fundo* cet. Pertinent huc a) *Anaphora*, v. c. Cic. Verr. III, 9. *Hunc in omnibus stupris, hunc in* cet. b) *Epizeuxis*, v. c. *dolebam, dolebam* cet. Cic. Phil. II, 15. c) *epiphora*, d) *symploce:* de quibus vid. supra Sect. XVIII, n. 3.

2) *Vocabulo, cuius ideam repetere volumus, substituitur pronomen aliquod*, v. c. *is, ille, hic, qui:* cf. dicta n. IX.

3) Vocabulo illi substituitur aliud eiusdem generis (v. c. nomen nomini cet.), interdum plura; v. c. Cic. Verr. I, 1. *Neminem vestrum ignorare arbitror, hunc — sermonem vulgi — fuisse* cet. *Quae fama — emanarat* cet. ubi *fama* est i. q. *sermo vulgi.* Cic. Verr. III, 6. *decumas lege Hieronica vendundas* cet. et deinde: *Hoc iure — Siculi semper usi sunt.* Cic. Verr. I, 5. in. *Meditetur de ducibus* cet.: *Videat, quid de illis respondeat, quos* cet.; *quaerat non solum* cet. ubi *meditetur, videat, quaerat* idem notant: sic Cic. Cluent. 2. *Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis; valeat in opinionibus ac sermonibus imperitorum, ab ingeniis prudentium repudietur:* egregie: *dominetur, valeat:* et *iaceat, repudietur.*

XV) *Rarae constructiones vocabulorum fugiendae sunt;* v. c. *fruor* cum genitivo cet. Sic non dixerim: *prisci ita dicitur*, pro *a prisci; non: in potesta-*

potestatem esse, licet sic legatur Cic. Divin. in Caecil. 20: non *in aciem stare*, ut legitur Liv. XXIV, 8; non *tempus est dicere*, ut ap. Cic. ita legitur: it. *tempus conari* ap. Liv. *tempus extrahere* ap. Nep. non *tui unius studio*, ut Cic. dixisse dicitur ad Div. II, 6. extr. non *illum*, *ut vivat*, *optant* cum Terentio cet. v. Periz. ad Sanct. p. 188.

XVI) Particulae, vocabula et membra iungentes, v. c. *et*, *aut*, *si*, *cum* cet. recte sunt adhibenda; v. c.

1) *et* non facile omittendum, praeterquam in sermone gravi.

2) Priscos libenter duplex *et*, *aut*, *vel*, *nec* s. *neque* ponere, ubi vernacula uno contenta est, supra P. I. c. 7. Sect. I. et II. dictum est. Fit hoc ob perspicuitatem: sic enim melius adparet, vocabula et enuntiationes arcte cohaerere.

3) *et* pro *etiam* non poni debet, si per *et* videatur explicari posse: v. c. non dixerim: *Cum vidissem te brevi perlegisse et Virgilium et Homerum, et Horatium tibi mittendum censui.*

4) *si* non est confundendum cum particula *cum*, *wenn*: illa est conditionis, haec temporis. Aliud est *faciam, cum possum*, aliud *faciam, si possum.*

5) *cum* s. *quum* non debet commutari cum *dum*: hoc enim semper indicat tempus adhuc durans: recte ergo dico: *Dum scribebam, pater venit;* male: *Dum scripseram, pater venit.*

6) *etiamsi* et *ut* i. e. *gesetzt daß* non confundenda sunt cum *quamquam*. Differunt enim: vid. supra P. I. c. 2. S. XVII, n. XVII, B. et c. 8. Sect. VIII, n. 9.

XVII) *In vocabulis, quae externa literarum forma inter se conveniunt, significatione differunt, videndum, ne lector auditorve ea confundat, et unum pro altero habeat, vel nimis diu quaerere cogatur, utrum intelligendum sit.* Talia verba sunt multa v. c.

1) *uti* pro *ut* et *uti* ab *utor*.

2) *quodque*, *quaeque* cet. a *quisque*, vel pro *quod* et *que* cet.

3) *quin*

3) *quin* pro *imo*, et *quin* coniunctio: v. c. non dixerim: *non dubito, quin certissime mihi persuasum est.*
4) *est* a *sum* et *est* ab *edo.*
5) *ut* adv. et *ut* coni. v. c. *video, ut venerit* pro *quomodo* paulo obscurius dictum est: sic tamen saepe prisci, v. c. Cic. Rosc. Am. 24. in. *Videtisne — ut eos agitent* cet.
6) *sis* a *sum* et *sis* pro *si vis*, quod est Cic. Rosc. A. 16. extr. *Age refer animum sis ad veritatem.*
7) *regis* a *rex* et a *rego*; sic *legis, sedes, videris, legeris*; sic *exstitit* ab *exsto* et *exsisto* cet.
8) *eo* adv. et *eo* ab *is.*
9) *etsi, obgleich*, atque *et si* pro *ac si*: hic melius dicitur *ac si*: quamquam et Cicero saepe *et si* pro *ac si* dicit.
10) Eaedem terminationes casuum interdum obscuritatem adferre possunt: v. c. *tu suavior es omnibus*, ubi *omnibus* et dativus et ablativ. esse potest; sic *fratres peregrinantes viderunt*, et alia. Hinc *talis* ap. Hor. I, od. 4, 18. in verbis: *regna vini talis* ambiguum est: quaeritur, utrum sit ablat. a *talus*; an genitivus i. e. *talis*, ut Gesn. credit. Sic ambiguum est *malis* in verbis Cic. ad Div. IX, 20. in. *Me autem a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse non molestefero.* Hinc sensus obscurus. Sic *avis* ambiguum est Virg. Aen. VII, 411: *locus Ardea quondam dictus avis: nunc magnum manet Ardea nomen:* intelligo *maiores.*
11) Eaedem terminationes vocabulorum in *Genere* possunt ambiguitatem efficere; v. c. non dixerim: *causa multorum* pro *rerum multarum*; non *huius, cuius causa* cet. pro *huius, cuius rei*; non *hoc factum est* pro *hac re*: sic non *ex hoc* cet. Ambigue locutus est, saltem tironibus, Livius II, 9: *Nisi, quanta vi civitates eam* (libertatem) *expetant, tanta regna reges defendant* cet. ubi *tanta* non ad *regna* pertinet. Obscurior est locus Liv. IX, 13. *Quae regio si fida Samnitibus fuisset, aut pervenire Arpos exercitus romanus nequisset, aut interiecta inter Romam et Arpos penuria rerum omnium exclusos a commeatibus absumsisset.* Quaeritur, quo *interiecta* sit referendum. Locus haud dubie eget critica manu. Ceterum hinc puto, *Supina Verborum*, quia cum participiis confundi possunt, rarius occurrere, et *dic, duc, fac, fer* pro *dice* cet. usurpata esse, ne cum similibus confunderentur a lectore vel auditore.

XVIII)

XVIII) *Caveamus, ne nimis longis, iisque crebrioribus, ut omnino complexionibus verborum, ita maxime periodis utamur.* Peccavit hic Caesar, v. c. B. G. II, 25. *Caesar ab decimae — gladiis uti possint:* quae sententia absoluta sedecim versibus constat. It. Cicero, v. c. Quir. p. red. 1. in. *Quod precatus — maxime lactor, Quirites:* quae sententia absoluta duodeviginti versibus constat, et Dom. 57. in. quae septem et viginti versibus continetur.

XIX) Abstinendum est ellipsibus durioribus, quales tamen apud priscos occurrunt; v. c. Cic. ad Div. XII, 30. §. 16. *Honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi*, (ubi tamen Ernesti post *enim* inseruit *digni).* Ovid. Met. I, 20. (Pugnabant) *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus;* sic dura est ellipsis particulae *potius, magis* ante *quam;* v. c. Nep. Dat. 8. in. *tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere:* vid. Vechn. Hellen. p. 138. et Sanct. in Minerva, ibique Periz. p. 692. et 699. Durior quoque et obscurior saepe est ellipsis, quando homines colloquentes inducimus et vocabula: *inquit, dixit, respondet*, vel *tum ille* cet. omittimus. Sic Horatius saepe obscurior fit, v. c. Sat. II, 5. cet.

XX) Vocabulis relativis *hic-ille*, et *alter-alter* recte utendum est:

1) *Hic* et *ille* recte usurpantur, si *hic* ad propius, *ille* ad remotius refertur; v. c. *Si virtus tibi placet, cur hanc s. eam non colis?* Recte. At: *si virtus, donum illud Dei egregium, tibi tantopere placet, quomodo fit, ut tamen illam non colas?* recte, non *hanc.* In primis si de duobus hominibus vel rebus sermo est; v. c. *Caesar et Pompeius diu inter se contenderunt, ille, quia neminem superiorem, hic, quia neminem parem ferre poterat.* At peccarunt hic interdum prisci et *ille* ad propius, *hic* ad remotius retulerunt; v. c. Liv. XXX, 30. *Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Haec*

ill

in tua, illa in deorum manu est. Ibid. XXIV, 29. *Et mittentibus et missis* cet. Cic. Rosc. Com. 2. *quia haec sunt menstrua* cet.

2) *Alter* et *alter* recte usurpantur, si prius ad remotius, posterius ad propius refertur; v. c. *Et doctrina et virtus praeclara est. Alteram* (i. e. doctrinam) *cupimus, alteram vulgo negligimus.* At et hic peccant nonnunquam prisci; v. c. Cic. Nat. D. II, 47. *Dedit autem eadem natura beluis et sensum et adpetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus.* Off. I, 12. *Vt enim cum cive aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor: cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae* cet. Off. II, 15. Quint. 1. ac saepius. Pro posteriori *alter* occurrit et *iste, hic,* v. c. Cic. Rosc. Am. 6. *Nam duo — sunt Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est, iste, qui adest, Magnus vocatur:* et statim: *alter — gladiator habetur, hic autem* cet. it. *ille* Flor. IV, 7. *alterum corporis aegritudo, illum metus* cet.

XXI) Duo pluresve genitivi non facile iungi debent. Et tamen ita prisci, v. c. Cic. ad Div. II, 13. §. 5. *Genus institutorum et rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius* (Appii) *administratione provinciae.* Ib. IX, 8. §. 6. *sed superiorum temporum fortuna reipublicae causam sustineat,* ubi *reip.* non a *causam* pendet. Ib. X, 3. §. 7. *maxima orbitate reipublicae virorum talium.* Off. I, 13. *L. Sullae et C. Caesaris translatio pecuniarum* cet. Occurrunt adeo tres genitivi, Caes. B. G. II, 17. in. *eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta:* Ib. III, 8. in. *Huius civitatis est longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum.* Hic duo genitivi, alter subiecti, alter obiecti, concedi possunt, si ordine iuventur, h. e. ille praeponatur, hic postponatur, et substantivum, unde ambo pendent, in medio collocetur, v. c. *hominum studium*

dium virtutis cet. At si ordo perturbatur, crescit obscuritas, v. c. Liv. XXVIII, 30. *Iam in ipsa pugna haec* (quinqueremis) *cum infesto rostro peteret hostium navem, obliqua ipsa ictum alterius rostri adcipiebat:* ubi *alterius* intell. *navis.* Ib. prope fin. *Cum inter triremes — anceps proelium miscueretur, quinqueremis romana — duas triremes suppressit, unius praelata impetu lateris alterius remos deterst* pro *deterst remos lateris alterius unius* sc. triremis Punicae, *praelata impetu.* Obscuritatem loci augent vocabula difficiliora *detergere, praeferri.* cf. de pluribus genitivis Gron. ad Liv. XXXIV, 26. Sanct. Min. cum Periz. p. 177.

XXII) *Cavendus est concursus plurium Infinitivorum;* v. c. obscurum est dicere: *solent prisci docere, quemque credere oportere, pro patria mori dulce et decorum esse.*, vel *quemque dulce et decorum esse pro patria mori credere oportere.*

XXIII) *Superlativus vernaculus*, v. c. *der größte* (scil. *unter allen)*, magis perspicue exprimitur per comparativum, v. c. *nihil est praestantius virtute* pro *virtus est praestantissima:* Potest et dici: *Nihil est tam praestans, quam* cet. aliove modo.

XXIV) *Brevitas dicendi* saepe commendanda est: quia saepe prodest perspicuitati. Efficitur variis modis; v. c.

1) quando ope unius Verbi duas enuntiationes in unam redigimus, v. c. Cic. Agr. II, 1. *Est hoc in more positum, — ut ii, qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude coniungant* pro *qua primum gratias agant pro beneficio vestro, ac deinde laudent suos maiores.*

2) per participia; v. c. haec verba *postquam literas tuas, quas heri, cum domum rediissem, adceperam, quia magnum ex iis solatium percepturum me esse sperabam, cupide perlegeram* cet. possunt ita fieri bre-

breviora et clariora: *Literis tuis — cupide perlectis* cet. vel alio modo.

3) per *propter* s. *ob* pro enuntiatione per *quia* cet. v. c. pro *Cum ego propterea, quod hodie mihi, quia pater mortuus est, domum proficiscendum est, tecum, ut constitutum erat, non cras colloqui possim* dici potest: *Cum ego propterea, quod mihi ob patris obitum* cet.

4) per *post*, cui *ex* s. *ab* interdum substituitur; v. c. pro *Cum audierim, te hereditatem, quae, posteaquam avunculus tuus mortuus est, ad te, quia te heredem ex asse voluit esse, rediit, nolle adcipere* cet. potest brevius dici *Cum audierim, te hereditatem, quae post avunculi mortem* (s. *avunculo mortuo*) *ad te* cet. sic Caesar in illa longissima complexione verborum B. G. II, 25. *Caesar ab decimae legionis cohortatione profectus ad* cet. pro *postquam decimam leg. cohortatus erat.*

De tota hac re supra in Cap. de brevitate P. I. c. 10. Sect. II. diximus.

SECT. XXIV.

3) *De ordine verborum, ut fonte perspicuitatis.*

Tertius fons perspicuitatis propior in usu vocabulorum est *ordo eorum ac collocatio apta.*

Ordo verborum pendet

1) *ab idearum natura:* h. e. quae prius cogitantur, prius ponuntur, v. c. *causa, conditio rei, tempus* cet. De hac re supra in Cap. de Ord. Verb. P. I. c. 3. S. II. dictum est. En pauca exempla iusti ordinis: Cic. Verr. V, 34. *Ecce autem repente, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu* cet. c. 52. *Tu in provincia tam splendida, apud socios fidelissimos, cives romanos honestissimos, in metu periculoque provinciae, dies continuos plures in litore conviviisque iacuisti.* c. 63. *Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis romanus in provincia populi romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi*

populi romani fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur. Suet. Dom. 19. *Nonnunquam in pueri procul stantis, praebentisque pro scopo dispansam dextrae manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent.* At peccarunt interdum prisci, maxime poetae, ut P. I. c. 3. S. 2. n. XV. monuimus, et ordine verborum turbando obscuriores facti sunt: v. c. Hor. Sat. I, 5, 72. *Sedulus hospes Paene macros arsit — um turdos versat ad ignem:* Ovid. Met. I, 222. *Mox, ait, experiar, deus hic, discrimine aperto, an sit mortalis:* Liv. XXVIII, 30. extr. *Cum inter triremes — anceps proelium misceretur, quinqueremis romana — duas triremes suppressit, unius praelata impetu lateris alterius remos detersit:* pro *detersit remos alterius lateris unius triremis* cet. Ter. And. II, 2, 2. *Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes, ipsus sibi esse iniurius videtur: neque id iniuria: priusquam tuum ut sese habeat animum ad nuptias perspexerit.* Dura est traiectio verborum *tuum ut sese* cet.: durior est traiectio totius enuntiationis *priusquam — perspexerit*, quae post *succenseat* collocanda erat.

2) *a contextu:* idque tripliciter:

a) Quando contextus gravis est h. e. graves ideas continet. Tum vocabula has exprimentia priorem locum occupant, ut citius a lectore et auditore sentiantur; v. c. *grave mihi vulnus inflixit mors fratris mei:* hic recte *grave* praeponitur. Cic. Verr. V, 29. *Civem romanum securi esse percussum, Annius eques romanus dicit:* c. 33. *stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore.* Agr. II, 17. *Grave est enim nomen imperii* cet. Ad Div. II, 11. §. 2. *mirum me desiderium tenet urbis* cet. ep. 16. in. *Magno dolore me adfecissent tuae literae* cet. X, ep. 28. §. 7. *magnum damnum factum est in Servio.* Interdum et gravius vocabulum postponitur, si oratio per gradus quasi incedit, v. c. *abiit, excessit, evasit, erupit.* Not. tota res pertinet in primis ad gravitatem dicendi: cf. igitur Cap. *de Gravit.*

b) Quando contextus ambiguus fit vel fieri posse videtur; tum vocabula saepe alium locum obtinent,

ac natura ipsorum postulabat; v. c. *hominem egregium ob factum laudant* est ambigue dictum: dicas ergo vel *egregium hominem* vel *ob egregium factum*: sic *omnes sapientes laudant* pro *qui quae sapientes laudat* est ambigue dictum. Haec de vocabulis singulis. Ita et in enuntiationibus; v. c. *is, qui virtutem amat, quia officium sequitur, laudandus est*, ambigue dictum; nam quaeritur, quo verba *quia offic. sequitur* pertineant. Peccarunt hic prisci; v. c. Cic. Verr. IV, 25. *Is cum esset in Hispania praetor, qua in provincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est* cet. Verba enim *nescio quo pacto* tum ad *occisus est* tum ad *annulus aureus fractus est* referri possunt.

c) Propter clausulam absolutarum sententiarum, quas longiori vocabulo, in primis eo, cuius syllaba paenultima sit longa, terminari solere supra P. I. c. 6. *de numero* dictum est; ubi monui, hoc non fieri ob suavitatem, ut Cicero credit, sed ob perspicuitatem, totamque rem ad dicendum pertinere, quia, quo propius vox dicentis ad finem sententiae venit, eo remissior fit, ac plerumque syllaba ultima perit: hinc opus est syllabam praecedentem longam esse ac pluribus syllabis constare, ut, pereunte una syllaba, vocabulum ipsum animadvertatur. Hinc clauditur sententia saepissime ditrochaeo. At et omnino longiora vocabula, licet careant paenultima longa, in fine sententiae praeferuntur brevioribus. Hinc superlativi cet. saepe enuntiationes et sententias absolutas claudunt. Quamquam hic saepe incertum est, annon haec traiectio fiat ob gravitatem; saepe enim gravius vocabulum etiam postponitur ad exspectationem lectoris et auditoris excitandam. En exempla: Cic. Man. 2. *eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem:* Ib. cap. 6. *non solum adventus mali, sed etiam metus ipse adfert calamitatem:* c. 9. *Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit.* Nat. D. I, 20. *Hunc deum rite beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimum:* ibid. in fine: *quamquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit quam audiendi.* Ad Div. V, 12.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0296
DFG

V, 12. §. 18. *Expletur animus iucundissima lectionis voluptate.* In *neminem, calamitatem, effugit, laboriosissimum, audiendi, voluptate* inest gravitas: et haec causa videtur esse, cur ultimum locum occupent, non longitudo: saepe enim Cicero sententiam claudit et vocabulo breviori, cum haberet longius, quia illud gravius; v. c. ad Div. V, 12. §. 2. *nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis:* et statim: *tamen ignoscas velim huic festinationi meae:* ac saepius.

SECT. XXV.

4) *De connexione vocabulorum.*

Quartus fons perspicuitatis propior in verborum usu est *connexio eorum apta*, quo pertinet *connexio enuntiationum.* Hac saepe ambiguitati occurritur. Fit ea variis modis, v. c. per duplex *et*, *aut*, *neque* cet. per *qui*, *quae*, *quod* cet. De qua re dictum est supra P. I. c. 7. S. 1-3. Interdum tamen connexio debet interrumpi, ad declarandam animi perturbationem magnam, v. c. dolorem cet. Pertinet hoc ad perspicuitatem; quia tali modo perspicit lector vel auditor animum dicentis et scribentis esse commotum. Pertine huc ob eandem causam *aposiopesis.* De quibus rebus in cap. de gravitate dicemus, quia ad eam referri solet.

Haec de perspicuitate dicendi, quae claudemus hac admonitione, ut, si quid scribamus, saepius perlegamus et consideremus. Nam quod initio nobis videbatur planum, id post aliquod tempus videtur saepe nobis ambiguum et obscurum. Et cogitemus, quo magis perspicue scribamus, eo melius nos scribere.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0297
DFG

CAP. II.
DE GRAVITATE DICENDI.

SECT. I.
Quid sit gravitas dicendi.

Graviter dicere, nachdrücklich reden, est ita *dicere, ut auditoris animus moveatur* atque ita ad laetitiam, amorem, admirationem, spem, tristitiam, odium, timorem cet. incitetur. Gravitas igitur orationis quam necessaria sit, patet, quia sine ea nemo ad agendum vel fugiendum impelli potest. Sic et in scribendo. Iam nulla re moventur homines, nisi est gravis, seu in utramque partem magna, v. c. valde turpis, valde pulchra cet. *Gravitas* igitur *dicendi* versatur non nisi in rebus gravibus, ut possis eam sic definire, ut sit *virtus orationis ea, quae res graves ita tractat, ut graves esse vere adpareat*, s. brevius, ut sit *perspicuitas rerum gravium:* ut adeo gravitas tantum *obiecto* differat a perspicuitate, vel etiam hactenus, ut sit altior gradus eius, vel etiam sic, ut perspicuitas ad *mentem*, gravitas ad *mentem* et *animum* pertineat: illa doceat, rem esse certam, haec, rem esse gravem. Hinc gravitatem forsan in Cap. de perspicuitate tradere poteramus. Possis et gravitatem sic definire, ut sit virtus eloquentiae, qua efficitur, ut non modo mens auditoris et lectoris cum persuasione videat, rem esse certam, sed animus eius etiam simul moveatur.

Hinc sequitur, 1) omnem gravitatem inesse *rebus*, non *verbis*, et *res* s. *ideas* esse graves, non *verba:* hinc ne satis quidem recte dicitur *graviter dicere*, *gravitas dicendi*, it. *sublimitas orationis:* quemadmodum eum,

eum, qui verbis declarat, rem esse turpem cet. non dicimus *dicere turpiter* cet. At usus loquendi tolerandus. 2) de rebus tenuibus h. e. non gravibus graviter (mit Affect) loqui, esse frigide loqui. Peccant ergo, qui ubique movere cupiunt.

SECT. II.

De fontibus gravitatis remotioribus.

Fontes remotiores sunt hi:

I) *Animus generosus et ad honestatem, pudorem omnesque virtutes valde conformatus*, ut res magnas gravesque sentiat: atque aliis sentiendas deinde curare queat. a) Animus generosus s. excelsus est is, qui supra captum et sensum hominum cogitat et sentit h. e. ea contemnere scit, quae homines vulgo magni faciunt, v. c. divitias, honorem, laudem plebis, mortem cet. Sic Cicero, quia divitias contemsit, poterat contra Verrem gravissime dicere. Verba enim sunt echo cogitationum et animi. Post libertatem amissam periit Romae animus generosus. Ita et hodie est; quia homines nimis amant divitias cet. nimis timent contemtum, mortem cet. hinc hodie valde deest gravitas dicendi: hinc aliorum graves sententiae vulgo tantum ediscuntur cet. b) Virtutum acre studium pendet ab animo generoso. Hoc studium debet esse voluntarium. Tali studio praeditus semper graviter dicet: alius frigide loquetur.

II) *Ingenium praeclarum*, in primis *phantasia praeclara*, quae in re gravi cogitanda eius causas, effectus, aliasque ideas cum illa coniunctas facile in mentem revocat. Res enim per se non gravis est, sed ob ideas cum illa coniunctas; v. c. *mors patris* non per se movet, sed ob cogitationes coniunctas, v. c. *me nunc solum*

lum esse, me amisisse amicum optimum, defensorem cet. *incertam nunc esse fortunam meam* cet. Sic *mors ob patriam, egestas alicuius* nos non per se movet, sed ob coniunctas ideas.

III) *Doctrina lata* et *solida*, ut rem ex omnibus partibus intelligamus, atque ita sciamus eius *causas, effectus*, et *quomodo, quo consilio* cet. acta sit. Quae si nescimus, phantasia repetere nequit.

IV) *Cognitio humanorum animorum*, ut sciamus, qua parte eos adgrediamur. Sed hic ratio est habenda, cum quibus nobis res sit. Plebs plerumque difficilius movetur quam eruditus: quia huius phantasia ideas coniunctas in mentem facile revocat, illius non item. Qui voce sonantiori moveri solent, non huc pertinent.

V) *Cognitio opinionum* inter homines regnantium. Ab iis fere omnia pendent. Quia v. c. omnes hodie admirantur divitias, hinc si quem vident illas contemnere, stupent. Frustra Lacedaemone contemtum earum, ut rem magnam, proposuisses; non moti essent eorum animi; quia res vulgaris ibi erat. Ergo res alibi gravis, alibi non gravis est. Hinc adparet, cur contemtus mortis, honoris, laudis cet. apud nos res magna sit.

VI) *Linguae lata et adcurata cognitio*, ut scias vocabula cogitationibus magnarum rerum respondentia.

VII) *Auctoritas hominis*; a qua vulgo solemus pendere.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0300
DFG

SECT. III.

De fontibus gravitatis dicendi propioribus.

Huc pertinent sequentia:

I) In primis demonstrandum est, *rem*, qua alios movere volumus, *esse magnam et gravem*. Magnitudo *rei* adparet

1) e *fontibus* s. *causis* eius *magnis*. Quo maiores sunt causae rei, eo maior ipsa est; v. c. *virtus* est res magna, quia cupiditatibus, quas homo tantopere amat, valde resistendum: sic *doctrina*, *venia inimico data* cet.; sic *contemtus divitiarum*, *honoris* cet., quia sapientia requiritur h. e. scientia pretii rerum vere aestimandi.

2) ex *effectis* eius *magnis*. His in primis metimur rei magnitudinem. Quo ampliora, maiora et diuturniora sunt, eo maior est res; v. c. 1) de tota civitate vel terra mereri est maius quam de uno homine: hinc *pax* est maior *victoria*: sic Ciceronis oppressio Catilinariorum fuit res magna. 2) de *mente* hominis mereri maius est quam de *corpore* cet. Sic et in malis: *toti civitati*, *terrae*, nocere maius est quam *uni homini*, *corpori* cet.

3) e *modo*, quo res agitur. Maior est v. c. res cum magna difficultate et tamen feliciter peracta, it. si nullo cum damno aliorum, v. c. caede cet. peragitur. Beneficium censetur maius, si clam, libenter, cum specie honoris tribuitur cet. Sic et in malis rebus: v. c. *per vim detrahere* est maius, quam *clam*.

4) e *consilio magno*. Qui benefacit, non praemiorum spe sed virtutis studio cet. adductus, eius factum est maius factis aliorum.

5) ex *instrumento* h. e. rebus, quarum ope res fit; v. c. maior est victoria eius, qui cum exigua manu magnas hostium copias fudit: Sic *magna doctrina* hominis in egestate educati et subsidiis multis destituti est maior res quam doctrina alius.

6) e *temporis celeritate* et *opportunitate*: a) *celeritate*: v. c. beneficia cito tributa pluris aestimantur, quam sero data: sic Cicero Caesaris res gestas laudat ob celeritatem

ritatem Marc. 2. *nec celeritate* cet. sic de Pompeio Man. 12. *Ita tantum bellum — Pompeius extrema hyeme adparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* b) *opportunitate;* sic beneficium in tempore datum, est maius quam aliud: sic victoria in tempore reportata cet.

7) e *loci ratione;* v. c. auxilium e longinquo oblatum, est res maior quam e propinquo. Periculum contra, quo propius, eo gravius: sic proelium in loco non opportuno et tamen feliciter gestum est maius alio cet.

8) e *personarum conditione, dignitate, relatione* erga nos cet.; v. c. donum a rege, vel a sapiente profectum, it. laus regis vel hominis prudentis ac clarissimi, it. inimici cet. pluris aestimatur quam laus vel beneficium alius hominis. Sic liberalitas pauperis est maior res, quam divitis. Odium regis, parentum cet. erga nos est res gravior, quam aliorum. Sic peccata senis vel hominis amplissimo munere fungentis, v. c. ebrietas cet. graviores res sunt, quam eadem peccata adolescentum. Hinc gravissime peccavit Verres, praetor Siciliae, quod *stetit soleatus muliercula nixus in litore,* Cic. Verr. V, 33. et *tunica pulla indutus in officina sedere solitus est,* lb. IV, 24.

9) e *comparatione rei cum re magna.* De hac re supra C. I. S. XVII. dictum. Comparatio rei magnitudinem vel gravitatem, atque ita magnam vel pulchritudinem vel turpitudinem vel utilitatem cet. praebet demum auditori lectorive vere conspiciendam. Comparamus ergo a) *pares res* inter se; ubi sic concludimus: debere eas esse in eadem laude, honore, contemtu cet. b) *maiores res cum minoribus;* ubi sic concludimus: si minor res tanti fiat, maiorem pluris fieri debere. Cicero comparat *victoriam sui* s. clementiam cum victoria ab hostibus reportata Marc. 2. Sic et in rebus malis, v. c. si homicidium est res gravis, quanto gravior res parricidium sit necesse est? c) *rem cum re contraria,* v. c. *avaritiam* cum *liberalitate, ignaviam* cum *industria, pacem* cum *bello* cet.

Eodem modo comparantur et inter se personae, quamquam in iis res proprie, v. c. *vitia, virtutes, facta*

facta comparantur: v. c. a) *personae pares:* ubi ita concludimus, ut supra in rebus. Sic Cicero comparat Archiam cum Homero et Ennio Arch. 6 et 9. It. se cum Romulo Cat. III, 1. hactenus, quod hic Romam condidit, ipse servavit, quamquam se illi recte praefert. b) *personae maiores cum minoribus*, gravius laudandi vel vituperandi causa. In *laudando* ita concludimus: *Si is, qui minorem rem egit, laudatur, s. pro magno habetur, sequitur, ut, qui maiorem rem egerit, pro maiori habendus sit.* Sic in *vituperando: Si is, qui levius peccatum commisit, pro turpi poenave digno habendus, quanto magis is, qui maius?* Sic Cic. Rosc. Am. 39. *In minimis* cet. ubi docet, si negligens mandatum privati poena dignus sit, eum, qui publicum negligat, maiori dignum esse. Maior fit gravitas, si homo cum omnibus hominibus comparatur ita, ut vel melior vel peior videatur; sic Cicero Pompeium praefert ceteris imperatoribus, Manil. 10. *Nunc vero cum sit unus Pompeius* cet. In malam partem de Verre, v. c. Verr. I, 8. *Quis est, qui hoc non ex priore actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in unum locum conferantur, vix cum huius parva parte aequari conferrique posse?* c) *personae contrariae:* sic Cicero ad Verrem deprimendum et acrius vituperandum comparat eum cum *Africano* Verr. IV, 35. cum *Pisone*, diligentissimo homine, Verr. IV, 25. cum *Marcello* Verr. IV, 54, 55. Gravius est, quando homo cum bestiis comparatur; v. c. Cic. Rosc. Am. 22. dicitur parricida bestias immanitate vincere: *Portentum atque monstrum certissimum est* cet.

Sunt praeterea alia adiumenta, quae ad gravitatem magnitudinemque rei vel declarandam vel magis sentiendam valent. Huc pertinent

II) *Circumscriptio magnae ideae per definitionem* vel *descriptionem.* De hac re diximus supra Cap. I. Sect. 15. it. P. I. c. 9. Sect. 2. n. IX. In primis gravitati rei serviunt circumscriptiones eae, in quibus argumentum inclusum latet; v. c. Cic. Rosc. Am. 22. ubi pro verbis: *monstrum est, homines posse suos parentes occidere* dicitur: *portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit.* Inest argumentum, cur tale quid non fieri debeat. Agr. II, 12. *Videte nunc, eos, qui a vobis nihil potestatis adceperint, quanto maioribus ornamentis adficiat, quam omnes nos adfecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis.* En argumentum in verbis: *eos, qui — adceperint* i. e. *decemviros.* Cic. Font. 14. *Videte igitur, utrum sit aequius, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum, dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus quam reddi amicis.* Per *hominem honestissimum* cet. intelligit *Fonteium:* sed inest argumentum, cur non deceat condemnari ob istos homines. Cic. Phil. III, 14. *Quod si iam — fatum extremum reipublicae venit, quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum gentiumque omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus.* Gravissime dictum! *Principes orbis* cet. pro *senatores* et *cives romani.* Sic *avarus optat, quod habet* pro *divitias.*

III) *Partitio* s. *dissolutio Totius in suas partes, Generis in species.* Nihil magis, ut perspicuitati, ita gravitati prodest; v. c. *amisi parentes, domum, honores, dignitatem* pro *omnia:* sic *laudant eum docti et indocti, laudant cives et externae nationes, laudant principes et inferiores* pro *omnes.* Sic Cic. Marc. 2. *Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil prae-*

praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit pro *exercitus*, Cic. Arch. 7. dicere cupiens, ſtudia humanitatis prodeſſe *ubique* et *ſemper*, ita loquitur: *Haec ſtudia adoleſcentiam alunt* (Edd. *agunt*), *ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.* Add. ſupra c. 1. ſect. XVI. et P. I. c. 9. de copia Sect. 2. n. X. B. et Sect. 3. n. I.

IV) *Pictura rei* ſ. *deſcriptio rei vivida*, quae efficit, ut rei intereſſe videamur. Efficitur adferendis eius partibus in ſenſus cadentibus. Rhetores eam, ſi brevior eſt, *hypotypoſin*, ſin longior, *diatypoſin* vocant: quae diviſio eſt nullius utilitatis. Debent non nimis longae eſſe, nec ubique adhiberi, ſed tantum in re gravi. Pleni earum ſunt hiſtorici, it. Cicero in Verrinis, pro Mil., in Philippicis cet. v. c. Liv. I, 13. *Tum Sabinae mulieres — crinibus paſſis, ſciſſaque veſte — auſae ſe inter tela volantia inferre ex transverſo impetu facto dirimere infeſtas acies* cet. c. 25. *Foedere icto trigemini — arma capiunt — Confederant utrinque pro caſtris duo exercitus periculi magis quam curae expertes — datur ſignum; infeſtisque armis, velut acies, concurrunt. Vt primo ſtatim concurſu increpuere arma, micantesque fulſere gladii, horror ingens ſpectantes perſtringit et neutro inclinata ſpe torpebat vox ſpiritusque* cet. Sic brevis narratio de Fufetio dilacerato c. 28. Cic. Verr. I, 30. *Conſtituitur in foro Laodiceae ſpectaculum acerbum — grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius* cet. Cic. Verr. V, 33. *ſtetit ſoleatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari muliercula nixus in litore.* Ibid. 38. *in portu Syracuſano — reſpergerent.* Cic. Phil. II, 41. *perſonabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes* cet. Sed videndum, ut pudori conſu-

lamus:

lamus: peccavit hic Cicero Ibid. 25. *In coetu populi romani — magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens fructis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal complevit.*

V) *Testimonium* magnorum sapientumque virorum: vid. supra in Cap. de *perspic.*; ubi monui non ante testimoniis utendum, quam res argumentis confirmata sit. Nam testimonia hominum sunt nonnisi *iudicia:* in quibus quis non labi potest? Excipiuntur tamen 1) testimonia librorum divinorum, 2) testimonia hominum in rebus historicis. In primis gravitatem rei adiuvat *testimonium adversarii* in rebus bonis, s. *laus.*

VI) *Sententia acuta et gravis.* Sententia est enuntiatio generalis e vita sumta. Est *acuta*, si inest sensus reconditus; *gravis*, si inest argumentum. Sed argumenta tecta magnam vim habent. V. c. quando de Socrate dixi, *eum non fuisse adpetentem divitiarum*, et addo: *sapientia (temperantia) enim paucis contenta est:* vel *sapiens (temperans) paucis contentus est.* Inclusum latet argumentum: *fuit enim temperans.* Saepe ita Cicero sententiis utitur; v. c. ad Div. IX, 14. §. 8. *Nam cum te semper tantum dilexerim — his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* Divin. in Caecil. 9. ubi Cicero vult, ut Caecilius suam integritatem et innocentiam ostendat, addit: *Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere:* pro *tu non es ferendus, si tu* cet. Cic. Rosc. Am. 22. postquam dixerat *parricidium esse rem incredibilem*, addit: *Magna enim est vis humanitatis, multum valet communio sanguinis, reclamitat istius modi suspicionibus ipsa natura.* In his locis omnibus enuntiationes omissae intelliguntur. De sententiis notanda haec: Debent esse 1) *verae:* vel saltem verisimiles ac plerumque ve-

rae,

rae, v. c. *Obsequium amicos* cet. quo proverbia pertinent: it. hyperbolicae, v. c. *nihil miserius stultitia;* quo et proverbia pertinent. 2) *non nimis longae,* 3) *non nimis crebrae,* ne magistri personam videamur velle agere: omnis enim sententia est praeceptum quoddam. Ad hanc iniucunditatem vitandam possumus sententias saepe aliorum nomine proferre, v. c. *Socrates non fuit adpetens divitiarum, quia sciebat, naturam paucis contentam:* vel cum aliis communicare; v. c. *nemo nescit, nostis*, cet. 4) *honestae.*

VII) *Loqui adseveranter et cum certa animi persuasione.* Hanc in rem oratores solent

1) *de re* praesente vel facta loqui ut *certa* et *manifesta:* hinc addere *certum est, quis non videt, quis est, quin sciat, omnes norunt, nemo dubitat* ac similia. Ita loquuntur non modo de re certa, sed e die verisimili tantum: v. c.: *nihil homini magis nocet quam otium,* vel *quis nescit, homini nihil tam nocere quam otium?*

2) *de rei effectu* vel *eventu tanquam certissimo;* v. c. *qui ad literas omni studio incumbit, sapiens fiet: haec res tam praeclara est, ut in perpetuo honore mansura sit* cet. ubi et formulae *certum est, quis dubitat* cet. addi possunt: sic Cicero millies: Verr. I, 5. *evolet ex vestra severitate: mihi credite, arctioribus apud populum romanum laqueis tenebitur: credet iis equitibus* cet. Agr. II, 18. *Intellexistis, quot res et quantas decemviri legis permissu vendituri sint:* debebat dicere *vendere possint.* Cicero adeo dicit, quid aliquis facturus fuisset, v. c. Phil. II, 27. de Antonii luxuria: *Quamobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse consumta. Nam modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset.* Hyperbolice dictum.

3) *de re futura ut iam praesente:* v. c. *Si ita pergis vivere, peris.* Sic in libris sacris prophetae: *Video iam: urbs laetatur, luget* cet. Sic et nos: *er stirbt gewiß.* Sic Cicero millies; v. c. Agr. II, 21. *sicque agro pergrande vectigal imponitur,* pro *imponetur.* Man. 17.

aut

aut cur non — eidem, cui cetera summa — commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus? pro *committemus:* sic et nostri.

4) Orator interdum e suo ingenio addit causam rei verisimilem, vel consilium, quod aliquis in re suscipienda secutus sit, cum tamen alia causa, aliud consilium fuerit, vel res temere acta sit: v. c. de homine docto, qui ad summos honores pervenit: *quomodo tantos honores consequi potuisset, nisi summa eruditione instructus fuisset:* sic de erudito dicere licet: *Contulit se ad literarum studia, non, quia parentes voluerant, sed ut mentem sapientiorem redderet* cet. Sic Cicero saepe causas pro libidine eque re sua addit; v. c. Arch. 7. de Africano, Laelio, Furio, Catone: *qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis adiuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent.* Verr. V, 66. ubi sermo est de Gavio, cive romano, quem Verres in crucem sustulerat ea parte Siciliae, quae ad fretum spectat: *Italiae conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille in dolore cruciatuque moriens perangusto freto divisa servitutis ac libertatis iura cognosceret, Italia autem alumnum suum servitutis extremo summoque supplicio adfixum videret.*

5) Orator et addit, quid homo in facto cogitaverit, crediderit, speraverit, timuerit cet. v. c. de intemperante: *iste homo nullum certiorem felicitatis fontem esse credidit, quam usum ciborum nimium,* vel *gulae servire,* vel alio modo. Sic Cicero millies, v. c. de Verre, Verr. II, 6. *Qui, simul atque ei provincia Sicilia obvenit, statim Romae — quaerere ipse secum et agitare cum suis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset* cet. Ibid. 30. *Iste, quasi meiueret* cet. Ibid. IV, 27. *Itaque* (Antiochus) *isto praetore venit Syracusas. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quia in eius regnum ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum praeclara habere et suspicabatur:* tandem: *postquam inde* (e convivio) *discessum est, cogitare* (Verres) *nihil aliud, — nisi quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque dimitteret.* Graviſſime loquitur Verr. I, 2. *tametsi de absolutione*

latione istius (Verris) *neque ipse iam sperat, nec populus romanus metuit.*

VIII) *Dilemma:* v. c. Cic. Quint. 26. *Vtrumlibet elige: alterum incredibile est; alterum nefarium, — Si enim illud diceres, improbe mentiri videretur, cum hoc confiteris, id te admisisse contendis, quod ne mendacio quidem tegere possis.* Divin. in Caec. 18. *Si summam iniuriam ab illo adcepisti; tamen, quoniam quaestor eius fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione adcusare: si vero nulla tibi facta est iniuria, sine scelere eum adcusare non potes.* Phil. II, 22. *O miserum te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis;* it. c. 23. in. ubi simul interrogatio est. Add. Curt. VII, 8. §. 6. *Si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non eripere; sin autem homo es, id, quod es, semper te esse cogita.*

IX) *Interrogatio:* quia indicat nos moto animo et cum persuasione animi loqui. Cic. Man. 10. *Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit aut esse debuit?* Gravior fit ea, si causa tecte includitur; v. c. *quis est tam obtusae mentis, qui non videat* cet. Augetur gravitas, si interrogatio repetitur; v. c. Cic. Div. in Caecil. 6. *tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes?* cet. Verr. II, 78. in. *Videtis Verrutium? Videtis primas literas integras? videtis extremam partem nominis, caudam Verris* cet. Interdum responsio additur, v. c. Cic. Verr. III, 53. in. cap. 67. med. cet.

X) *Exclamatio:* quia docet, nos esse commoto animo, nobisque de re esse persuasum; v. c. Cic. Phil. II, 22. *O miserum te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis* cet. At cum cautione ea utendum est.

XI) *Sermocinatio, Prosopopoeia, Apostrophe. Sermocinatio* est, quando hominem inducimus loquentem

cum aliis vel secum. Sic Cicero inducit Milonem Mil. 34. *Valeant, inquit, cives mei, valeant, sint incolumes* cet. Erucium adcusatorem Rosc. A. 21. *Cum hoc modo adcusas, Eruci, nonne hoc palam dicis: ego, quid adcuperim, scio, quid dicam, nescio.* cf. Auct. ad Her. IV, 43. *Sapiens saepe ita secum loquitur: non mihi soli, sed etiam — natus sum patriae* cet. Gravior est, si mortuos loquentes inducimus. *Prosopopoeia*, quando res, tanquam personae, loquentes inducuntur, v. c. Cic. Cat. I, 7. patria adloquitur Catilinam et rogat, ut discedat. *Apostrophe*, quando absentes homines, imo res inanimatas, v. c. parietes adloquimur, etiam mortuos. Sed hic iudicio opus est, ne ridiculi fiamus.

XII) *Repetitio idearum gravium crebra*, ut in animos penetrent. De ea dictum est in Cap. I. de *perspicuitate*, sect. 18. et sect. 23. n. XIV. Fit ea 1) vel per alia vocabula, v. c. Cic. Phil. II, 27. extr. *O audaciam nimiam! tu ingredi illam domum* (Pompeii) *ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu etiam illarum aedium diis penatibus os importunissimum ostendere:* ubi idea eadem ter repetitur. 2) vel per eadem vocabula a) *coniunctim;* quod *epizeuxin* vocant: v. c. Cic. Phil. II, 15. *Dolebam, dolebam, Patres conscripti, rempublicam* cet. c. 22. *Tu, tu inquam* cet. b) ab initio membrorum; v. c. Cic. Arch. 6. *Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas.* Cic. ad Div. IX, 14. §. 9. *Nihil est enim — virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* Cic. Verr. I, 15. *Necesse est semper aliquid eiusmodi moliatur: necesse est in simili audacia — versetur.* Haec repetitio dicitur *anaphora:* sitque gravior cum interrogatione, v. c. Cic. Div. in Caecil. 6. *tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere?* cet. c) in fine membrorum; quae repetitio vocatur *epiphora;* v. c. Cic. Verr. IV, 42. *Quid? is ubi est? praesto est, testis est.*

est. Cic. Phil. II, 22. *doletis tres exercitus — interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius* cet. d) ab initio et in fine simul, v. c. Cic. Agr. II, 9. *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi suffragiis privavit? Rullus* cet. Vocatur *Symploce:* sed ea cum cautione utendum. Add. dicta in Cap. de Perspic.

XIII) *Correctio ideae gravis per graviorem:* v. c. Cic. Verr. I, 3. *Non enim furem, sed ereptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum iudicium adduximus.* Ibid. IV, 27. *Venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri — videntur.* Ibid. V, 37. *ut ante Syracusani in moenibus suis, in urbe, in foro hostem armatum ac victorem — viderent:* cf. 66. *facinus est* cet. Cic. Phil. II, 26. *Tantus — te stupor oppressit, vel ut verius dicam, furor, ut* cet. c. 27. *Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? — Oceanus — vix videtur tot res — absorbere potuisse.* Cic. Phil. III, 1. *quippe cum bellum nefarium — non comparari, sed geri viderem.* Referri huc potest *Incrementum* sic dictum, (sed non differt a *Correctione)* v. c. Cic. Cat. I, 1. *hic tamen vivit. Vivit? imo etiam in senatum venit.*

XIV) *Confirmatio, adversarium rem concedere, nil contra dicere posse, vel nonnisi levia proferre:* v. c. Cic. Rosc. 16. ait adcusatori: *Age nunc, refer animum, sis, ad veritatem, — iam profecto te intelliges inopia criminum summam laudem Sex. Roscio vitio et culpae tribuisse:* c. 18. *nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta.* Ac sic ibi saepius.

XV) *Retorsio argumenti ab adversario prolati ita instituta, ut eo pro nobis utamur:* v. c. Cic. Div. in

Caecil. 19. *At vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam. Tu cum omnibus rebus inferior fis, hac una in re mihi anteferri putas oportere, quod quaestor illius fueris: ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te adcusatorem repudiari putarem oportere.* Totus locus est legendus.

XVI) *Concessio:* v. c. *largior, hoc ita esse* cet. Inest gravitas, quia sic indicamus, nos non omnia cupide ad nos trahere. Sic Cic. saepe, v. c. Ligar. 6. *Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere.* Rosc. Am. 38. *Nisi intellexeritis, iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eius scelus — violarit, — virum optimum esse iudicatote.*

XVII) *Praeteritio:* haec enim indicat nos magna copia instructos esse. Est duplex:

1) *Vera*, quando res praetereundas non recensemus; v. c. *Multa praeterea dicere possim: sed quid opus est, cum res iam manifesta sit?* Cic. Rosc. Am. 33. *Permulta sunt, quae dici possint, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi: quae non modo idcirco praetereo; quod te ipsum non libenter adcuso* cet. Cic. Verr. I, 17. *Praetermittam minora omnia, quorum simile forsitan alius quoque aliquid aliquando fecerit: nihil dicam, nisi singulare* cet. Cic. Verr. IV, 26. *Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi aut oratione complecti.* Cic. Man. 9. extr. *Multa praetereo consulto:* Cic. Phil. II, 25. *etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae.*

2) *simulata:* ubi res summatim recensemus: et de hac in libris rhetoricis tradi solet: Cic. Verr. I, 12. *Itaque primum illum actum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam: nihil a me de pueritiae suae flagitiis — audiet: nihil ex illa impura adolescentia: — Omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur. Vos — concedite pudori meo, ut aliquam*

aliquam partem de istius impudentia reticere possim — Sileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigiliis. Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat. Damna, dedecora, quae res patris eius, aetas ipsius, pertulit, praetereantur. Lucretur cet. Cic. Manil. 16. de Pompeii felicitate: *Itaque non sum praedicaturus, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut eius semper voluntati non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.* Cic. Agr. I, 7. *Non queror deminutionem vectigalium — Praetermitto illa —, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi romani possessionem, subsidium annonae, horreum belli — servare non potuisse; — Non dico, solum hoc in rep. vectigal esse, quod amissis aliis, remaneat — in pace niteat, in bello non obsolescat, militem sustentet, hostem non pertimescat. Praetermitto omnem hanc orationem et concioni reservo.* Cic. Phil. II, 25. *Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?*

XVIII) *Dubitatio*, quid primum dicamus, ubi incipiamus, desinamus: quod indicat, nos magnam copiam de re dicendi habere, et rem ipsam esse certam et magnam, atque ita nobis auctoritatem conciliat, maxime tamen apud plebem. Sic saepe Cic. v. c. Man. 1. *huius autem orationis* (de Pompeio) *difficilius est exitum, quam principium invenire.*

XIX) *Occupatio*, h. e. quando ipsi adferimus, quae contra nos dici possint, et refutamus. Longa occupatio est Cic. Man. 17 seqq. ubi refutat ea, quae Hortensius et Catulus de Pompeio contra Mithridatem dixerant: add. c. 20. *At enim nihil novi fiat* cet.

XX) *Praeparatio lectoris vel auditoris ad rem magnam*; v. c. his formulis: *Nunc venio ad rem singularem: Adtendite nunc ad rem* cet. Saepe ita Cicero, v. c. Verr. IV, 45. *Audite etiam singularem eius cupiditatem.*

ditatem, audaciam, amentiam cet. Haec praemittit dicturus de signo Cereris per Verrem sublato. Ib. c. 48. narraturus, signum Cereris Ennensis per eundem sublatum, incipit: *Ad ea autem, quae dicturus sum, reficite vos, quaeso, iudices, — Rei magnitudo me breviter perstringere atrocitatem criminis non sinit.* Ibid. 27. dicturus de candelabro Antiocho regi cum aliis rebus sublato ait: *Venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi — videantur, in quo dii — violati* cet.

XXI) *Communicatio* cum auditoribus s. provocatio ad eorum intelligentiam et iudicium; v. c. *Ipsi haud dubie sentitis; Ipsi iudicate* cet. Sic auditor credit, de re certissima nos loqui. Sic Cicero saepe, v. c. Verr. II, 4. *Equum existimatis unquam* cet. ac statim: *Videte, quid potuerit* cet.

XXII) *Oxymora* h. e. duae ideae, quae alibi sibi repugnant, ita iunctae, ut sibi non repugnent; v. c. de avaro; *optat quod habet*, i. e. *divitias:* Inest argumentum stultitiae; quanquam proprie falso dictum est, quia non divitias, quas habet, sed incrementum earum optat. Sic Cic. Cat. I, 8. *cum tacent, clamant.* At inest merus lusus ingenii, pro *clamare videntur* h. e. *silentio suo mihi adsentiuntur.* Sic Virg. Aen. VII, 295. Iuno de Troianis ait: *Num capti potuere capi?* Est lusus ingenii veritatis expers. Hinc in oratione seria raro et caute oxymora adhibenda esse puto.

XXIII) *Ironia*, de qua P. I. c. 2. S. XV. dictum; v. c. de virtutis inimico: *Videte, quanti virtutem aestimet! Videte magistrum, unde virtutis exemplar et praecepta petere possitis.* Cic. Verr. II, 31. de Verre: *Retinete, retinete hominem in civitate, parcite et conservate, ut sit, qui nobiscum res iudicet* cet. Ibid. 11. *Quo*

loco

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0314
DFG

loco mihi non praetermittenda videtur praeclara imperatoris egregia ac singularis diligentia. Cic. Catil. IV, 10. de se, postquam de magnis imperatoribus dixerat: *erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae; nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur.* Gravis est ironia: sed hodie raro ea utendum est, in oratione quidem seria. Oratorem decet serio loqui.

XXIV) *Adiectio causae*, ob quam res pro vera habenda: nam nisi vera est, nec magna esse potest. Dixi de adiectione causarum in Cap. I. de perspicuit. Sect. 6, ubi monui eam vel diserte fieri per *nam* cet. vel tecte.

XXV) *Brevitas dicendi* ea, qua ideae, facile intelligendae, omittuntur, atque ita ideae graviores arctius coniunguntur; v. c.

1) omittitur notio antecedens; v. c. *fortissime pugnans cecidit* pro *occisus est et cecidit.* Sic: *Regis epistola adfertur; adcusati statim necantur* pro *epistola, in qua scriptum erat, ut adcusati statim necarentur* cet. Cic. Verr. V, 54. *Haec cum maxime loqueretur, sex lictores eum circumsistunt, caedunt acerrime virgis* cet. ubi deest *adcedunt, expediunt virgas* cet. Virg. Aen. IV, 582. *Litora deseruere: latet sub classibus aequor.* Sic ante *enim* deest enuntiatio, v. c. Cic. ad Div. IX, 14. §. 14. *Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae. Sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius:* ubi ante *Legi enim* cet. deest: *id quod ex concione tua elucet.* vid. plura P. I. c. 10. de brevitate, Sect. 2. n. II.

2) *Omittitur copula* inter vocabula et membra; v. c. *veni, vidi, vici.* Cic. Cat. I, 3. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam* cet. Cat. II, 1. *Abiit, excessit, evasit, erupit.* Ac sic millies. Est hic mos commoto animo loquentium.

3) *Omittitur* interdum *obiectum*, v. c. *veni, vidi, vici*; sic illud Aristippi ap. Cic. ad Div. IX, 26. §. 6. *Habeo (Laida), non habeor a Laide:* sic Senec. de ira I, 16. de adfectibus: *Habent, non habentur.* Virg. Aen. IV, 581. *rapiuntque ruuntque.*

Not. *Subiectum* non facile omitti debet, quia haec res nimium animi fervorem indicat, qui oratorem vix decet.

4) *Omittuntur* saepe in comparationibus vocabula *velut, quasi, instar* cet. v. c. *Pulvis et umbra sumus: honos est fumus: tu es mihi pater: dixit Iuno* de muliere imperiosa: quae omnes sunt metaphorae: unde patet metaphoram esse nonnisi brevitatem dicendi. Pertinent huc omnia fortiora vocabula, de quibus infra dicetur, v. c. Cic. Phil. II, 14. *agrorum nundinae* pro *quasi nundinae:* it. oxymora, v. c. *cum tacent, clamant, cum ratione insanire* cet.: non vero *otium negotiosum;* in his enim nulla repugnantia.

XXVI) *Brevitas dicendi* ea, qua paucioribus vocabulis plures ideae, imo singulis vocabulis totae enuntiationes exprimuntur; v. c. 1) paucioribus vocabulis exprimuntur plures notiones, v. c. *es similis patri* pro *es tali vultu* cet. *primus feci* pro *primus fui, qui* cet. vid. P. I. c. 10. Sect. II. n. I, 8, 9 seq. 2) uno vocabulo duo vocabula exprimuntur s. unum vocabulum ponitur pro duobus: v. c. *quin* pro *cur non: ita* pro *hoc consilio: negligo* pro *non curo* cet. vid. P. I. c. 10. Sect. I. n. I. 3) uno vocabulo enuntiatio tota exprimitur; v. c. *At* pro *possit mihi aliquis obiicere: Quod* pro *Quod adtinet ad id, quod* cet. *Ita* in iurando: *participium* pro *dum, cum* seq. verbo: *substantiva, adiectiva* pro *cum* cet. v. c. *senex didicit* pro *cum senex esset: utinam* pro *quam optandum est: falso, recte* cet. pro *falso egit, dixit* cet. Vid. P. I. c. 10. Sect. II. n. I.

XXVII) *Abruptum dicendi genus;* h. e. quando ideae non cohaerent. Est igitur genus ellipseos: v. c. *tale quid fieri potuisse?* scil. *credibile est?* Sic et nostri:

ſtri: *daß ſo etwas hat geſchehn können!* Cauſa eſt fervor animi. Cic. Verr. V, 44. *Hic cuncti Siculi — pertimeſcunt. Illam clementiam manſuetudinemque noſtri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque converſam? condemnari tot homines uno tempore nullo crimine?* Hic nihil eſt, unde pendeant verba *Illam clementiam* cet. Sic Cic. Roſc. Am. 22. legitur: *Quid poſtea? Erat ſane ſuſpicioſum. Neutrum ſenſiſſe? auſum autem* cet. Sed hic puto melius eſſe ſignum diſtinctionis poſt *ſuſpicioſum* deleri, et verba cohaerere: eſt enim ſermo de re aliena, ubi abrupto dicendi generi vix locus eſt. Cic. Catil. I, 9. *Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exſilium cogites?* Deeſt, unde pendeat *ut.* Ibid. *aquilam — ſciam eſſe praemiſſam? tu ut illa diutius carere poſſis, quam venerari — ſolebas? du ſollteſt ihn lange miſſen können?* ubi *fierine poteſt* non intelligi poteſt. Aliud abrupte dicendi genus eſt, quando ſequentia deſunt. Vocatur vulgo *apoſiopeſis* h. e. *ſilentium repentinum*, vel *ſilentium in medio contextu orationis:* Cicero vocat *reticentiam*, Celſus ap. Quintil. IX, 2. *obticentiam.* Triplex eſt haec reticentia: a) in familiari ſermone it. in epiſtolis, ſi omnia dicere dubitamus; ſic Cic. ad Div. XIV, 3. §. 9. *Si perficitis, quod agitis, me ad vos venire oportet: ſin autem: ſed nihil eſt opus, reliqua ſcribere:* ſcil. *nihil perficitis.* Hoc genus non eſt grave: niſi dicamus, Ciceronem prae nimio dolore iſta omiſiſſe. b) quando animus commotus linguam praecipitat; v. c. Virg. Aen. I, 135 (139) *Quos ego: ſed* cet. c) quando iniucundam rem ſilemus; v. c. Virg. Ecl. III, 7. *Parcius iſta viris tamen obiicienda memento: Novimus et qui te, transverſa tuentibus hircis; Et quo, ſed faciles, Nymphae riſere ſacello.* Hic ad *te* deeſt aliquid: forſan res

turpis: et talis reticentia laudanda. Sic Cic. ad Div. XII, 6, 4. *Res, cum haec scribebam, in extremum erat deducta discrimen. Brutus enim Mutinae vix ium sustinebat. Qui si conservatus erit, vicimus: sin, quod dii omen avertant: omnis omnium cursus ad vos:* Hic ad *sin* aliquid deest, v. c. contrarium *τῦ vicimus.*

XXVIII) *Oppositio idearum sibi contrariarum:* vulgo vocantur *antitheta.*

Haec oppositio 1) nihil aliud est quam comparatio duarum rerum contrariarum: hinc 2) non tam ad suavitatem quam ad gravitatem pertinet: quia opposita iuxta se posita magis elucent. 3) non modo ideae proprie sibi contrariae huc pertinent, sed omnes, quae quadam relatione diversae sunt sibique in certo contextu opponuntur; v. c. *abire, redire; fallere, falli* cet. 4) oppositio debet, si fieri potest, concinna, s. numerosa esse, ut singulae ideae singulis, binae binis cet. opponantur; v. c. Cic. Mil. 4. *Est haec non* scripta, *sed* nata *lex: ad quam* non docti, *sed* facti, *non* instituti, *sed* imbuti *sumus.* Cic. Cat. II, 11. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum* cet. Cic. Verr. III, 92. *Vides — in illo laudis causam habere, in te criminis; in illo beneficii, in te iniuriae.* Ibid. 4. *plures hic solus villas ornamentis fanorum, quam ille* (Mummius) *fana spoliis hostium ornasse* (videatur)? Cic. Verr. V, 6. *ut, quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reservares.* vid. in Cap. de *numeris orat.* 5) gravitas crescit, si contrariae ideae sibi arctius iunguntur; v. c. *fugiebat conventus sapientum, stultorum usu delectabatur: cave, ne, dum alios studeas fallere, fallaris ipse: mortalem immortales inimicitias exercere non decet: res est haud dubie utilis, necessaria nullo modo.* Sic Carbonis dictum Cic. Or. 63. *patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit:* et forsan coniunctio vocabulorum *sapiens*

et

et *temeritas* potius illum populi clamorem excitavit quam ditrochaeus *comprobavit*, ut Cic. ibi putat. Pertinent huc oxymora, v. c. *cum tacent, clamant* cet.

XXIX) *Honestatis virtutumque studium per totam orationem adparens:* sine hac re graviter loqui non potes. Hic opus est virtutum vere amicum esse. *Pectus enim est, quod disertos facit.*

XXX) *Repetitio eorundem vocabulorum, graves ideas continentium;* v. c. *Si lacrymae nihil prosunt, quid lacrymis indulges?* pro *iis: Si Christi nomen profitemur, Christi vitam imitari debemus.* Cic. Verr. III, 94. *Utrum, cum iudices sitis de pecunia capta, conciliata, tantam pecuniam captam negligere?* Recte: at *conciliata* abesse debebat: ibid. *an, cum lex sociorum causa rogata sit, sociorum querimonias non audire?* Cic. Arch. 2. *hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium* cet. Ibid. 4. *Est ridiculum ad ea, quae habemus, nihil dicere: quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare.* Cic. Phil. II, 22. *Omnia perfecit, quae senatus, salva republica ne fieri possent, perfecerat: cuius tamen scelus in scelere cognoscite:* ubi notes *perfecit, perfecerat,* et *scelus in scelere.* Cic. Mil. 11. *Insidias factas esse constat, et id est, quod senatus contra rempublicam factum iudicavit: ab utro factae sint, incertum est.* Gravis est repetitio *factas, factum, factae*, et de industria facta: a) *factum* constat. Cicero vero intelligit per *factum* callide *insidias*, cum senatus dixisset caedem Clodii *factam esse contra rempublicam;* cf. c. 5. b) *factum* (i. e. e mente senatus *Clodii caedes*, e mente Ciceronis *insidiae.*) est contra rempublicam: c) *facti* vero *auctor* incertus est h. e. incertum est, *uter insidias fecerit.* Vides, quam callide Cicero mentem senatus explicet. Liv. IV, 3. e vehementi oratione Canuleii:

nuleii: *si populo romano liberum suffragium datur, ut, quibus velit, consulatum mandet, et non praeciditur spes plebeio quoque, si dignus summo honore* (consulatu) *erit, adipiscendi summi honoris, stare haec urbs non poterit?* Notes *summi honoris* pro *eius.* Ovid. Met. I, 523. *nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes.* Sic Hom. Odyss. T, 204 ff. quinquies repetitur τήκεσθαι vel κατατήκεσθαι in suavi comparatione cutis (ac simul animi) Penelopes, audientis Ulyssem adhuc vivere, liquescentis cum nive liquefcente. Huc pertinet inversa vocabulorum eorumdem repetitio, quae vulgo ἐπάνοδος et interdum ἀντιμετάθεσις adpellatur; v. c. Quintil. X, 7. *Qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur.* Vellei. II, 117. *quam* (Syriam) *pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Plin. Pan. 17. *Non ideo* cet.

XXXI) *Mutatio languidiorum vocabulorum singulorum in fortiora.* Hic omnia vertuntur in linguae cognitione, memoria promta et mente commota. *Fortiora* s. *graviora* vocabula sunt duplicis generis:

A) *Vocabula vim maiorem per se continentia;* v. c. 1) *stertere* pro *dormire:* 2) *volare* pro *celeriter ire*, sic *advolare* cet.: 3) *prodere* pro *periculo exponere*, v. c. *vitam et pecuniam* Terent. Heavt. III, 1, 69: et Adelph. IV, 5, 58. *prodidisti te et illam miseram et gnatum:* it. pro *deserere;* sic saepe prisci: 4) *Nullus* pro *nullius pretii;* v. c. Cic. Amic. 26. *Nulla est igitur haec amicitia, cum* cet. Ad Div. VII, 3. §. 9. de Pompeio: *Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit;* sic et nostri. 5) Cic. Font. 16. *impetus terroresque depellit* pro *removet.* 6) Cic. Phil. II, 4. *personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino* pro *audiebantur voces — madebant pavimenta:* 7) Cic. Verr. V, 52. *tu — dies continuos complures in litore iacuisti*

pro

pro *fuisti*: 8) Ib. 55. *carcer ille*, — *quae lautumiae vocantur*, *in istius imperio domicilium civium Romanorum fuit.* Not. *domicilium* pro *locus*; sic *habitare in lecto* nostri dicunt de somni studiosissimo: 9) Verr. I, 4. *tot tantisque sceleribus coopertus* pro *plenus*: 10) *obvallatus* pro *munitus* Cic. Agr. II, 1. *Me — primum hominem novum consulem fecistis: ut eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis virtutique in posterum patere voluistis.* Peccavit tamen Cicero, quod dixit *locum* (i. e. consulatum) *rescidistis*: locus non rescinditur ipse, sed *vallum*, quo septus est: 11) *nundinae agrorum*, *oppidorum* cet. pro *venditio* Cic. Phil. II, 14. sic *ius nundinari* Cic. Verr. I, 46: 12) *excussus* pro *ejectus* Cic. Phil. II, 22. *consules ex Italia excussos* cet. Sic Virg. Aen. VII, 299. Iuno irata Troianos vocat *patria excussos*. 13) *dedecus naturae* Phaedr. I, 21. de asino pro *animali*, *quod est dedecori* cet. Not. In his omnibus est superlatio veritatis, et tota res cernitur in omissione particulae *fere* vel *quasi*, v. c. *nundinae* i. e. *quasi nundinae* cet. Sic et est in oxymoris; v. c. *cum tacent*, *clamant* i. e. *quasi clamant*. cf. supra n. XXII.

B) Vocabula, in quibus simul inclusa latet idea secundaria gravitatem augens. Inest igitur simul idea

1) *effectus* s. *consequentiae*; v. c. a) *miserum me reddidit* pro *valde mihi nocuit*: sic *perii* pro *miser sum*: *ridebis* pro *felix eris*; *flebis* pro *miser eris*, sic Gr. κλαύσεις. b) adcusator dicitur *damnare reum* vel *urbe eiicere* pro *adcusare* vel *efficere ut damnetur*, *atque ita urbe eiiciatur.* Sic *condemnare* Cic. Verr. V, 69. *Nam istum — condemnavi.* c) *redemtus* pro *captus* Cic. Man. 12. *Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati romani redemti sint?* Hic *redemti* pro *capti*, at gravius: inest *capti* simul. d) Virg. Aen. IV, 2. *coeco carpitur igne* pro *uritur*: e) Virg. Aen. VII, 303. *optato conduntur Thybridis alveo.*

veo, pro *veniunt* vel *sunt*: at in *conduntur* inest simul idea securitatis.

2) *causae*; v. c. Cic. Agr. II, 6. *quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni ac fortes consules restiterunt, et quia vis tribunicia non nunquam libidini restitit consulari.* Hic *libidini* pro *voluntati* s. *consilio* dictum est: at inest simul causa, cur huic voluntati restiterint, quia scil. haec voluntas fuerit mera *libido*, *Caprice*. Cic. Verr. I, 3. *ut ego hunc unum eiusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari expediret* pro *qui damnari praecipue mereretur*. Indicatur, eum nonnisi poena corrigi posse.

3) *firmitatis*; v. c. *stat sententia* pro *est* cet.

4) *certitudinis*; v. c. *repertus est sapiens* pro *fuit*.

5) *turpitudinis*; v. c. *polluere iura* pro *violare* Cic. Rosc. Am. 23.

6) *rei indignae ac molestiae*; v. c. *descendere ad conditiones* pro *conditiones licet duras adcipere*: it. *ad extrema*; cf. Cic. Verr. I, 38. *quo ego vellem, descensuros pollicebantur*. Sic nostri *sich herablassen*.

7) *dignitatis* s. *meritorum*; v. c. *iudicium* pro *honoribus*: it. pro *omni honore* ac *praemio*. Sic *iudicare* pro *putare*.

8) *rei terribilis, atrocis* Cic. Cat. II, 1. *Iacet ille nunc — et se perculsum atque abiectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget*. Hic *retorquet oculos* pro *respicit*: ac respicitur ad bestiam, cui praeda erepta est.

9) *tristitiae*; sic in loco modo adlato: *retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget*; ubi *luget* pro *videt*.

10) *laetitiae*, v. c. *gaudeo* pro *audio*, *video* cet. v. c. Cic. ad Div. XV, 8. *Marcellum tuum consulem factum, teque ea laetitia adfectum, quam maxime optasti, mirandum in modum gaudeo*: hic deest *audio*, sed latet in *gaudeo mirum in modum*, quod dictum est pro *magno cum gaudio audio*.

11) *curae*, v. c. *providi, ut rem istam adciperes* pro *feci*: sic *providere* pro *impedire, vorbeugen*; Ter. And. I, 3. *Quae si non astu providentur*.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0322
DFG

XXXII) Adiectio vocabuli ad vocabulum h. e. ideae ad ideam, ut huius gravitas adiuvetur. De hac adiectione universa late dictum est P. I. c. 9. de copia dic. Sect. 2 et 3. Hic tantum pauca ad gravitatem spectantia adferemus:

1) Adiicitur idea *effectus* s. *consequentiae*; v. c. *captum tenere* pro *cepisse*: *vana rupto iacuit corpore* pro *rupta est*: *pater aegrotus iacet, morbo confectus iacet* pro *est*: sic *domus incensa flagravit, miles confossus periit.* Sic Iuno Virg. Aen. VII, 297. *mea numina tandem fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi* pro *fessa sunt, exsaturata sum*: Ib. IV, 376. *Heu furiis incensa feror*: ib. v. 15. *si mihi non animo fixum immotumque sederet, ne cui me vinclo vellem sociare iugali*, ubi *sederet* additum est pro *esset*.

2) Additur idea *certitudinis*: v. c. *certum est, constat inter omnes, nemo nescit* cet. Cic. Man. 7. *Nam tum, cum in Asia res magnas multi amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse*: ubi *scimus* additum est: sic *sciatis* ibid. 12. *nobilissimas urbes captas memorem, cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestate sciatis.* Huc pertinent *non adduci possum, non fieri potest* cet. v. c. Cic. Agr. II, 1. *Neque enim ullo modo facere possum — ut non sim popularis.* Ib. 5. *negabant me adduci posse, ut ullam largitionem probarem.*

3) Additur idea *opinionis* h. e. *sententiae incertae adversariorum.* Sic Cicero saepe suspectos reddit adversarios; v. c. Agr. II, 3. *Sed mihi videntur certi homines, si qua in re non modo consilio verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi*, pro *si qua in re — lapsus fuero.*

4) Additur *notio argumenti* s. vocabulum argumentum continens; v. c. pro *deum odisse quis potest?* dicitur: *deum tam benignum quis* cet. sic *omnes laudant Ciceronis eloquentiam* pro *Ciceronem*: *ignovi eius adolescentiae* pro *ei*: *quis est tam stultus* s. *tam imperitus rerum, ut non videat* cet. vid. P. I. c. 9. Sect. 3. P. II. c. 1. Sect. 6. n. II, 6.

5) Ad-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0323
DFG

5) Additur *idea modi;* v. c. a) *neceſſitatis*, v. c. *neceſſe eſt, non poſſum facere quin* cet. b) *caſus;* v. c. *accidit, contigit* cet. c) *conſilii;* v. c. *faciendum putavi* pro *feci:* d) *conſuetudinis;* v. c. *ſolebat ius vendere* pro *vendidit.* Cic. Roſc. Am. 45. de Chryſogono: *Quae omnia ſi, quemadmodum ſolent liberti nequam et improbi facere, in patronum ſuum voluerit conferre.* Add. Cic. Act. I. in Verr. 16: *Nulla eſt enim laus, ibi eſſe integrum, ubi nemo eſt, qui aut poſſit aut conetur corrumpere* pro *qui corrumpat;* at illud gravius. Et ſtatim: *in hoc homine ſtatuetur, poſſitne, ſenatoribus iudicantibus, homo nocentiſſimus pecuniosiſſimusque damnari* pro *an hominem — damnaturi ſitis.*

6) Adiicitur verbum *ſum, reperior, invenior;* v. c. *Quis eſt qui neſciat* pro *quis neſcit! Quid eſt, quod fleas?* pro *quid fles?* Cic. ad Div. IX, 14. §. 11. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te haberem, poſſe aliquid adcedere?* Verr. I, 3. *Rapiunt eum ad ſupplicium dii patrii, quod iſte inventus eſt, qui e conſpectu parentum abreptos filios ad necem duceret* cet. Sulp. in Cic. ep. ad Div. IV, 12. §. 6. de Marcello: *et, cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus eſt amicus, qui ei mortem adferret.*

7) Adduntur et alia vocabula, quae vulgo *ſynonyma* vocantur, vel potius iunguntur per *et, ac* cet., vel etiam hac copula omiſſa. Dixi de hac re P. I. c. 9. Sect. 2. n. I. quo lectores reiicio. Differre tamen inter ſe debent, v. c. ut alterum indicet *cauſam*, alterum *effectum* vel *conſequentiam:* alterum *Genus* vel *Totum*, alterum *ſpeciem* vel *partem;* alterum fit *tropice*, alterum *proprie;* alterum *adfirmative*, alterum *negative* poſitum; alterum denique fit altero fortius. Poſſunt quoque tria et plura ita iungi; v. c. Cic. Verr. I, 2. *pro cetera eius audacia atque amentia:* Cic. Agr. II, 11. *iique ab his initiis fundamentisque naſcuntur.* Cic. Phil. II, 25. *Veniſti — in ſinum et in amplexum tuae nimulae:* c. 44. *eripiet, extorquebit tibi* cet. Cic. Marc. 1. *dolebam — et vehementer angebar:* c. 2. *aemulo atque imitatore ſtudiorum meorum.* Add. ſupra loc. cit. dicta, ubi et monui, iungi et apud priſcos vocabula, parum vel nihil inter ſe diverſa; v. c. Cic. Cat.

Cat. I, 5. *non patiar, non feram, non finam.* Verr. V, 37. *victa atque superata.*

8) Additur interdum, fervore animi impellente, vocabulo vocabulum, quod plane redundat, et hactenus tantum prodest gravitati, quod commotum dicentis animum indicat. Vocatur *pleonasmus* h. e. *redundantia:* v. c. *his oculis vidi, his auribus audivi* cet.

XXXIII) *Mutatio unius enuntiationis in plures:* diutius enim immorando iisdem ideis fiunt hae graviores. Fit hoc pluribus modis, v. c. quando, pluribus subiectis, commune praedicatum habentibus, singulis praedicatum tribuimus; v. c. Cic. Arch. 8. *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt* cet pro *Colophonii, Chii, Salaminii* cet. *dicunt Homerum esse suum:* sic *luget senatus, moeret equester ordo* cet. pro *omnes:* it. praeponenda causa, v. c. *Deus est tam potens, ut omnia efficere possit,* pro *deus omnia efficere potest:* it. addendo effectu; v. c. pro *deus est valde potens* dicitur: *est tam potens, ut omnia possit efficere:* it. coniungenda et adfirmante et negante enuntiatione; v. c. *non est iam lenitati locus: severitatem res ipsa postulat.* vid. plura supra P. I. c. 9. Sect. 3. ubi latius de ista re actum est.

XXXIV) *Crebra repetitio copulae tum inter singula verba, tum inter membra et enuntiationes.* Vocatur *Polysyndeton* a Quintiliano: alii vocant *polysyndeta* i. e. *saepe iuncta.* Videtur huius repetitionis hic usus esse, ut in recitandis multis rebus earum multitudo maior adpareat; v. c. *deus nobis et vitam et sanitatem et mentem dedit.* Cic. sic saepe, v. c. Verr. II, 5. *tot et tantae et tam graves civitates* cet. Rosc. Am. 5. *quo facilius et huius hominis — miseriam et illorum audaciam cognoscere possitis et reipublicae calamitatem.* Mil. 11. *Sin hoc et ratio doctis et necessitas barbaris et mos gen-*

tibus et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim — a corpore, a capite, a vita sua propulsarent. In hoc loco sunt *polysyndeta* et *asyndeta.*

XXXV) *Collocatio verborum gravis* h. e. ut eo ordine ponantur, quo maiorem vim exserere possint. Dicta de hac re quaedam sunt supra Cap. I. Sect. 24. Verbum gravius interdum praeponitur, interdum postponitur.

1) *praeponitur;* v. c. *Civis romanus sum*, non *sum civis rom.* clamat ille Gavius Cic. Verr. V, 62. cum cruci adfigebatur: Agr. II, 17. *grave est enim nomen imperii:* ad Div. II, 4. §. 6. *Est tibi gravis adversaria — incredibilis exspectatio:* ep. 11. §. 2. *mirum me desiderium tenet urbis:* V, ep. 21. in. *Gratae mihi tuae literae fuerunt.* Not. Omnis gravitas pendet a contextu et adfectu dicentis; neque igitur certa regula dari potest: v. c. *magnum tuum est peccatum* et *peccatum tuum est magnum* recte et cum gravitate dici potest: interdum prius, interdum posterius est gravius.

2) *postponitur;* in primis ad exspectationem opprimendam: hic decet per gradus adscendere; v. c. Cic. Verr. I, 3. *Agunt eum praecipitem poenae civium; quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes iura libertatis et civitatis in crucem sustulit:* grave est *percutere securi — civem*, gravius *in vinculis necare*, gravissimum *in crucem tollere.* Phil. II, 25. *quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?* Ibid. obiicitur Antonio *in urbe auri, argenti, maximeque vini direptio:* hic *vinum* occupat ultimum locum, quia ille in primis *vino* deditus erat.

XXXVI) *Clausula gravis sententiae absolutae:* de qua dictum est P. I. c. 6. Sect. 3. Gravitas huius clausulae consistit in eo, 1) ut longius vocabulum sententiam claudat; v. c. *amandavit, fateretur:* 2) ut paenultima huius vocabuli sit longa: 3) ut huic paenultimae insit vocalis sonora, qualis est *a, e, o*, in quibus eminet *a.* Sed haec tria supra monui magis ad perspicuita-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0326
DFG

cuitatem, quam ad gravitatem et magis ad dicendum, quam ad ſcribendum pertinere. Lector non tam curat, qualia vocabula in fine ſententiae ſint, quam auditor: qui ſi unam alteramve ſyllabam vocabuli non audit, totum vocabulum facile perit: hinc longum eſſe decet, et in paenultima longam vocalem eamque ſonoram, ſi fieri licet, habere. 4) ut ultimum ſententiae abſolutae membrum paulo longius reddatur, quod facile fit per *copiam dicendi* ſupra explicatam; v. c. adiectione ſynonymorum, in primis verborum graviorum; ut *victa atque ſuperata* pro ſolo *victa;* Cic. Cat. I, 13. *gravius vehementiusque adflictantur:* Ibid. *omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis*, vel adiectione verbi ad verbum; v. c. *faciendum putavit* pro *fecit:* ſic Cic. Man. 1. *tribuendum cenſuerunt* pro *tribuerunt;* Cic. Verr. V, 37. *penetrare coeperunt.*

XXXVII) *Concinnitas membrorum*, quae et nomen *numerorum oratoriorum* gerit, in eoque conſiſtit, ut membra ſibi pari idearum numero reſpondeant. Continet utique aliquid gravitatis, ut in cantando numeros muſicos obſervare gravius eſt, quam eos negligere; v. c. *non opinionis levitate, ſed argumentis ductus feci* minus grave eſt, quam *non opinionis levitate, ſed argumentorum gravitate ductus* cet. Vid. plura exempla P. I. c. 6. Sect. 3. ubi de tota re adcurate diximus.

XXXVIII) *Delectus literarum* et *ſyllabarum*, ut certe vulgo credunt. 1) *literarum;* v. c. R putant convenire rei triſti, terribili; hinc talia vocabula, ut *mors, terror, horrendus* praeoptanda putant: hinc Virgilium dixiſſe: *Monſtrum horrendum* de Fama. Quis vero hoc certo ſcit? Vocabula, in quibus R eſt, caſu inventa: et ſunt in iis multa, in quibus nihil horrendi eſt; v. c. *aratrum, ergo, carmen, formoſus, dormio* cet. Omnis gravitas in ideis, non in ſono eſt: ac ſic

priſcos iudicaſſe credo. Ac ſi quis mihi *obitum liberorum meorum* nuntiat, nonne is aeque triſtis eſt nuntius, ac qui *mortem eorum?* licet in *morte* inſit R, in *obitu* non ſit. 2) *ſyllabarum.* Cicero pedes poeticos alios aliis putat eſſe graviores: ſed ipſe incertus eſt, ut in Cap. de *numeris* monui. Ac ne pertinet quidem ad nos iſta res, quia ſyllabarum quantitatem in pronuntiando non ubique obſervamus. Putant nonnulli Virgilium illo verſu lento: *Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt,* Cyclopum, qui tamen tanto operi haud dubie pares erant, operam difficilem et tarditatem quandam, et contra verſu illo celeri: *Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum*, celeritatem quandam exprimere ſtuduiſſe. Quis hoc certo ſcit? Imo credo, Virgilium omnem gravitatem in idearum gravitate, non in verborum ſono poſuiſſe: ac reperiuntur multi verſus in Virgilio, ubi de re celeri vel laeta ſpondei, de re triſti vel tarda dactyli uſurpantur; v. c. *Saltantes Satyros* Ecl. V, 73: et, *Sic fatur lacrymans* cet. In ſono verbi non eſt gravitas. Omnis gravitas, omnis laetitia, triſtitia cet. quae ſono ineſſe videtur, oritur ex ideis, quae cum ipſo ſono coniungi ſolent; v. c. idem ſonus campanarum eſt laetus, triſtis cet. prout res eſt, quae iſto tempore cogitatur: tempore, quo liberi noſtri ad ſepulturam efferuntur, eſt triſtis: alio tempore eſt laetus, v. c. quando dies feſtus eſt cet. Ac ſi quis de literarum et ſyllabarum delectu anxie cogitaret, interim ideae graves ipſae omnes effugerent. Vt ferro, ita ingenio utendum eſt, dum candet.

XXXIX) *Vocis gravitas* in dicendo: qualis fuit in Cicerone ac Demoſthene. Illius vicem in ſcribendo quodam modo ſuſtinent ſigna *interrogationis*, *exclamationis*, *parentheſeos*; it. *lineola transverſa*, quae ſignum *reticentiae* ſ. *apoſiopeſeos* eſſe ſolet.

Haec

Haec de gravitate dicendi. Legantur hic Ciceronis Orationes, v. c. Verrinae, Manilliana, Agraria secunda, Catilinariae, Sextiana, Miloniana, Philippica secunda cet. it. Livianae. Ad gravitatem dicendi pertinet sublimitas dicendi, quia ab ea nonnisi gradu differt. Attamen de ipsa, quia mos ita fert, infra Append. III. paucula seperatim dicemus.

CAP. III.
DE SVAVITATE DICENDI.

SECT. I.
Quid sit suavitas dicendi?

Suavitas dicendi est virtus orationis, quae efficit, ut placeamus lectoribus et auditoribus, atque ita ab iis libenter legamur et audiamur. Intelligitur ergo hic suavitas honesta et honesto homine digna, non ea, quae cachinnos commoveat cet. Vocari et potest *gratia*, it. *venustas* a *Venere*: haec enim h. e. amor efficit, ut amans amanti placere studeat. Hinc et *venus* pro *gratia* dicitur, it. *veneres*.

SECT. II.
De eius necessitate.

Suavitas orationis et dicenti et scribenti summe necessaria est. Ab ea enim pendet omnis adtentio lectoris et auditoris: sine qua nec potes persuadere lectoribus auditoribusve, nec eorum animos movere.

SECT. III.

De fontibus ſuavitatis dicendi remotioribus.

Fontes remotiores ſunt hi:

I) *Ingenium praeclarum* et *hilare*, quod in varias formas ſe vertere, ſeque ad auditores lectoresque accommodare poſſit.

II) *Doctrina lata* et *ſubtilis*, ut ſcias multa, quibus oratio varietur, ſententiae priſcae alia veſte donentur cet.

III) *Cognitio animorum humanorum*, ut ſcias, quid iis placeat, quid non. Multi putant, quidquid priſci dixerint, id per ſe et ubique placere debere. Male. Nam a) priſci erant homines: b) omnia praeclare dicta, ſi ſemper eodem modo dicuntur, amittunt tandem gratiam.

IV) Lectio librorum ſuavitate iuſta conditorum.

SECT. IV.

De fontibus ſuavitatis dicendi propioribus.

Suavitas iſta *dicendi* adiuvatur

I) *Perſpicuitate dicendi.* Haec per ſe ſuavis eſt, ut omnis obſcuritas moleſta. Nam 1) omnis homo gaudet, ſi quid facile intelligit: exemplo ſunt pueri. 2) omnis homo diſcere et ſuam cognitionem augere cupit, paucis exceptis: ubi tamen cauſa forſan latet in parentibus vel magiſtris.

II) *Gravitate dicendi* h. e. quando res ita tractatur, ut eius magnitudo, pulchritudo, turpitudo cet. ſentiatur. Placet enim nobis commotio animi noſtri: lacrymae quoque noſtrae nobis interdum placent.

III) *Iuſta et brevitate et copia dicendi* h. e. quando neque nimis multa, neque nimis pauca dicimus. Sed

a) hoc

a) hoc difficile est et iudicium requirit: b) materiae et lectorum auditorumque ratio est habenda.

IV) *Modeste atque adeo demisse de nobis nostrisque virtutibus et factis loquendo.* Placet enim hoc vulgo. Quantum laudis nobis tribuimus, tantum aliis detrahere videmur. Sic Cicero; v. c. Rosc. Am. 1. *Credo ego vos mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores — sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neque a tate, neque ingenio — sim cum iis, qui sedeant, comparandus:* cap. 2. *His de causis ego huic causae patronus exstiti, non electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere* cet. Huc pertinet, quando dubitanter de nostris viribus ac meritis loquimur; v. c. *si quid scio, possum* cet. Sic Cic. Arch. 1. in. *Si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum* cet. Man. 1. *si quid dicendo consequi possum* cet.

V) *Modestia et humanitate erga alios declaranda:* Sic Cic. millies, v. c. ad Div. IV, 2. §. 3. Sulpicio, qui consilium petierat, scribit: *quid est, quod audeam suadere tibi homini summa auctoritate summaque prudentia?* Egregie *audeam* pro *possim* aut *velim:* et addit causam: *homini summa — prudentia:* §. 10. *Tu, si videbitur, ita censeo facias, ut, si habes iam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris: sin autem est, quod mecum communicare velis, ego te exspectabo. Tu, quod commodo tuo fiat, quamprimum velim venias.* Omnia modeste: a) *si videbitur:* b) *censeo facias:* c) *supersedeas labore itineris:* d) *communicare velis:* e) *ego te exspectabo:* f) *quod commodo tuo fiat.* Ad Div. IV, 3. §. 3. *prospexi tempestatem futuram: neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente et denuntiante te.* Ib. §. 10. *Hactenus*

existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus levari possent molestiae tuae. Reliqua sunt in te ipso cet. Egregie Ibid. §. 13. *Nihil faciam insolenter: neque te tali vel scientia vel natura praeditum hortabor* cet. Ad Div. V, 8. §. 9. *Is enim tu vir es, et eum me esse cupio, ut — coniunctionem amicitiamque nostram utrique nostrum laudi sperem fore.* Egregie *eum me esse cupio* pro *is sum.* In primis in petendo Cicero humanitatem servat: nihil petit, nisi ita, si fieri possit, si a dignitate amici non alienum sit cet. v. c. ad Div. XIII, 17. §. 6. *si tibi sit cognitus:* ep. 26. §. 6. *quod commodo tuo fieri posset:* ep. 37. *peto a te, ut tantum ei commodes, quantum tua fides dignitasque patiatur.*

VI) *Observanter loquendo de magnis hominibus omnibusque, qui vel meritorum splendore vel munerum amplitudine vel generis nobilitate excellunt.* Sic Cicero; v. c. ad Div. V, 8. §. 6. *De me sic existimes — velim, non me repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse, sed* cet. ubi *amplecti alicuius amplitudinem officiis* dictum pro *amicum alicuius fieri:* ac statim pergit: *Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi observantiam neque mihi tuam summam benevolentiam ac liberalitatem defuisse:* ubi *observantiam* pro *amorem, benevolentiam* dictum. Quaeritur ergo, annon contra observantiam peccent, qui dicant *Jesulein, Engelein, Engelchen?*

VII) *Leniter loquendo de inimicis nostris.* Sic Cicero; v. c. ad Div. III, 9. §. 3. *intellexique in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent,* pro *qui inimicitias inter nos excitare studerent.* Sic pro *odisse aliquem* dicitur *non favere alicui, non amicum esse eius* cet.

VIII) *Le-*

VIII) *Leniter vel tecte vituperandis hominibus.* Sic Cicero; v. c. Rosc. Am. 1. de patronis causarum tum clarissimis, quod ob Sullae metum defensionem Roscii suscipere noluerint; *quia, si quis istorum dixisset, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo, si verbum de republica fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est, multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur.* Ad Div. I, 8. §. 9. *Amissa est* (dignitas consularis) *culpa eorum, qui a senatu et ordinem coniunctissimum et hominem clarissimum abalienarunt,* pro *culpa hominum improborum.* Huc pertinet illud Socratis a petulante quodam colapho percussi: *Video mihi in posterum cum galea incedendum esse:* et illud Siculi repudiantis patronum causae stultum a Praetore sibi datum: *Quaeso, praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.* Huc pertinet de vinoso: *non est inimicus vini:* de voracе: *sapit ei cibus egregie* cet.

IX) *Significando ubique, nos esse faciles, clementes, mansuetos, iustos omniumque virtutum amantissimos.* Placet hoc et iis, qui vitiis dediti sunt. In primis placent virtutes beneficae. Huc pertinet a) animi grati significatio; v. c. Cic. ad Div. I, 1. in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio:* b) quando officia promittimus; v. c. Cic. ad Div. V, 8. §. 11. *polliceor eximium et singulare studium in omni genere officii, quod ad honestatem et gloriam tuam spectat: in quo, etiamsi multi mecum contendent, tamen cum reliquis omnibus tum Crassis tuis iudicibus omnes facile superabo,* et sic §. 13, 14, 15: c) quando dolemus, nos non posse alios satis iuvare; v. c. Cic. ad Div. IV, 13. §. 10. et I, ep. 1. in. cet. d) quando excusamus, quae aliis ingrata esse putamus, et addimus, facta esse casu, nec nostra culpa; v. c. Cic. ad Div. III, 2. in. Appio, cui succedebat in provincia, et qui in ea diutius manere

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0333
DFG

velle videbatur, scribit: *Cum et contra voluntatem meam et praeter opinionem adcidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset* cet. Sic ad Div. V, 8. §. 3. causam simultatis inter se et Crassum ortae confert in alios: *quaedam pestes hominum laude aliena dolentium et te nonnunquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt tibi.*

X) *Vitandis plebeiis vocabulis:* quo in primis pertinent sumta a rebus abiectis vel taedium adferentibus. Hic usus consulendus: itemque ratio auditorum.

XI) *Vitandis vocabulis obscoenis.* Hinc Cicero Or. III, 41: *Nolo dici morte Africani castratam esse rempublicam. Nolo stercus curiae dici Glauciam.*

XII) *Vitandis vocabulis, quae ingratam rem proprie exprimunt, et commutandis cum suavioribus.* Huc pertinent haec:

1) quando de *morte* loquimur; v. c. *vivere desiit, ad deum abiit, passus est aliquid humani: si quid ei adciderit;* sic nostri: *Wenn Gott über ihn gebieten, ihn zu sich nehmen sollte* cet.

2) quando de *inimicitiis alicuius* loquimur, hasve ei in memoriam revocamus. Tecte hoc faciunt venustiores. Sic Cicero ad Crassum scribens mentionem facit inimicitiae, quae inter utrumque fuit, ad Div. V, 8. §. 2. *multa varietate temporum interruptum officium cumulate reddidi:* et §. 3. *Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi aut ornandi voluntas defuit: sed quaedam pestes hominum — te nonnunquam a me alienarunt et me aliquando immutarunt tibi.*

3) quando aliquid *denegamus* vel *adcipere recusamus.* Hic nostri venustiores: *ich danke ergebenst* cet. *bin sehr verbunden:* vel si cum longe inferioribus loquuntur: *es ist gut.* Sic prisci venustiores *recte, benigne* dicebant; v. c. Ter. Eun. II, 3, 50. *Dum haec dicit, abiit hora: rogo num quid velit (ob er noch etwas befähle): recte, inquit;* Horat. I, ep. 7, 16. Calaber hospitem.

spitem, ut edat, rogat: *Vescere sodes:* hospes respondet: *iam satis est:* Calaber pergit: *at tu quantum vis tolle:* Hospes: *Benigne* pro *Nolo.* Ibid. v. 61. Vulteius Mena a Philippo ad coenam vocatur, sed respondet: *benigne*, quo verbo indicat, se nolle venire. Sic Plaut. Menaech. II, 3, 30. ait invitatus quidam: *bene vocas, magna gratia est:* ut nostri *ich danke* cet. Sic et graeci venustiores dicebant καλῶς; sic et ἐπαινεῖν τὴν κλῆσιν dicitur de recusantibus Xenoph. Symp. I. §. 7. quod simile est latino *gratiam habere* cet. Pertinet huc supra adlatum: *Quaeso, praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis* pro *nolo adcipere.*

4) quando in respondendo *veram causam reticemus;* v. c. Terent. Hec. III, 2, 20. matri quaerenti ex filio: *Quid tu igitur lacrymas? aut quid es tam tristis?* filius respondet: *recte, mater* pro *Nihil est mater*, ut nostri *es ist nichts, es ist gut.*

5) quando recte aliquem reprehendimus: vid. n. VIII.

XIII) *Novitate elocutionis.* Efficitur facile: 1) si sumus ingenio praeclaro et animo generoso instructi: 2) si sententiam plane intelligimus: 3) si verborum vim recte tenemus: 4) si copia vocabulorum iusta instructi sumus: 5) si non credimus, sententiam aliquam non posse aliam vel meliorem vestem adcipere, quam prisci ei circumdederint. Novitas elocutionis commendanda est in primis 1) in proverbiis, 2) in similitudinibus, 3) in exemplis, 4) in tropis, 5) in verbis.

XIV) *Variatione sententiarum et verborum*, quae novitati illi elocutionis saepe vicariam operam praeclare praestat. Omnis variatio delectat. Sententia variari potest modo adfirmative, modo negative, modo per interrogationem, modo sine ea, modo his, modo illis verbis cet. Copia verborum hic ad manus esse debet; v. c. *quamquam, qui perspicue loquitur, valde laudandus est, tamen is, qui simul suaviter loquitur, magis laudandus est*, parum suaviter est dictum; suavius

vius est: *quamquam, qui persp. loquitur, valde laudandus est, tamen qui cum perspicuitate suavitatem coniungit, maiori laude dignus est censendus:* possunt ista et aliis modis variari. — Sic pro *amoris causa* cet. dicitur *amore ductus* cet. vid. supra P. I. c. 8. de *Variatione.* Potest et in collocatione verborum variari; v. c. interdum *is* praeponitur τῷ *qui*, interdum postponitur; v. c. *laudo eos, qui* cet. ac *qui* —, *eos laudo* cet. Not. Interdum tamen variatione vocabulorum uti non licet, 1) quando alia vocabula non habemus; v. c. *consul dixit dictatorem; literae mihi sunt redditae:* hinc non culpandus Cicero, qui ad Div. XI, 16. in. dixit: *epistola reddita sit*, et post tres versus: *epistolae tibi reddendae*, et interiectis deinde duobus versibus: *non loco redditae.* 2) ob gravitatem; v. c. in oppositione: *Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus artes* Ovid. Met. I, 523: qua de re dictum P. II, c. 2. de gravitate, Sect. III, n. XXX. et infra dicetur n. XXI.

XV) *Genere scribendi non adfectato* h. e. tali, quale materia postulat, ut v. c. *tenuiter* de rebus tenuibus, *magnifice* et *ornate* de rebus magnis et ornatu dignis dicamus. *Adfectatus sermo* oritur 1) ex ambitione vel etiam arrogantia, 2) ex inopia iudicii, 3) ex insciția rei, quae tractatur, 4) ex cognitione vocabulorum non adcurata, 5) in primis e perversa institutione magistrorum, qui prius de pulchre, quam de recte scribendo loquuntur et discipulos ad pulchre scribendum, non ad pulchre cogitandum impellunt. Hinc hi ornatum ubique adfectant. Matrona honesta ornat se, at modice et apte, et placet: meretrix nimium ornatum adfectat. Non hic tam placet quam *simplicitas*, (das Ungekünstelte,) quae *arti* opponitur et a nonnullis vocatur *grata negligentia:* quamquam non satis adcurate; quia omnis negligentia est vitium: et negligentia scriptoris indicat, eum contemnere lectores.

XVI)

XVI) *Aequali scribendi genere.* Hoc non consistit in eo, ut per omnem orationem ac librum vel magnifice vel tenuiter scribere debeamus, sed in eo, ut characterem singulis dicendi generibus proprium servemus. Alius est character poetarum, alius historicorum, alius oratorum cet. It. alius est poetarum epicorum, alius comicorum cet. Qui ergo adscendit velut poeta, ac poeticas descriptiones, epitheta cet. transfert, ac deinde humilia verba profert, is peccat. Haec inaequalitas oritur ex iisdem fontibus, e quibus adfectatum dicendi genus provenire diximus, in primis ex eo, quod priscos non recte intelligunt, et undique rapiunt, quae inveniunt. Debemus apes imitari, quae e florum succis conficiunt succum proprium.

XVII) *Vegeto scribendi et dicendi genere:* quod adiuvatur 1) *epithetis descriptionem rei continentibus:* sed nec otiosa esse debent; v. c. Cic. Senect. 15 de terra: *quae cum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primum id occoecatum cohibet: — deinde — elicit herbescentem ex eo viriditatem* cet.; ubi notes *mollito, subacto, sparsum, occoecatum, herbescentem;* 2) *descriptionibus rei* efficientibus, ut ipsa oculis fere subiiciatur; 3) *interrogationibus* et *exclamationibus;* 4) *metaphora suavi,* h. e. *in qua inest imago suavis rei,* v. c. *segetis, veris, floris* cet. v. c. *flos aetatis* cet. Placet in primis et adtentionem excitat a) metaphora a re grandi ducta; v. c. *vallum aristarum* Cic. Senect. 15. b) metaphora rebus inanimatis vitam vel adeo vocem et actionem tribuens; v. c. *somno oppressus, victus, vinctus:* Sic Cic. Nat D. II, 33. *quippe quae* (terra) *gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat* cet. Senect. 15. *seges* dicitur *niti* et *adolescere:* ac paulo post *vitis* dicitur *serpens.* Sic *seges* dicitur *laeta; flos* dicitur *mori; agri* dicuntur *sitire:* sic *fontes sitiunt* Cic. Qu. Fr. III, 1. med. et *venias ad sitientes*

fitientes aures Att. II, 14. in. Crebrius ita poetae, v. c. *cymba gemit, tecta surgunt, vino fallere curas: it. currus non audit habenas* Virg. Georg. I, 514.

XVIII) *Descriptionibus rerum suavibus*, v. c. *montium, regionum, bestiarum, actionum, permotionum animi;* in primis *naturae*, v. c. Cic. Senect. 15. describit *segetem crescentem:* cf. Nat. D. II, 33. in. et c. 47 ff., quae plena sunt descriptionum suavissimarum, v. c. cap. 47. *Iam vero vites sic claviculis adminicula tanquam manibus adprehendunt* cet. Ibid. *Iam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum adcedunt* cet. Et plures sunt capp. seqq. de singulis animalibus: at uberior est descriptio hominis a cap. 54. ad c. 61. ubi de singulis eius partibus dicitur; v. c. de oculis cap. 56. *Nam oculi, tanquam speculatores, altissimum locum tenent* cet. Animi permotionum descriptiones innumerabiles habent Ovidius et Virgilius, v. c. *irae Iunonis* et *Neptuni* Aen. I.; *amoris, irae* et *furoris* Didonis Aen. IV. cet.

XIX) *Iocis apte adhibitis.* Ioci debent esse 1) *liberales;* s. liberali homine digni, 2) rei convenientes, 3) non vulgares, 4) acuti, 5) parci. Nam *omne nimium* cet. De *iocis* legi potest Cic. Or. II, 54—71. et Quintil. VI, cap. 4. totum.

XX) *Acute dictis.* *Acuta* proprie dicuntur, quae alte penetrant, v. c. gladius, ensis cet. Sic *mens acuta* est, quae in rem alte penetrat cogitando, causas videt et earum causas. Talis mentis cogitationes non ab omni homine facile perspiciuntur. Proprie igitur potest dici *acute cogitare*, non item *acute dicere*. At usus loquendi hoc permittit: ergo *acute dicere* pro *acute cogitata dicere* ponitur. *Acute* itaque *loqui* est ita loqui, ut, qui te audit, non statim mentem tuam intelligat, sed inexspectati aliquid audiat; quod tamen rei conve-

niens

niens et verum esse deinde videt. Ergo non omne inexspectatum pro acute dicto haberi debet: sed et verum reique conveniens simul sit necesse est. Placent vero *acute dicta*, ut aenigmata solvendi studium docet. Sed debent esse a) non nimis crebra: tum, ne videamur sapientes videri velle; tum, quia mentis aciem lectorum et auditorum fatigant, tum, quia tandem fiunt vulgaria: b) non nimis obscura.

Innumerabilia sunt genera *acute dictorum*. Quis singula novit? et indies nova cuduntur. Septem genera recensebo: nam omnem lusum verborum inanem adferre nolo.

A) *Primum genus est, quando specie repugnantia profero.* Dicuntur vulgo *oxymora*; v. c. *dives hic est pauper*, scil. quia divitiis non utitur: it. de avaro divite: *optat, quod habet:* Pertinent huc paradoxa Stoicorum: *omnem sapientem, licet sit pauper, esse divitem, et, licet sit servus, esse regem* cet. it. *cum tacent, clamant: stulta sapientia* cet. Huc pertinet Flor. II, 6. §. 27. de Fabio Cunctatore: *qui novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare.* Sic *nubere uxori* Mart. VIII, 11. quod acutius est quam Ovid. Met. IX, 761. ubi puella, cui pater, quia pro mare habebat, virginem desponderat, ait: *Pronuba quid Iuno, quid ad haec, Hymenaee, venitis Sacra, quibus, qui ducat, abest, ubi nubimus ambae.* Add. Ovid. Met. VII, 604. *mortisque timorem Morte fugant.* Heroid. XIV, 105. *eadem sequerisque fugisque, Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.* Not. in hoc: *optat, quod habet* est merus lusus: avarus non optat quod habet h. e. divitias, sed earum incrementum. Referunt et inter oxymora *otium negotiosum*; male: nam *otium* hic est non *vacatio ab omni labore* (Müssiggang), sed *vacatio a statis laboribus e muneris ratione subeundis.* Cur hoc

otium

otium non possit esse *negotiosum* h. e. cur non, laboribus istis finitis, aliquid negotii suscipere possimus?

B) *Alterum* genus est *ambiguitas sententiae* s. *ideae ob vocabulum homonymum;* v. c. quando Cicero de Octaviano dixit, *ornandum* et *tollendum esse;* ubi *tollere* potest esse tum *ad honores evehere*, tum *interficere.* Sic Suet. Ner. 39. *Quis negat, Aeneae magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.* Huc pertinet dictum Ciceronis: *Tertia deducta est.* Serviliae cuidam, quam Caesar aeque ac filiam ipsius Tertiam amabat, cura Caesaris praedium quoddam addictum erat parvo. Mirantibus hic multis, Cicero: *quo melius emtum sciatis, tertia deducta est:* inest duplex sensus: 1) *tertia pars* pretii *deducta est.* 2) *Tertia, filia Serviliae*, ad Caesarem *deducta est:* et sic intellexit Cicero. Ciceronis Epistolae lib. VII et IX. refertae sunt talibus argutiis, v. c. VII, 13. *Treviros vites censeo; audio capitales esse, mallem auro, argento, aere essent;* IX, 18. *dixe iam προλεγομένας.* Sic Cicero Verr. I, 46. *ius Verrinum* ambigue usurpat: at frigide. Aeque frigide dixit aliquis de Draconis legibus: *non hominis istae sunt leges, sed draconis* h. e. *serpentis;* sic *aedes illustres* ap. Plaut. Rud. I, 1. quas venti perflabant. Sic Augustus, videns multos a Cassio adcusatos *absolvi*, dixit, cum architectus fori nimis diu hoc opus extraheret: *Velim, Cassius meum quoque forum adcusset, ut tandem absolvatur* i. e. *perficiatur.* Quam frigide!

C) *Tertium* genus est *ambiguitas sententiae per vocabuli immutationem;* v. c. Cato dixerat cuidam: *eamus deambulatum*, et hic: *quid opus fuit de?* Tum Cato: *Imo vero quid opus fuit te?* Sic Stilpo ap. Diog. Laert. II, 118. videns Cratetem frigore rigidum ait: ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καὶ νῦ: sed

vocabula

vocabula καὶ νῦ coniunctim pronuntiabat, tanquam esset καινῦ. Sed talia valent tantum in loquendo.

D) *Quartum* genus est, *quando ad alterius verbum ambiguum respondemus alio sensu, quam quo ipse illud protulit;* v. c. malus orator quidam, qui in epilogo misericordiam se movisse putabat, cum deinde adsedisset, quaesivit e Catulo, videreturne misericordiam movisse; tum hic: *Ac magnam quidem; neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio miseranda visa sit.* Sic cum post pugnam Pharsalicam esset, qui diceret, animum non despondendum esse, quia septem aquilae restarent, Cicero respondit: *Recte hortareris, si cum graculis nobis bellum esset.*

E) *Quintum* genus est *iniecta brevis similitudo*, vulgo *adlusio* dicta; v. c. Furius Albinus post pugnam Mutinensem interrogatus, *quid ageret Antonius?* respondit: *quod canis in Aegypto, bibit et fugit.* Huc pertinet Flor. II, 6. *Capuam Hannibali Cannas fuisse.* Cic. Senect. 19. *neque sapienti usque ad Plaudite veniendum;* it. *Andabatarum more pugnare.* Sic de homine simulante id, quod facere non poterat, se noluisse facere, dicimus: *Est instar vulpis apud Phaedrum dicentis: nolo acerbam sumere* cet.

F) *Sextum* genus est *ironia;* v. c. *stultus* pro *sapiente; vituperare* pro *laudare* cet. Ovid. Heroid. XIV, 120. *Quid fiat fonti, cum rea laudis agar!*

G) *Septimum* genus, est *deminutio ironica rei ingratae* vel *criminis:* seu *tecta reprehensio;* v. c. Africanus tribu moverat centurionem, quia Pauli pugnae non interfuerat. Quo dicente, se custodiae causa in castris remansisse et quaerente, cur ab illo notaretur, Africanus respondit: *non amo nimium diligentes* i. e. *timidos.* Huc pertinet illud Siculi, patronum causae

stultum, sibi a Praetore datum, recusantis his verbis: *quaeso, Praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.* (i. e. *da, dare debes.*)

Hactenus de acute dictis; cf. Cic. Or. II, 54—71. Notes de iis, non nimis magni esse aestimanda, si in sola ambiguitate vocabulorum cernantur.

XXI) *Repetitione eiusdem vocabuli eodem sensu in diversis, sed arcte coniunctis, enuntiationibus.* Fit hoc tantum in sententiis ac proverbiis, et, ubi quaedam est oppositio. V. c. hoc Laberii ap. Macrob. *Necesse est multos timeat, quem multi timent;* Publii Syri: *Cui plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.* Sic: *plus dat, qui cito dat,* ubi *τῷ dat* male substituas aliud verbum Sic: *cui multa credita sunt, ab eo multa postulantur.* Sic Quintil. X, 7. *ut, cum multa scripserimus, etiam multa dicamus.* Cic. Phil. II, 4. *quid est aliud, tollere e vita vitae societatem, quam tollere amicorum colloquia absentium.* Cic. Offic. II, 22. *Quam — habet aequitatem, ut agrum — qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?* Ovid. Met. I, 519. Apollo de sua et Cupidinis sagitta: *Certa quidem nostra est; nostra tamen una sagitta Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.* Ibid. 523. *Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes.* Hic conservare vocabulum decet: pertinet res et ad gravitatem. Sic: *tu pater es, quomodo patris animum exuere potes?* non *genitoris.*

XXII) *Repetitione eiusdem vocabuli, sed diverso sensu:* vocatur vulgo *antanaclasis* vel *dilogia.* Est duplex: 1) quae mera ambiguitate nititur estque merus lusus; v. c. Cic. *Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant.* Sic Cic. Verr. Act. I, 9. ludit voca-

vocabulo *praerogativae: Dedit enim praerogativam suae voluntatis eiusmodi, ut isti pro praerogativis eam reddidisse videatur.* 2) melior est, si priori loco nomen rei, posteriori vera rei ratio indicatur; v. c. *studiosi literarum saepe non sunt earum studiosi: non omnes Christiani sunt Christiani: Romani non amplius Romani:* sic et: *vivamus, dum vivimus* i. e. *vita fruamur.*

XXIII) *Repetitione eiusdem fere vocabuli, sed una vel pauciſſimis literis immutatis cum sensu contrario,* s. *Coniunctione duorum vocabulorum una vel pauciſſimis literis sibi dissimilium, sed cum contrario vel diverso sensu;* v. c. Terent. *Nam inceptio est amentium, non amantium;* sic *amare interdum amarum est;* sic Cicero: *ex oratore arator factus est: Siciliā te non praetorem sed praedonem habuit.* Vocatur haec ratio dicendi *Paronomasia.* Sed in ea debet esse oppositio quaedam studiose quaesita: atque ita tota res ad gravitatem pertinet. Non igitur huc trahenda sunt, quae casu facta, v. c. Cic. ad Div. V, 12. §. 22. et 23. *ab Apelle* — pingi, *a Lysippo* fingi *volebat* cet. *qui neque* pictam *neque* fictam *imaginem suam passus est esse:* Nep. Att. 17. *Philosophorum ita* percepta *habuit* praecepta cet. Vellei. II, 5. in. *urbiumque potitus numero,* aditis, *quae vix* audita, *Gallaeci cognomen meruit:* sic nec huc pertinent *cur curas! iure iuras* cet.

XXIV) *Repetitione eorumdem vocabulorum, sed inverso ordine.* Vocatur *epanodos* vulgo, v. c. *quod sequitur fugio, quod fugit, ipse sequor.* Cic. Brut. 39. *ut eloquentium iuris peritissimus Crassus, iuris peritorum eloquentissimus Scaevola putaretur:* c. 40. *consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse.* Cic. Planc. 28. *Gratiam — qui refert, habet, et, qui habet, refert:* Vellei. II, 117: *quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.*

Plin. Paneg. 17. *ut — non ideo vicisse videaris, ut triumphares, sed triumphare, quia viceris.* Ad haec repetitio inversa locum maxime habet in oppositione, et placet, propter recte inclusam comparationem. Quod si non fit, merus lusus verborum est, v. c. illud Lucilii: *Verum hic ludus ibi susque omnia deque fuerunt. Susque et deque fuere inquam, omnia ludus iocusque.* Interdum non tam vocabula, quam sententia invertitur, quod aeque suave est, v. c. Quintil. X, 7. *et qui stultis eruditi videri volunt, stulti eruditis videntur.*

XXV) *Coniunctione contrariorum* s. *antithetorum.* Pertinet ea res tum ad perspicuitatem et gravitatem, tum ad suavitatem, quia varietas rerum, in primis coniunctio disiunctorum, v. c. colorum placet; v. c. Cic. Cat. II, 11: *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus* cet. Cic. Mil. 4. *Est igitur haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, adcepimus, legimus, verum ex natura ipsa adripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Ovid. Met. VII, 339. *His, ut quaeque pia est, hortatibus impia prima est, Et, ne sit scelerata, facit scelus.* Filiae occidebant patrem, ut iuventutem ei redderent ope Medeae. Ibid. VIII, 878. *Ipse suos artus lacero divellere morsu Coepit, et infelix minuendo corpus alebat.* Sed videndum, ne pro ideis verba vendamus.

XXVI) *Periodo.* De hac supra P. I. c. 5. late dictum est. Placet nobis, si animus paulisper de exitu incertus suspensusque est, et inexspectato exitu magis delectatur, quam diu praeviso. Docent hoc comoediae et tragoediae. Ac nonne suavius est v. c. *quomodo deum, qui nobis inde ab incunabulis tot beneficia tribuit, odisse sustineamus?* quam *quomodo deum odisse susti-*

sustineamus, qui nobis — tribuit? Cic. Arch. 6. *Quare quis tandem me reprehendet, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero?* Nonne hoc suavius est quam: *Quare quis — succenseat, si tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero, quantum ceteris* cet. Ibid. c. 12. *An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur?* Senect. 22. *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore* cet. Vid. plura supra in cap. cit.

XXVII) *Numero oratorio*, vel potius *numeris oratoriis* h. e. aequalitate membrorum, quae ad se invicem referuntur. Haec aequalitas cernitur in pari numero idearum s. vocabulorum, ita, ut haec sint eiusdem generis, v. c. vel *ablativi*, vel *participia* cet. Sic opponuntur *singula singulis*, v. c. *non audivi, sed vidi; hinc pudicitia, illinc stuprum:* cet. *Bina binis;* v. c. *specie honestus, re improbus:* sic Cic. Rosc. Am. 26. *quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus erectis!* ubi iniucunde dictum fuisset v. c. *iis, qui fluctibus agitantur.* Sic *terna ternis;* v. c. *armorum vi oppressus* et *clementiae beneficio recreatus:* sic Cic. Or. I, 9. *Quis — tibi hoc concesserit, — genus hominum — non prudentium consiliis compulsum potius, quam disertorum oratione delinitum se oppidis sepsisse?* Omnis aequalitas partium s.

proportio placet. Ad *numeros* referunt etiam vulgo, quod membrum sententiae extremum paulo longius, it. ultimum vocabulum productius esse et paenultimam syllabam longam habere debet. At hoc magis ad perspicuitatem et gravitatem pertinet. Ceterum de *numeris* ipsis, eorumque natura supra P. I. c. 6. late diximus.

XXVIII) *Vitanda inani vocabuli eiusdem, multo magis plurium, repetitione, praesertim crebra.* Repetitio vocabuli inanis est, quae fit sine maiori perspicuitate et gravitate; v. c. *homo, qui alios amare non potest, aliorum amorem exspectare non potest*, ubi repetitio verbi *potest* iniucunda est. At repetitio, si gravis est, placet, v. c. Ovid. Met. I, 523. *nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes;* est enim oppositio: de qua re supra C. 2. Sect. 3. n. XXX. Sed si omnis inanis repetitio displicet, magis displicet, si *crebro fit.* Excusatur tamen, si a) aliud vocabulum non exstat aeque aptum, v. c. *dicere dictatorem, epistolam reddere, scribere, legere, bibere* cet. b) si vocabulum post multa demum vocabula repetitur. En exempla priscorum, ubi inanis ista repetitio reperitur. Cic. Or. 13. *Me autem — una cum Socrate et cum Platone errare patiantur;* ubi *cum* repetitur: Ibid. 59. *totone in ambitu — an in primis partibus atque in extremis.* Et statim: *Est autem, ut id deceat, non id solum.* Nec longe post: *qui et multa* scripserint *et, quaecunque etiam sine* scripto *dicerent, similia* scriptorum *effecerint* cet. Ad Div. V, 12. §. 14, 15, 16. ter usurpavit *enim: Nihil est enim* cet. *Habet enim* cet. *Quem enim nostrum* cet. Ibid. §. 21, 22, 23, 24. ter *neque* et quater *enim* est: *Neque enim tu is es* cet. *Neque autem ego sum* cet. *Neque enim Alexander* cet. *Nec minus enim est Spartiates* cet. *Unus enim Xenophontis* cet. Ad Div. VI, 1. quatuor priores sententias per *etsi* incipit: a) *Etsi ea perturbatio* cet. b) *Nam etsi quocunque* cet.

cet. c) *Quare etsi multarum* cet. d) *Etsi enim cum* cet. Liv. I, 13. *Is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanae urbis, cognomen colli fecit:* cap. 41. *Interim Servio Tullio iubere populum dicto audientem esse. Eum iura redditurum obiturumque alia regis munia esse.* Caes. B. G. I, 6. *Omnibus rebus ad profectionem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat a. d. V. Cal. Apr.* cet. ubi vocabulum *diei* crebro repetitur; sic *loci* ibid. 49. *ultra eum* locum, *quo in* loco *Germani consederant, circiter passus quingentos ab his castris idoneum* locum *delegit, acieque triplici instructa ad eum* locum *venit.* Ib. c. 3. *Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt, in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur* cet. ubi verba quatuor *ad eas res conf.* repetuntur. Ibid. V, 50. *Caesar consulto equites — in castra recipere iubet: simul ex omnibus partibus castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in his administrandis rebus quam maxime concursari et cum simulatione timoris agi iubet,* ubi *iubet* repetitur: quod post tot interiecta verba tolerari potest. Liv. XXX, 33. *Hannibal — primum elephantos — instruxit: deinde auxilia Ligurum Gallorumque, Balearibus Maurisque admixtis: in secunda acie Carthaginienses Afrosque et Macedonum legionem; modico inde intervallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate discedentem ex Italia secuti) instruxit.* Hic repetitur *instruxit;* at in tanto intervallo tolerari potest. Liv. II, 32. *Ea frequentior fama est, quam, cuius Piso auctor est* cet. hic repetitur *est:* at aliud verbum non exstabat. Cic. ad Div. XI, 16. *Permagni interest, quo tibi haec tempore epistola reddita sit: utrum, cum sollicitudinis aliquid haberes, an, cum ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei praecepi,*

quem ad te misi, ut tempus observaret epistolae tibi reddendae. Nam, quemadmodum coram, qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt, sic epistolae offendunt non loco redditae: ubi *reddita, reddendae, redditae:* at a) in tanto intervallo b) nec aliud aptum verbum habuit. Ac sic saepius. Sunt, qui tales repetitiones inanes ad *gratam negligentiam* referant. Sic et Celeb. Ernesti in prolusione de ea scripta. Refert eo haec loca: 1) Hom. Odyss. τ, 204 ff. ubi τήκεσθαι et κατατήκεσθαι repetitur: 2) Cic. Mil. 11. *Insidias factas esse constat, et id est, quod senatus contra rempublicam factum iudicavit. Ab utro factae sint, incertum est:* 3) Liv. IV, 3. *Si populo romano* cet. Sed haec tria loca supra ad gravitatem retulimus in Cap. 2. Sect. 3. n. XXX. 4) Cic. ad Div. XI, 16. *Permagni interest* cet. 5) Caes. B. G. V, 50. *Caesar — iubet — agi iubet.* 6) Liv. XXX, 33. *Hannibal — instruxit — instruxit.* 7) Liv. II, 32. *Ea frequentior fama est, quam cuius Piso auctor* cet. De his quatuor paulo ante dictum est, ubi monuimus, excusari posse. 8) Liv. XXXII, 21. Aristaenus praetor Achaeorum suadens his, ut se iungant Romanis, post alia multa ait: *Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac summopere petendum erat, fastidire:* post adlata deinde argumenta et interiectis duodecim versibus repetit istam rem: *Nolite, si, quod omnibus petendum erat, ultro offertur, fastidire.* At a) de re gravi sermo est, quae ut repeteretur, digna erat: ergo ad gravitatem pertinet: b) repetitio fit aliis verbis c) post duodecim versus. 9) Ibid. 22. *Dymaei ac Megalopolitani et quidam Argivorum prius quam decretum fieret, consurrexerunt ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo neque improbante.* Tum causae memorantur; tandem post septem vel octo versus pergit Livius: *Ob haec* (i. e. causas memoratas) *concilio, quod inclinaverat ad romanam* socie-

societatem iubendam, excesserunt: veniaque iis huius secessionis fuit et magnis et recentibus obligatis beneficiis. At haec repetitio fit longe aliis versibus; nec est repetitio vocabulorum, sed idearum.

XXIX) *Vitanda repetitione eiusdem syllabae, praesertim crebra.* Et quo propior haec repetitio est, eo iniucundior est; v. c. *monet et hortatur:* ubi *et* bis est; sic: *at ad illum.* Sed haec toleranda: sed nolim dicere: *at ad Adolphum:* vel *utinam non modo polliceatur, sed et det:* vel *per perbreve tempus,* vel *cum cum patre locutus essem* cet. Et tamen ita prisci; v. c. Cic. ad Div. IV, 3. §. 3. *sed multo etiam magis monente et denuntiante te,* ubi *te* repetitur: XIII, ep. 26. §. 7. *eum cum senatore res est:* nam sive *cum* sive *quum* scribas, eadem est pronuntiatio. Quint. 26. in. *An antequam* cet. Ibid. 11. med. *qui quia* cet. quod tamen tolerandum. Magis iniucundum Cic. Divin. II, 69. extr. *visus est in somnis amicae esse amictus amiculo:* qui locus a Cel. Ernesti l. c. refertur ad gratam negligentiam.

XXX) *Vitanda eadem terminatione plurium vocabulorum:* quae quo crebrior, eo iniucundior est.

1) *Repetitur eadem terminatio in una syllaba;* v. c. *pulchram illam sententiam;* vel *pulchram illam magnamque sententiam nunquam quisquam protulit,* quod iniucundius est priori: sic est illud poetae ap. Auct. ad Her. IV, 12. *Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat, roget.* Tale quid vitandum. At prisci saepe ita; v. c. Cic. Verr. V, 36. *Unam illam solam noctem* cet. et paulo ante: *tum flagitiosa illa convivia:* Cic. Phil. II, 4. *quantam iam proferam:* Cic. Verr. II, 30. *privato illo iudicio transacto aut dilato* cet. Cic. Or. I, 19. *in media philosophia retrusa atque abdita.* Cic. Arch. 12. *usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus.* Cic. Off. I, 20. in. *fortis animus duabus rebus cernitur;* qui locus ab Ernestio l. c. inter genera gratae negligentiae

refertur. Cic. ad Div. VI, 6. §. 24. *etiam externos multos claros viros nominarem.* Ovid. Met. I, 327. *Innocuos ambos, cultores numinis ambos.* At ista excusanda: cui enim non excidunt? Iniucundior creditur repetitio duarum syllabarum, de qua statim.

a) *Repetitur eadem terminatio in duabus syllabis;* a) in vocabulis iunctis, v. c. *O fortunatam natam me Consule Romam:* sic *Flentes, plorantes, lacrymantes* ap. Auct. ad Her. IV, 12. Cic. Off. I, 18. prop. fin. *pleniore ore,* quem locum Ernesti ad gratam negligentiam refert. Cic. Phil. II, 28. *quod natum, conflatum* cet. b) interiectis aliquot verbis; v. c. *iniucundum non erat faciundum:* c) in fine membrorum, praecipue brevium: v. c. *Te semper amavi, magni aestimavi et ornavi:* Sic Poeta ap. Cic. Tusc. I, 35: *haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari:* sic tamen Cic. Verr. V, 37. in. *Quem postea quam inanem locum offenderunt et praetorem commovisse ex eo loco castra sensserunt, statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare coeperunt:* ubi ter est *erunt.*

XXXI) *Vitando nimio concursu eiusdem literae;* v. c. *si ii igitur:* Cic. Or. I, 22. *hodieque faciunt, ut nulla* cet. ubi *u* ter est: Cic. Verr. V, 36. extr. *statuerant, sese, si ea* cet. ubi *sese si* notandum: Horat. Art. 36. *pravo vivere naso:* ubi *v* ter est. Sed haec toleranda: idem iudicandum de tribus locis, quae Ernesti l. c. laudat et ad gratam negligentiam refert; Cic. ad Div. XII, ep. 12. §. 7. *qui, quia, quae* cet. Cic. Quint. 11. med. *qui, quia, quod* cet. Cic. Nat. D. I, 20. *Quod quia, quemadmodum* cet. Videndum tantum, ne nimis crebro fiat, quia tum videatur de industria fieri; iure ergo displicet versus illius poetae ap. Auct. ad Her. IV, 12. *O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti.*

XXXII) *Vitando asspero vocabulorum concursu, et contra laevi sequendo.* De hac re loquor hic tantum, quia Cicero de ea loquitur. Laevis vocabulorum concursus dicitur, quando vel prius in vocalem exit ac posterius con-

consonante incipit, vel contra; v. c. *Nemo debet ita statuere de rebus istis.* Asper, quando binae vel consonantes vel vocales se excipiunt, v. c. *ego ivi:* vel *nullus sic debet:* et asperior, ubi plures consonantes concurrunt, v. c. *nam spretus* cet. At

1) hoc nemo observavit, nec observare potuit, si quidem sententiarum pulchritudini studuit. Nec Cicero observavit; v. c. Or. I, 22. *Graeculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito* cet. Phil. II, 29. in. *bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti* cet. et paulo post: *persecutus trucidaras. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid* cet. Ac fere sic ubique. Et quam parum Romani isti laevitati studere voluerint, patet ex ipsorum vocabulis, v. c. *ii, abii, euntium, fructuum, constructus, congregavit*, cet. ut *stlata, stlis* cet. taceam.

2) Hinc Cicero, parum sui memor, laudat concursum vocalium Or. 23. *Habet enim*, inquiens, *ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re, hominis, magis quam de verbis, laborantis.* Et idem tamen cap. 44. ait: *Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, quin vocales nolit coniungere.* Recepit tamen Ernest. *qui vocales* pro *quin vocales.*

3) Ne intelligimus quidem, quid sit laeve, quid asperum in coniunctione vocabulorum. Pendet haec res ab auditu, et huius suavitas pendet a consuetudine audiendi et pronuntiatione aliorum. Sunt, qui multa, quae aspera vocantur, tam presse et facile pronuntient, ut nihil laevius esse videatur, cum contra alii laevissima quaeque vaste et aspere exprimant. Quidquid de laevitate vel asperitate in coniunctione vocabulorum dicitur, pertinet inter hypotheses, quarum nullum fundamentum unquam invenietur.

4) Si quis tamen concursus literarum fugiendus est, eum puto fugiendum esse, qui ambiguitati faveat, v. c. in nostra lingua *der Baum muß* sonat ut *der Bau muß, mit dem Namen*, ut *mitten Namen* cet. sic in latina *res sibi* ut *res ibi; dicit deinde* ut *dicite inde* cet. sed haec res pertinet ad pronuntiationem solam.

5) Sunt tamen nonnulla vocabula, quae non coniungere liceat pro libidine; v. c. *e republica*, non *ex republica*,

blica, dixisse veteres ob istam laevitatem credit Cicero Or. 47. An ob laevitatem, dubito, quia prisci saepe *ex* ante *R* ponunt, v. c. *ex re*, *ex ratione* cet.: it. *ex rep.* est Cic. Balb. 9. Deinde tenenda sunt haec: 1) *ac* libentius ante vocalem quam consonantem ponitur apud priscos: non ergo dicendum *ac ego* cet. Causa latet. b) *neque vero* dicendum, non *neque autem*: quia prisci illud fere semper. *Neque autem* occurrit tamen Cic. ad Div. V, 12. §. 21 et *nec autem* Lucret. V, 779. Causa latet. Euphonia locum non habet. Nam omne, quod prisci saepe dicunt, nobis bene sonat: et occurrit *neque auctoritate* Cic. Rosc. Am. 1. *neque auctoritas* Cic. Cat. I, 1. *neque audit* Virg. Georg. I, 514. Ergo in syllaba *au* non culpa est.

XXXIII) *Cavendo*, *ne in oratione prosaica* a) *sententiam absolutam clausula poetica terminemus*; v. c. *dicere coepit*: b) *ne nobis totus versus excidat*. — At 1) hoc vitium, si vitium est, non per se iniucundum est, sed hactenus, quia videtur de industria tale quid quaesitum et adfectatum: et omne adfectatum displicet. 2) Hoc olim poterat vitium esse, quia prisci vocabula ex syllabarum quantitate pronuntiabant, atque ita facile versus poeticus in oratione prosaica animadvertebatur: quod hodie secus est. 3) difficile est talem versum ubique evitare. Priscis adeo hexametri, ut alia versuum genera taceam, exciderunt: v. c. Sall. Cat. 19. §. 4. *Cnaei Pompeii veteres fidosque clientes*: Liv. praef. in. est dimidius hexameter: *Facturusne operae pretium sim*: Tac. Ann. 1. in. *Vrbem Romam a principio reges habuere*: it. Cic. Arch. 1. in. *in quo me non infitior mediocriter esse*; Cic. Orat. III, 45. in. est dimidius hexameter: *Non est res tam difficilis quam* cet. Facile igitur ignoscitur, si tale quid excidit. Quia tamen sunt, qui, quidquid prisci pro vitio habuerint, etiam hodie pro vitio habendum putent, suaserim omnibus, qui latine dicant vel scribant, ut, quantum possint, illam rem caveant.

XXXIV)

XXXIV) *Vitando omni concursu syllabarum vel literarum, qui cum vocabulo obscoeno aliquid similitudinis habeat;* — Sed nec hoc ad vivum nimis resecandum: alioquin peccassent prisci, qui dixerunt *penates, Fidenates, Marianus, Caesarianus,* it. *nato, penes, penitus, animus* cet. Sed haec omnia puto a priscis sine obscoenitatis cogitatione audita et lecta esse, atque a nostris hominibus sine aurium et oculorum offensione legi et audiri. Ceterum refert huc Cicero Or. 45. *nobiscum*, dicitque sic ad evitandam obscoenitatem dici. At supra P. I. c. 3. de *Ord. Verb.* Sect. I. n. VI. monuimus, istam causam nullius pretii esse. — Hactenus de suavitate dicendi, in qua tamen suaves praeclaraeque sententiae principatum tenent. Sapiens ideis magis, quam verbis delectatur, nec tamen cultum verborum respuit. Virgo pulchra, negligenter vestita et ornata, tamen placet: magis placet, praeclare simul vestita et ornata.

FINIS PARTIS POSTERIORIS.

APPEN-

APPENDIX I.

DE SVBSIDIIS QVIBVSDAM STYLI BENE LATINI.

Ea sunt in universum duo: 1) *lectio priscorum*, 2) *exercitatio in scribendo, dicendo, cogitando.*

SECT. I.

De lectione priscorum.

Lectio priscorum est primum ac praecipuum subsidium. Hic duo notanda:

1) *Lectio bonorum scriptorum debet esse adsidua.* Nam si non multa quotidie legimus, non omnia, quae ad bene scribendum pertinent, discere ac colligere possumus. Legendi sunt in primis Cicero, Caesar, Livius, Terentius: in his enim genus scribendi est naturale et ab adfectatione alienum; hi res magis quam verba spectarunt: at scriptores posteriores sub imperatoribus, adulandi necessitate invecta, magis verborum lenocinia, quam rerum veritatem curabant. Praecipue tamen Cicero est legendus, 1) quia multos varii generis libros in primis tales, quales hodie scribimus, scripsit. 2) quia fuit homo egregie doctus et ingenio praeclaro praeditus: hinc ex eo multa discere et mentem nostram lectione eius acuere possumus. 3) quia fuit vir magnae experientiae, sapiens, consul cet. Hinc prudentiam ex illo discere licet. 4) quia fuit Romanorum disertissimus h. e. perspicue, graviter ac suaviter dicendi scribendique peritissimus: hinc ex eo artem perspicue, graviter suaviterque dicendi et scribendi

bendi haurire omnium optime possumus. 5) quia Romae plerumque mansit: hinc eius dicendi genus mansit urbanum, nec peregrinitate corruptum est. 6) quia singulis fere diebus dicendum ei erat in senatu, coram populo vel iudicibus: hinc exercitatio dicendi ei contigit, quae vix cuiquam contingere solet. Legamus igitur totum Ciceronem, h. e. Epistolas eius, Orationes, libros de Fin. bon. et mal., Quaest. acad., libros de Nat. deor., de Divin., de Offic., de Senectute cet. it. libros rhetoricos. Cum hac lectione coniungenda est crebra lectio Caesaris, Livii, Terentii, Plauti, it. Nepotis, ac Sallustii. Adcedere debet lectio poetarum, Virgilii, Ovidii, cet., ut poetica a prosaicis discernere atque illa fugere discamus. Nam ut *ignoti nulla cupido*, sic *ignoti nulla fuga*. Adcedere ob eandem rem debet lectio Quintiliani, Phaedri, Suetonii, Taciti cet.

II) *Lectio priscorum, maxime Ciceronis, debet esse quoque adcurata* h. e. talis, ut singula verba plane intelligas. Dupliciter ea instituenda:

A) *Praeeunte magistro.* Quaerunt, utrum *stataria* an *cursoria* lectione utendum. Vtraque est coniungenda: *stataria* in locis difficilioribus, *cursoria* in facilibus utendum. Sed hic magni refert, quales sint discipuli, qualis magister. Bonus magister a) contextum totius loci ubique consuli iubebit. b) examinabit sententias, an verae sint, an pulchrae, an vulgares cet. c) non modo verba, sed et res explicabit: nam verba non intelligo sine rerum cognitione: hinc saepe vocabulum per *definitionem*, non modo *nominalem*, sed etiam *realem* explicabit. Stulti sunt, qui ubique singula verba singulis verbis explicant. d) explicabit etiam singula verba et docebit, sintne propria an tropica; e) in homonymis docebit, quaenam significatio

tio contextui conveniat, et cur? f) addet, utrum vocabulum aliquod necessarium fuerit, an omitti potuerit: it. an saepius occurrat cet. g) ostendet connexionem vocabulorum, enuntiationum, sententiarum absolutarum, v. c. per duplex *et, neque* cet. h) periodos Ciceronis interdum resolvet, ut artificium hoc discatur. i) numeros oratorios notabit: k) curabit, ut singula verba in vertendo exprimantur. l) singula imitari discipulum iubebit. m) singula repetenda curabit cet. At non sufficit *bona* scriptorum nosse: debent et *vitia* in iis occurrentia, sive ipsorum sive librariorum culpa commissa sint, animadverti, ne discipuli ea pro virtutibus habeant. Sunt ea duplicia, vel in rebus s. ideis, vel in verbis. Paucula notabo:

1) Vitia in *rebus* ac *sententiis*:

a) Cicero Rosc. Am. 25. de parricidii atrocitate et poena nimis copiose ac fere pueriliter dixit verbisque inanibus saepe usus est; v. c. postquam dixerat, maiores sanxisse, ut, qui patrem necasset, in culeum insutus in flumen deiiceretur, exclamat: *O singularem sapientiam! nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente coelum, solem, aquam terramque ademerunt?* Male. Culeo insutus tamen in mundo manet. Pergit: *Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus adtigissent, immanioribus uteremur.* Male: bestiae non fient immaniores hac re. Tandem ait: *Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de coelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat* cet. Quam argute! a) si animam de coelo ducere nequeunt, quomodo vivere possunt? b) terra quidem ossa eorum non tangit, at culeum tamen tangit: sic nec apud nos corpora humatorum terra tangit. Cic. Verr. III, 98. *Totae res rusticae eiusmodi sunt, ut eas non ratio, neque labor, sed res incertissimae, venti tempestatesque moderentur.* Ergo prudentia et labor nihil prodest agricolae? Addere debebat *saepe*, vel *plerumque*. Cic. Manil. 10.

Pom-

Pompeium nimis hyperbolice his laudat verbis: *qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt, cuius adolescentia — non stipendiis sed triumphis est erudita.* Cic. Marc. 7. impie dicit: *quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?* Cic. Deiot. 7. ubi dicit Attalum fuisse liberalem erga P. Africanum, pro *Attalo* nominari debebat *Antiochus*.

b) Virgilius confundit Scyllas Ecl. VII, 74. Vocat *Nisi* filiam, quam *Phorci* nominare debebat. At poetas in mythologiam, quam ipsi maximam partem excogitarunt, peccasse non mirum est. Narratio de Palinuro, quem Somnus in mare deiecerat, et qui deinde ab Aenea in orco conspicitur, nunquam fortasse difficultate omni liberabitur. Aeneas adloquitur eum Aen. VI, 341: *Quis te — deorum — sub aequore mersit? — namque — hoc uno responso animum delusit Apollo, qui fore te ponto incolumem finesque canebat venturum Ausonios.* Ille contra: *Neque te Phoebi cortina fefellit — nec me deus aequore mersit.* Vtique fefellit Phoebus: non enim satis erat, eum venire ad Italiam: debebat etiam incolumis venire: et sic intellexit Aeneas ipse: *incolumem* refero etiam ad *venturum fines Ausonios*. Et, qui tres dies noctesque maris undis fertur, vestibus gravatus, an eum credibile est vivum manere potuisse? Porro Aen. VI, 445. ponit Eriphylen *in lugentibus campis*, in quibus tamen v. 442. dixerat eos esse, *quos durus amor crudeli tabe peredit*, cum tamen illa non *duro amore peresa*, sed *a filio occisa* fuerit. Quod tandem Aeneam per *portam eburneam* orco emittit, eruditi omnes eum damnant, quia sic indicare videtur omnia in illo libro dicta fuisse merum somnium. Excusat eum cel. Heynius, qui videndus.

c) Ovidius saepe peccat ingenii copia; v. c. 1) de Narcisso Met. III, 406 seq. Narcissus, adolescens formosus, cum se in fonte limpido conspexisset, amore sui imprudens arsit. Hoc non incredibile est. Post autem sensit se esse ipsum, cuius amore flagraret. Et hic desinere debebat poeta: nam tum talem amorem abiici naturae humanae conveniens est. At Narcissus tamen

pergit sui amore ardere, et sic periit. Fecit hoc poeta, ut argutas sententias cudere posset, v. c. *flammas moveoque feroque: roger anne rogem? quod cupio, mecum est: inopem me copia fecit.* 2) Halcyone Met. XI, 700. marito, qui naufragio perierat, per somnum viso, ita domi secum loquitur: *Nunc absens pereo, iactor nunc fluctibus absens et, sine me, me pontus habet* pro *maritus me absente perit, iactatur fluctibus, me absente, et pontus maritum habet sine me.* Argute, at non vere.

2) *Vitia verborum*, vel *duras locutiones*; v. c.

a) in *Cicerone*. Verr. IV, 35. *Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestanos — convenisse* cet. ubi *hoc* redundat: sic tamen et Divin. I, 39. extr. Att. IV, 8. — Agr. II, 3. *Neque enim ullo modo facere possum, ut — non essem popularis* pro *sim*. Ernesti *sim* recepit. Ibid. 35. *Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa nata sunt: adrogantia — deinde* cet. Ordo debet esse: *illa nata sunt: primum adrog.* cet. Mur. 29. *Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut* cum *imperita multitudine* pro *coram imp.* sic tamen Caes. B. G. VII, 47. *quacum* (legione) *erat concionatus* cet. — Flacc. 27. in. *Quis ignorat, — quin tria Graecorum genera sint vere?* ubi *quin* post *ignorat* notandum. Sic *quin* post *negare*, Liv. XL, 36. et post *suspicio* Caes. B. G. I, 4. Porro Dom. 30. *Quod si non fuit, quid te audacius, qui in eius nomen incideris?* Viri docti vel *in* omittendum, vel *aes* post *in* excidisse putant. Vtrumvis recte. Ad Div. II, 19. §. 6. *Quamobrem, quaecunque a me ornamenta in te proficiscentur, ut omnes intelligant* cet. Hic *ut* non habet, unde pendeat: hinc editores inserunt *elaborabo*. Ib. VI, 6. §. 24. peccatum est contra suavitatem: *externos multos claros viros nominarem*. Ib. ep. 3. §. 6. *quemquam aut eorum, qui discesserint: alteri dimicant, alteri* cet. ubi membrum deest respondens verbis *aut eorum, qui discesserint:* hinc editores addunt: *aut eorum, qui remanserint*. Add. Sulpic. ad Cic. IV, 12. in. *visum est faciendum — vos certiores facere:* — debet esse vel *faciendum, ut — certiores facerem*, vel potius *visum est vos cert. facere*, omisso *τῶ faciendum*. It. Cicero habet rariora, v. c. *absque* pro *sine*, cet.

b) in

b) in *Nepote;* v. c Praefat. *Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non ad scenam eat mercede conducta.* Hic a) *ad scenam ire* durius dictum pro *comoediam agere*, b) non credibile est, viduas nobiles hoc egisse. Forsan leg. *quae non ad lenam eat mercede conductam* scil. libidinis explendae causa. Milt. 4. *civibus animum adcessurum, cum viderent, de eorum virtute non desperari* pro *de sua virt.* et statim: *hostes fore tardiores, si animadverterent* cet. pro *animadvertissent.* Them. 4. *tam angusto mari conflixit, ut multitudo — non potuerit* pro *posset:* sed sic saepe Nepos. Epam. 8. *Omniaque, quae collegae dixerunt, confessus est:* hic a) *omniaque quae* notandum, b) *dixerunt* pro *dixerant.* Ibid. *sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent* cet. Semper *periculo* erit crux Criticorum. Nonnulli explicant *Commentariis publicis*, quos *Protocollum* vulgo vocant, quia Ciceronem Verr. III, 79. putant *pericula magistratuum* ita dixisse. At hoc est locum obscurum e loco obscuro illustrare: et Cicero dixit: *tabulae publicae periculaque magistratuum.* Eum. 1. extr. est *alterae* pro *alteri.* At saepius sic Cicero. Ib. 6. in. *utrum veniret* cet. ubi *utrum* sine *an* occurrit. Sic tamen saepius Cicero ipse. Ib. 13. *Hi — humaverunt, ossaque eius in Cappadociam ad matrem deportanda curarunt.* Quomodo Eumenem *humare*, ac deinde eius *ossa* in Cappadociam *deportare* potuere? Nonnulli legunt *cremaverunt* pro *humaverunt;* Recte: nisi forte velis dicere propinquos modo Eumenis cineres humasse atque ossa in Cappadociam misisse. Alii explic. *humaverunt* per *cremaverunt;* Male: *humare* semper est *humo tegere*, ut supra dictum.

c) Nec scriptor est, in quo non vitia vel durae locutiones occurrant; v. c. Caes. B. Civ. I, 65. *Quos ubi Afranius procul visos cum Petreio conspexit;* ubi *visos* abesse debebat. Sall. Cat. 30. *senati consulto* pro *senatus.* Hor. Epod. 17. Hectorem vocat *homicidam*, cum fuerit *virorum interfector:* et ap. Homer. dicatur ἀνδροκτόνος, quod vertere voluit Horatius. Curtius duplex *an* usurpat, pro eo Tacitus dixit *sive, an* cet. Not. sunt et discipuli de vitiis monendi, ubi nulla sunt; v. c. quando occurrit *sine ulla dubitatione*, dixerim, sic usitatius dici quam *sine omni dub.* At ca-

vendum etiam est, ne, quae vitia non sint, pro vitiis venditemus; v. c. 1) *si aliquis* it. *si qui* cet. recte dicitur. 2) *fructu*, *luxu* cet. pro *fructui*, *luxui* cet. Sic enim prisci. 3) Sall. Iug. 38. §. 6. *locum — introeundi dedit: eaque Numidae irrupere:* hic *ea* rectum est scil. *parte*, nec legendum *eo*. 4) Varr. R. R. III, 16. §. 7. *his diis* (Musis) *Heliconem adtribuerunt homines* pro *deabus:* recte; quia nulla ambiguitas. 5) *cadere humi*, *ponere in terra* recte dicuntur.

B) *Deinde adcedere debet domestica lectio.* Quae ut felicior fiat, utendum est bonis scriptorum editionibus, cura Criticorum ac Philologorum factis. Bona editio est vel *critica* h. e. ubi lectiones variantes recensentur et diiudicantur, ac textus scriptoris emendatur vel defenditur: vel *philologica* h. e. ubi difficiles loci e linguae usu, historia cet. explicantur. Critica editio per se est iam bona; at si utraque, et critica et philologica, coniungitur, eo melior est. Nominabimus aliquot editiones bonas priscorum:

1) *Nepotem* edidit a) *Bosius*, b) *van Staveren* cum notis variorum, c) *Heusingerus*, d) *Cellarius*, e) Clar. *Harlesius*. f) Clar. *Tzschukius*.

2) *Cicero* varie est editus: a) *Epistolas ad Diversos*, vulgo *ad Familiares*, edidit *Graevius* cum suis et aliorum notis, adiecitque Commentarium *Pauli Manutii:* it. *Cellarius*, quam editionem repetiit *Gottl. Kortte:* it. *Strothius*. b) *Epistolae ad Atticum* editae a *Graevio*. c) *Libri de Officiis*, *Senect. et Amic.* editi a *Graevio;* it. a *Pearcio:* praesertim *Heusingerus* edidit libros de *Officiis* praeclare. d) *Orationes* edidit *Graevius* cum notis variorum. Selectas quasdam edidere *Cellarius*, *Heumannus*, *Otto*. e) *libros de Orat.* edidit *Pearce*. f) *Libros de Invent.* cum libris *Auct. ad Herenn.* edidit *Burmannus secundus*. g) *Quaestiones academicas*, *libros de Finibus bon. et mal.*, *Quaestiones Tusc.*, *libr. de Nat. Deor.*, *de Divin.* et *Fato* edidit *Davisius:* it. Clar. *Wolfius Tusculanas Quaest.;* it. Clar. *Hottingerus* libros de *Divinat.:* h) *Opera omnia* edidere *Iac. Gronovius*, quam editionem repetiit Ernesti cum varietate lectionis Graev. et Davis. una

una cum Indice, *Verburgius* et *Olivetus*. Recentissima editio est *Ernestii* cum notis. Addi hic meretur *Gesneri Chrestom. Cicer.*, et *Nizolii Lexic. Cic.*; it. *Corradi quaestura.*

3) *Iul. Caesarem* edidit a) *Davisius*, b) *Clarkius*, c) *Oudendorpius*, qui Davisii, Clarkii et D. Vossii notas addidit, d) *Cellarius*, e) Clar. *Morus*.

4) *Livium* edidit a) *I. F. Gronovius*, b) *Iac. Gronovius* cum patris notis, c) *Doujatius* in usum Delphini cum supplementis *Freinshemii*: d) *Clericus* cum pauculis notis et supplem. Freinshem.; quam editionem repetiit *Gesnerus*, sed sine supplementis; e) *Crevierius* cum supplem.; f) *Drakenborchius*, VII Tom. quaternis, cum notis *Sigonii*, *Gronoviorum*, *Perizonii*, *Dukeri* et *aliorum*, it. supplementis Freinshemii. Hanc editionem, omissis notis et supplementis, sed addito Glossario repetiit Clar. *A. W. Ernesti*. g) Clar. *Strothius*, sed non totum.

5) *Sallustii* editiones habemus a) *Wassianam*, quam repetiit *Havercampius*, b) *Cortianam*, c) *Tellerianam*.

6) *Varronis libros de re rust.* edidit una cum scriptoribus rei rusticae *Gesnerus* cum aliorum notis: quam editionem repetiit *Ernesti*, deinde Clar. *Schneiderus*.

7) *Terentius* et *Plautus* huc quoque pertinent: *Terentium* edidit a) *Lindenbrogius*, b) *Westerhovius*, c) *Bentleius*, d) Clar. *Schmiederus*, qui et versionem nobis dedit. It. Versio *Daceriae* commendanda est. *Plautum* edidere *Taubmannus*, in primis *Gronovius*.

8) *Virgilium* edidere a) *de la Cerda*, b) *Emmenessius*, c) *Taubmannus*, d) *Ruaeus* in usum Delphini, e) Cel. *Heynius*.

9) *Ovidii* editio optima adhuc est *Burmanniana*, cum notis *Heinsii*. *Heinsianam* repetiit Cl. *Fischerus*. Ovidium edidit etiam *I. P. Millerus* sine notis, sed adiecto Glossario. *Libros Tristium* et *ex Ponto* separatim edidit Clar. *Harlesius*.

10) *Horatii* editiones sunt a) *Baxterio — Gesneriana*, b) *Bentleiana*, c) *Torrentiana* cet. Nuper et Cl. *Ian* quatuor odarum libros edidit. Commendandae sunt *versiones Satyrarum* et *Epistolarum* a *Wielandio* profectae.

11) *Tibullus* et *Propertius* editi sunt a *Passeratio* et *Broukhusio*. *Tibullum* separatim edidit Cel. *Heyne*:

Propertium Clar. *Barth*, Rect. Port.: *Catullus*, qui cum illis coniungi solet, separatim illustratus est ab *Is. Vossio* et nuper a Clar. *Döringio*.

12) *Lucretium* edidit *Creechius*: it. *Lambinus*.

13) *Quintiliani Institut. oratorias* edidit *Gesnerus*: it. *Burmannus* una cum *Declamationibus* Quintiliani nomen vulgo gerentibus.

14) *Phaedrum* edidit a) *Faber*, b) *Schefferus*, c) *Burmannus* tum cum notis variorum, tum separatim cum suis solius notis.

15) *Suetonium* edidere *Casaubonus*, *Graevius*, *Ernesti*, *Oudendorpius* cet.

16) *Plinii Epistolas* et *Panegyricum* edidit a) *Gesnerus*, cuius editionem paulo auctiorem repetiit Clar. *A. W. Ernesti*. b) *Cellarius*. *Epistolas* edidit *Kortte*: *Panegyricum Arntzenius* et *Schwarzius*.

17) *Gellium* edidit a) *Gronovius*, b) *Longolius* sine notis, at cum indice.

18) *Curtii* editio optima est *Snakenburgii*. Haec hactenus. Non omnes scriptores nec omnes editiones hic memorare adtinebat. Qui latiorem cognitionem huius rei cupit, adeat v. c. *Fabricii Biblioth. lat.* auctam a Cel. *Ernesti*, et Cl. *Harlesii* introd. in ling. lat.

Ceterum qui scriptores priscos notis doctorum instructos legit, is teneat haec:

1) ne statim notas has consulat: sed ipse sensum invenire studeat. Alioquin nunquam sponte cogitare discet.

2) alia subsidia coniungat, v. c.

a) *bonum Lexicon*; v. c. *Gesneri Thesaurum*, vel *Fabrum Gesneri*, Lexicon *Forcellini*. Quae cum care vendantur et tamen non adcurate ubique scripta sint, ego ipse Lexicon octonis nuper edidi. Huc pertinent *Ernestii clavis Ciceroniana*, *Hor. Tursellini liber de particulis*, auctus per Schwarzium et Ernestium, *Noltenii Lexicon antibarbarum*, it. minores libri, ut *Goclenii*, *Hadriani*, *Gifanii Observationes* in ling. lat. cet. in primis *Sanctii Minerva* cum notis *Perizonii* (inde ab anno 1714).

b) libellos eruditorum, in quibus prisci explicantur, v. c. *Gronovii Observationes*, *Cuperi Observationes*, *Bosii animadversiones in scriptores nonnullos*, *Victorii*, *Mureti*, *Canteri*, *Rutgersii* cet. varias lectiones,

ationes, in primis *Observationes Miscell.*, quae Burmanni et Dorvillii cura prodierunt.

c) *cognitionem historiae et geographiae priscae.*

d) *cognitionem antiquitatum* et *mythologiae.* Hic legendus est liber *Nieuportii, rituum rom. explicatio;* post *Lipsius* de *militia rom.*, *Sigonius* de *iure antiquo civium* cet. In primis *Livius.* In mythologia v. c. *Natalis Comes* aliquam operam praestat: sed melius est Ovidium aliosque poetas praesertim graecos legisse, it. *Hyginum* et *Apollodorum.*

e) *cognitionem linguae graecae;* e qua lingua latina magnam partem facta est. Legatur *Vechneri hellenolexia* per Heusingerum aucta.

f) *notitiam multarum rerum et artium*, v. c. *agriculturae, rei hortensis, artis medicae, pictoriae* cet. Sine cognitione hac multa loca priscorum intelligi nequeunt.

SECT. II.

De exercitatione in scribendo, dicendo, meditando.

Haec tria coniungi debent.

I) *Exercitatio in latine scribendo.* Haec prima esse debet, quia *oculi* hic iuvant: et praeponenda est exercitationi in dicendo. Duplex est *exercitatio* in latine scribendo, 1) *scholastica*, 2) *domestica.* Vtraque debet esse recta, h. e. non mera verba spectare. Ceterum

1) *in scholastica exercitatione* qua methodo sit utendum magistro, huius iudicio relinquendum. Nam si linguae latinae peritus est, ei praecepta dare, adrogantis foret. Qui contra imperitus est, quomodo is alios docebit? *Duplex* solet in scholis esse genus exercitationis latine scribendi:

Vnum genus est, cum dictatur a magistro aliquid vernacule, quod discipuli latine vertant, vel statim inter dictandum, vel domi. Vtrumque bene: modo sint discipuli isti labori pares h. e. Ciceroniani styli indolem calleant. Vocantur enim illa themata, latine vertenda, *exercitia* h. e. per quae discipulus exerceatur

tur in iis, quae iam didicit. Si igitur discipuli nondum isti labori pares sunt, suaserim potius, ut magister thema vernacule dictatum coram se explicari vertique iubeat, ita tamen, ut chartae ne mandetur. Vitia corrigere utile est: sed multo utilius praestare, ne vitia committantur. *In teneris consuescere multum est.*

Alterum genus est, cum magister *thema orationis, narrationis, epistolae* cet. latinum discipulis proponit, quod hi, postquam in schola satis explicatum est, eadem lingua latius diffundant et elaborent. Sic discipuli sponte sua cogitare discunt. a) *epistola* ista debet esse *vera.* Fictae nihil prosunt: nam in iudicando, an epistola apte scripta sit, refert magni rem et personam, ad quam scribitur, nosse. Sic se res habet b) cum *narratione.* Proponitur discipulis factum, quod legerunt in Cicerone cet. Huius facti particulas domi apte coniungunt. c) in *oratione* elaboranda dictatur *thema:* cuius argumentis, testimoniis cet. sua sponte inveniendis adsuefaciendi sunt adiuvante magistro. Sed a hoc non ante tentandum, quam vires permittant, b) ante ratio e vernacula in latinam linguam aliquid transferendi exercenda et postea conservanda est. Nonnulli hoc reiiciunt: male: quid si enim iubeare a rege v. c. librum vernaculum latine vertere? quomodo hoc facere possis? Et philologis, qui nonnisi latine scribi iubent, adcidit plerumque, ut e vernacula in latinam nihil apte transferre queant.

2) *Domestica exercitatio in latine scribendo* eadem esse debet, quae scholastica. Exercitatio sola nos reddit rei peritos. *Stylus est optimus et praestantissimus dicendi* (et scribendi) *effector ac magister* Cic. Or. I, 33.

II) *Exercitatio in latine loquendo.* Nec haec negligenda, a) ut in academicis disputationibus personam respondentis, opponentis aut praesidis gerere possis; b) ut, si quis te latine forte adloquatur, statim respondere queas, nec tibi idem adcidat, quod adcidisse aiunt Sigonio, Salmasio, Freinshemio, Facciolato, ut latine loqui timerent. Sed quaeritur, quando et quomodo haec exercitatio instituenda? 1) *quando?* non ante,

ante, quam scribere scias et magnam tibi linguae notitiam comparaveris: 2) *quomodo?* a) coram magistro vel cum eo loquendo, ut is corrigere possit: b) ita tamen, ut minorem temporis partem dicendo, maiorem scribendo impendas. Cicero ipse Or. I, 33. sub Crassi persona *adcurate et parate dicere* praefert τῷ *subito dicere*. Quanto magis nos debemus? Non lingua latina ex vernaculae usu iudicanda est.

III) *Exercitatio in latine cogitando et meditando.* Haec a) est omnium utilissima, b) ubique locum habet, cum exercitatio scribendi non ubique institui possit, quia v. c. chartam non ad manus habemus. Dupliciter ea fieri potest ac debet: 1) quando soli sumus, nec librum latinum legimus, debemus cogitare, quomodo hoc vel illud latine exprimi possit: 2) in primis quando librum latinum v. c. Ciceronis legimus, debemus ubique cogitare, quomodo rationem Tullianam imitemur, atque statim aliquid ad eius similitudinem effingere. Et magister hanc rationem sequi debet. V. c. quando Cic. Rosc. Am. in. lego: *Credo ego vos mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim*, possim hanc periodicam structuram ita imitari: *Valde miror, quid sit, quod, cum innumerabiles homines Ciceronis libros legant, pautissimi tamen eius dicendi genus in scribendo adsequantur;* vel alio modo. Atque ita ubique fieri debet.

Ceterum hic quodammodo adiuvare poterunt libri supra memorati *Lexicon Fabri Gesnerianum*, *Thesaurus Gesneri*, *Nizolii Lexicon Cic.* a Facciolato editum cet. it. *Erasmus* de *copia verborum; Politiani Epistolae*, *Cunaei Orationes* et *Satyra Menipp.* cet.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0365
DFG

SECT. III.

Additamenta de imitatione ipsa.

Omnia hactenus dicta pertinent ad priscorum imitationem. Iam quaeritur: 1) *qualis debeat esse imitatio?* 2) *quis priscorum praecipue imitandus?*

I) *Qualis debet esse imitatio?*

1) *Primum debet esse talis, qualis esse debet lectio* h. e. pertinere ad totum habitum styli priscorum, non ad sola verba: haec enim foret *compilatio*, non *imitatio*, saltem *imitatio puerilis*, non *mascula* s. *virilis*.

2) *Deinde debet esse sana, nec nimis adparere* h. e. debemus Ciceronem ita imitari, ut nemo dicere facile possit, ubi illum imitati simus; veluti apes e floribus succum sugunt ita, ut nemo sciat, quantum ex hoc vel illo flore hauserint. Debet itaque lectio priscorum bene ante concocta esse. Fit haec concoctio 1) recte intelligendo sententias priscorum, 2) saepius repetendo, 3) saepius exercendo. Et istam imitationem voco quoque masculam s. virilem. Viros pudet, si quem imitari videntur. Omnis imitatio nimis manifesta displicet. Falluntur, qui magnam laudem in eo quaerunt, si dicere possint, se hoc vel illud e Cicerone, Livio cet. hausisse. Legatur Politianus in ep. ad Cortesium lib. 8. qui ait: *Mihi vero longe honestior tauri facies aut item leonis, quam simiae videtur. — Non exprimis, inquit aliquis, Ciceronem! Quid tum? Non enim sum Cicero, me tamen — exprimo.* Multi maiores viri facti essent, nisi se soli imitationi tradidissent. Audiunt, nihil praestantius esse posse Homero, Virgilio, Cicerone cet. sed ut hi alios vicerunt, ita ab aliis vinci possint. Multi vincerent, si vincere se posse putarent. — Quid vero iudicandum de Latinis, qui Graecos imitati dicuntur? Hic a) concedendum est poetis, si interdum similitudines ex aliis poetis sumsere, quia aptiores non inveniebant. In ceteris rebus si nimis adparens imitatio videatur, hoc in vitiis referendum. b) saepe docti credunt, aliquem priscorum hoc vel illud ex alio sumsisse, quia uterque eandem

eandem rem tractat. An vero incredibile est, plures in eandem sententiam sua sponte incidisse? Regnant etiam saepe in populo sententiae et proverbia, quae unde inventa sint, nemo scit: iam si ea apud duos scriptores occurrunt: uter sumsit ab altero? Valde errant, qui putant temporis rationem habendam hic esse. Paulum Apostolum scimus aliquot graecos versus protulisse: sed inde non sequitur, eum illos e poetis hausisse. Imprudenter ergo agunt, qui statim clamant: hoc ex Euripide, Homero cet. sumtum est. Sic Cortius ad Sallustii verba Catil. in.: *pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit*, ait: *Imitatur plane Aur. Vict.* cet. Idem ad haec verba cap. I. extr. *Nam et prius, quam incipias, consulto: et ubi consulueris, mature facto opus est*, ait: *Noster Demosthenem expressit* cet. An incredibile, hanc sententiam Sallustio, senatori romano, viro erudito, sponte in mentem venire potuisse?

II) *Quis priscorum praecipue imitandus?* Si in latine scribendo nonnisi vocabulorum et phrasium ratio haberi deberet, non magni interesset, utrum Ciceronem an Caesarem, Nepotem, Livium cet. imitandum sumeres: nec obesset, si Curtium, Senecam cet. exprimeres. Imo ne opus quidem esset, veterum quemquam legi, quia e bono Lexico vocabula et phrases quaelibet peti possent. Verum, de intelligentium sententia, in latine scribendo non sola verba, non solae phrases, sed totus orationis habitus spectatur, quia recta idearum tractatione et connexione, iusta copia et brevitate, omninoque perspicuitate, gravitate et suavitate h. e. eloquentia cernitur. Iam quaeritur, an haec omnia ex omnibus scriptoribus peti possint, et an pari modo? Magnum enim discrimen inter scriptores intercedit. Omnes scriptores, quacunque lingua scribant, inter se valde differunt 1) *tempore*, quo vivunt, et *statu reipublicae*, in qua scribunt: aliter scribit, qui in libera, aliter qui in non libera republi-

ca

ca vivit. 2) *charactere* s. scribendi genere scribendi materiae, quam tractant, proprio. Aliter scribit historicus, aliter comicus, aliter orator, aliter philosophus. Sed et hic iterum discrimen. Aliter scribit historicus, rem breviter narrans, v. c. Caesar, Nepos, aliter qui rem cum causis enarrat, v. c. Livius. Aliter scribit orator, coram plebe dicturus, aliter, coram rege, senatuve romano. Aliter scribit philosophus philosophis, aliter imperitis. Iam ut similes cum similibus libenter congregantur, sic quisque ex eo scribendi genere, quod adpetit, scriptorem, quem sequatur, eligit h. e. comicum, si comicus, oratorem, si orator, historicum, si historicus fieri cupit. 3) *Ordine et gradu honoris.* Aliter scribit rex eruditus, consul romanus eruditus, aliter civis eruditus. 4) *doctrina* et *ingenio.* — Iam ut res se habet cum scriptoribus omnium nationum, ita cum latinis. Differunt hi et *tempore* ac *statu reipublicae*, in quo vixerunt, et *genere scribendi materiae ab iis elaboratae proprio* et *honoris gradu munerisque amplitudine* et *doctrina* atque *ingenio.* Aurea aetate h. e. tempore liberae reipublicae scriptores rerum, quam verborum erant studiosiores, simpliciusque scribebant, quam in argentea, in qua leno-ciniis verborum plus dabatur operae, quam rerum tractationi. Libera republica cives, ut res gerebant, ita res tractabant in scribendo et dicendo: oppressa ea, rerum gerendarum cura erat apud Augustum et eius successores: cives, qui otiosi esse non possent, curam vocabulorum suscipiebant. Libera republica ingenium civium neminem timere vel adulari cogitur; hinc se, ad quodcunque vult, erigit, dicit *libere* h. e. *vere.* Et *vere dicere* est fundamentum τῦ *pulchre dicere*, omninoque *eloquentiae.* Libera sentiendi potestas ingenia acuit, et viam ad summa quaeque sternit. In libera republica praemia summa exspectabant eloquentiam:

tiam: in rep. libera romana oratores atque ita scriptores erant duces civitatis, ergo reipublicae administrandae peritissimi. At quo quis genere, dignitate et honore est superior et quo maiores res quotidie tractat, eo altiores cogitationes imbibit, eo magnificentius sentiendi facultatem habet, eoque pulchrius et scribit et loquitur, praesertim si ingenium doctrina excoluit. Accedit, quod talis vir summorum virorum consuetudine utitur atque ita tum magnis rebus cogitandis, tum venuste loquendo in dies adsuescit. Tales erant Cicero, Caesar cet. Ac profecto, si hodie non nisi reges, vel alii nobilissimo genere nati, reique publicae administrandae adsueti, ac simul doctissimi et eloquentissimi orationes vel libros ederent, profecto *aetas aurea* hodie aeque esset ac fuit aetate Ciceronis. Nam scriptores et oratores humili genere nati, qui magnas cogitationes e libris demum edisce coguntur, non magni fieri possunt. Sed ista omnia mutabantur, amissa libertate. Hic imperatores rerum curam suscipiebant: eloquentia discebatur, non ad res gerendas, sed ad causas in foro agendas: et, deficiente libertate sentiendi, fiebat enervis, haerebatque in verbis, eorumque ornatu: oratores et scriptores erant genere, honore inferiores cet. et sic eloquentia magis magisque lapsa est.

Ex his patet *primum*, auream aetatem praeferendam esse argenteae et ceteris: *deinde* e scriptoribus aureae aetatis praeferendum esse Ciceronem, a) quia fuit omnium *doctissimus*, b) *ingeniosissimus* et *eloquentissimus*, c) *princeps*, *consul*, rebusque magnis in senatu et coram populo agendis praefuit, d) in primis, quia ex omnibus scriptoribus aureae aetatis unus est, qui talia scripserit, qualia hodie ab eruditis scribi soleant, v. c. orationes, libros disciplinam aliquam explicantes cet. Nam si quem imitari volumus, aequum est

est eum imitari, qui de eadem materia, de qua scribere nobis in animo est, vel saltem de simili scripserit. At si quis historiam simplicem scribere conetur, ei suaserim, ut Caesarem vel Nepotem, ac si instructam s. pragmaticam, ut Livium imitetur. It. si quis comoediam scribere velit, is debet Terentium imitari. At quotus quisque est, qui historiam vel comoediam latine concinnare cupiat? Ergo, ut nullus scriptor non legendus, sic Cicero praecipue, quem imitemur, dignus est. Sed ut haec imitatio non in verbis, sed in toto orationis habitu poni debet, ita, si quis verba Ciceronis verbis aliorum praefert, hoc ei non vitio vertendum. Nam si scriptorem adtente ac saepe perlegimus, quid mirum, si eius verba nobis notiora sint faciliusque in mentem veniant, quam verba aliorum?

APPEN-

APPENDIX II.

DE ELABORATIONIBVS.

Referimus huc, quidquid conſcribitur, licet ſine *labore* interdum fiat, v. c. epiſtolas ad amicos cet.

SECT. I.

De elaborationibus ſ. ſcriptionibus in genere.

Elaborare theſin ſ. *thema* eſt *rem propoſitam perſpicue, ſuaviter,* ac, ſi opus, *graviter dicere.* Ad *perſpicuitatem* pertinet etiam, ut ſupra dictum, *ad perſuadendum apte dicere;* id quod fit argumentis. Hic in univerſum teneamus:

1) De nulla re ſcribamus, niſi a) notabilis ſit, b) eam plane intelligamus, atque argumenta eius firma ſciamus.
2) Haec argumenta ſaepe ante ſunt examinanda et cum themate comparanda. Prodeſt hic illa chartae ex ordine mandare atque ita oculis ſubiicere.
3) Adtendenda eſt connexio argumentorum, enuntiationum, verborum. Prodeſt hic totum contextum poſt aliquod tempus perlegiſſe. Saepe diſplicet, quod olim placebat.
4) Verborum delectus et ordo adtendendus. Hinc ſaepe *ſcriptum totum* perlegendum, in primis tempore interiecto. Prodeſt et aures iudiciumque amicorum eruditorum conſuluiſſe.
5) Habenda eſt ratio lectorum et auditorum.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0371
DFG

SECT. II.

De elaborationibus s. *scriptionibus in specie.*

Quatuor solent esse, quae scribuntur, 1) *orationes*, 2) *narrationes*, 3) *epistolae*, 4) *libri*, *dissertationes* cet. de rebus ad doctrinam pertinentibus.

SECT. III.

De orationibus.

Oratio proprie dicta constat tribus partibus, 1) exordio, 2) themate, 3) conclusione.

I) *Exordium* proprie non opus esset, nisi consuetudo invexisset. Quale debet esse? *debet auditorem ad thema praeparare;* v. c. si thema est: *historia literaria est studioso literarum utilis*, possit in exordio agi *de nonnullorum errore putantium eam inutilem esse*, vel *de causis, cur a multis negligatur*, vel *de multorum contemtu historiae literariae.* In exordio debet esse 1) *thema* s. *propositio*, quam explicare et argumentis, licet breviter, confirmare debemus; 2) *connexio huius thematis cum themate orationis;* v. c. Thema orationis: *historia literaria est studiosis literarum utilis.* Exordii thema: *multi contemnunt historiam literariam.* Causa: *quia eius utilitatem ignorant.* Causae causa: *quia non ipsam didicerunt.* Connexio: *Quare de eius utilitate dicam.* Interdum exordium potest etiam a persona dicentis, vel ab occasione, loco, ubi dicitur, et tempore duci; v. c. quando quis primum coram auditoribus dicit, quando dies solennis est cet.

II) *Thema*

II) *Thema orationis.* Hic not. 1) *thema,* 2) *eius tractatio.*

1) *Thema* ipsum est vel *infinitum* vel *finitum.*

a) *infinitum* s. *indefinitum*, cum de re in universum dicitur nec ad certum hominem, tempus, locum respicitur; estque vel *generalius*, v. c. de *virtutibus in genere;* vel *specialius*, v. c. de *una virtute*, ut *modestia* cet. vel *specialissimum*, v. c. de *modestia erga inferiores* vel *superiores.*

b) *finitum* s. *definitum*, quando de certis hominibus, certa urbe cet. sermo est; et est vel *generalius*, v. c. de *virtutibus principis*, vel *specialius*, v. c. de *liberalitate principis;* vel *specialissimum*, v. c. de *liberalitate principis erga cives tempore egestatis publicae* cet.

Quo generalius thema est, eo plus materiae quidem datur ad dicendum, sed eo minus adcurate res explicari potest. Quo specialius est thema, eo adcuratius res tradi potest, eoque magis valet ad movendos animos, ad adtentionem excitandam, eoque utilius est.

2) *Thematis tractatio.* Hic spectanda sunt tria: *Thematis explicatio, confirmatio* et *illustratio.*

A) *Thematis explicatio.* Explicari debet, si opus est, vel subiectum, vel praedicatum, vel utrumque. Subiectum explicatur vel ex historia vel per definitionem; v. c. si thema est: *paupertas est mater virtutis*, docetur, paupertatem hic non esse eam, quae mendicare cogatur cet. Si Thema est: *venia a Caesare Marcello data admiranda est*, docetur ex historia, quid peccaverit Marcellus cet. Ratio hic est rei et auditorum habenda. Saepe nulla explicatione subiecti vel praedicati opus est: tum stultum foret explicare.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0373
DFG

B) *Thematis confirmatio.* Thema confirmamus, quando docemus, ipsum esse *verum* h. e. praedicatum subiecto vere convenire: idque fit argumentis, exemplis, it. testimoniis in rebus historicis, ut diximus P. II. c. 1. de *perspic.* Sect. 7 et 8; ubi monuimus, a) *argumenta debere esse satis multa* et *satis firma*, b) *debere recte digeri;* v. c. fortius minus forti postponi, c) *debere saepe repeti,* in primis aliis verbis, d) *debere recte tractari* h. e. debere effici, ut eorum vis adpareat. Hoc fit 1) *confirmatione eorum per nova argumenta:* imo haec iterum aliis argumentis saepe, quamquam breviter, confirmanda sunt: 2) *ostendenda eorum connexione cum themate.* Hoc fit per *locum communem.* Hic locus communis nihil fere aliud est, quam *dictum illud* de *Omni* et *Nullo*, ut Logici loquuntur, h. e. quod *Omnibus* vel Generi convenit, id convenit etiam singulis vel speciei, v. c. *Thema:* historia literaria studioso literarum est utilis. *Argumentum:* per eam enim cognoscit viros eruditos, eorum libros, vitam cet. atque ita videt, quantum sibi discendum restet, incitaturque ad illos imitandos. *Connexio:* Atqui omnia, quae nos ad discendum vel cognitionem augendam incitant, sunt utilia et commendanda. Omnis igitur tractatio argumenti est syllogismus logicus inversus. Syllogismi logici conclusio est thema orationis, propositio minor est argumentum Thematis, propositio maior est connexio argumenti cum themate. En exemplum

a) rationis logicae:

Omnia, quae studiosum literarum ad eas acrius discendas impellunt, sunt ei utilia et commendanda,
Atqui *historia literaria incitat ad literas acrius disc.*
Ergo *est ei valde utilis et commendanda.*

b) ra-

b) rationis oratoriae:

Historia literaria est studioso utilis et commendanda.
Nam incitat eum ad acrius discendum.
Sed quis dubitet ea esse utilia et commendanda studioso literarum, quae illum ad acrius discendum impellant?
Hic est locus communis, connexioni argumenti cum themate serviens.

Differunt ergo Oratores et Logici ita: 1) Logici e duabus enuntiationibus, quas ut certas sumunt, et *praemissas* vocant, eliciunt novam enuntiationem, quae inde necessario fluit: Oratores hanc statim ab initio ponunt, et illas duas enuntiationes demum quaerunt: 2) Logici non singulas enuntiationes confirmant, illustrant cet. At oratorum est, eas explicare, confirmare, illustrare. Ceterum ita in omnibus argumentis agendum est. Conf. hic supra dicta in capp. de *perspicuitate* et *gravitate*.

C) *Thematis illustratio* per exempla et similia, ubi v. c. a minori ad maius concluditur cet. Sic et argumenta illustrantur.

III) *Epilogus* s. *conclusio*, s. *peroratio* proprie nihil aliud est, quam finis orationis. Ac profecto, themate satis explicato, finis orationis esse possit: et in libris dogmaticis, thesi explicata, desinere plerumque solemus. At

a) Romani graecique oratores, quorum orationes in movendis animis auditorum, v. c. iudicum et plebis versabantur, solebant, re explicata, confirmata et illustrata, tandem ad iudices vel populum propius se convertere, atque 1) rem cum argumentis repetere, 2) deinde omni artificio id agere, ut animos auditorum commoverent, ira, misericordia cet. implerent, atque ita ad agendum vel omittendum aliquid impellerent. Hinc finis orationis iis erat nova quasi tractatio; hincque epilogus factus est pars quaedam orationis.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0375
DFG

b) Noſtra eloquentia e romana ducta eſt: hinc item ſolemus poſt explicatum et confirmatum thema 1) argumenta repetere, 2) praecepta, admonitiones addere, et thema, ubi decet, ad auditores transferre, horum animos ad agendum vel omittendum incitare, hancque in rem commovere, et ira, miſericordia cet. implere. Non male. At 1) multi omnia tribuunt huic perorationi; thema ipſum et argumenta non recte tractant: in quo peccant. Nihil tam homines commovet, quam argumenta. Quorum iuſta tractatio niſi praeceſſerit, fruſtra eſt homines incitare cet. 2) nec *commovere animos* ubique decet, v. c. in re dogmatica, it. coram eruditis. Hi nonniſi argumentorum pondere moventur.

Not. interdum epilogus ad ſolum dicentem pertinere poteſt et conſiſtere in gratiarum actione, in commendatione ſui cet. v. c. ſi quis ex loco abiens auditores valere iubet cet.

SECT. IV.

De narrationibus.

Narratio eſt *explicatio rei actae*, eſtque duplex:

A) quatenus eſt *membrum Orationis* proprie dictae, et vel explicationi thematis ſervit, vel ad illuſtrationem argumenti pertinet et *exemplum* vocatur. Vtraque narratio a) debet eſſe non nimis longa, b) eſt vel *ſimplex* h. e. ubi res tantum narratur, ut geſta eſt, vel *ornata* h. e. cum ſingulae eius partes eodem modo, quo argumenta, tractantur, argumentis confirmantur, illuſtrantur: id quod in oratione, cuius Thema eſt hiſtoricum, locum habet.

B) quatenus eſt *peculiare ſcriptionis genus*, cum v. c. vitam principis, res populi cet. exponimus. Hic notanda haec duo:

I) *Vir-*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0376
DFG

I) *Virtutes narrationis.* Omnis narratio debet esse vera, perspicua, suavis.

1) *vera* est, si is, qui narrat, rem recte narrare et potest et vult. Vtrumque coniungi debet: interdum aliquis vult recte narrare, at non potest: interdum potest aliquis recte narrare, at non vult. Recte narrare *potest* is, qui rei ipse interfuit ac simul de ea iudicare recte potest. Quia tamen nos omnes omnibus rebus interesse non possumus, etiam eum dicimus recte narrare posse, qui eam ab aliis, recta rei scientia et voluntate fideliter narrandi praeditis, didicit. Recte narrare *vult* is, qui est veritatis amantissimus. Talis non curat homines, praemia, damna, opiniones, laudes, vituperationes, sectas philosophorum, et nec patriae, nec religionis, nec amicitiae, nec inimicitiae habet rationem, et narrat ita, tanquam solus sit in hac terra sibique soli narret. Veritatem solam spectans omnia ornamenta, v. c. figuras cet. quibus oratio suavior, gravior, probabilior fiat, omittit. An eiusmodi homines multi sint, quaeritur. Nec mirum, historicos raros esse.

2) *perspicua* est, si nihil omittitur, quod ad rem plane intelligendam pertineat, si ordo rerum ac temporum servatur, si nihil alieno loco immiscetur, si nimia brevitas vitatur, si verba usitata remque optime exprimentia usurpantur. Add. et P. II. c. 1. de *perspicuit. dicendi.*

3) *suavis* est, a) si perspicua est. Omnis perspicuitas placet. b) si iusta brevitas servatur, c) varietate rerum: it. si inexspectata multa continet, si exitus mirabilis est: it. descriptionibus hominum et rerum venustis; it. genere scribendi vegeto cet. Cf. supra Cap. de *suavit. dic.*

II) *Divisio.* Narratio est vel *simplex* vel *pragmatica.* *Simplex* est, cum tantum res cum suis partibus ex ordine narratur, non additis iudiciis de eius ratione cet. Talis est narratio Caesaris, Nepotis. *Pragmatica*, cum praeterea res e primis initiis ducitur, et additur,

ditur, cur ita facta sit, nec aliter fieri potuerit cet. it. iudicia de natura rei et causis, de moribus populi et viri magni, per quem res magna facta est, adduntur et loci communes tractantur cet. Tali narratione fit lector prudens et discit de rebus iudicare. Tales sunt magnam partem narrationes Livii et Taciti.

SECT. V.

De conscribendis epistolis.

Epistolarum scribendarum praecepta adcurata omnium minime tradi possunt. Nam materia, quae in iis tractatur, est tam diversa et personae, a quibus et ad quas scribitur, sunt tam diversae v. c. gustu, honoris gradu et relatione inter se, ut ista omnia praeceptis comprehendi nequeant. Aliter scribimus ad amicos, aliter ad inimicos, aliter ad superiores, aliter ad inferiores, aliter ad superbos, modestos, notos, ignotos cet.

Epistola est scriptum, quo absenti idem dicimus, quod ei, si adesset, dicturi essemus. Ac si semper ad amicos scriberemus, nulla difficultas foret: quia hic eodem modo cum absentibus, quam cum praesentibus, loqui possemus. At epistolarum, ad amicos scribendarum, praecepta non dari opus, quia hic animus loquitur, sed earum, quae ad alios, praecipue ad principes et amplissimis muneribus fungentes mittuntur. Paucula monebimus:

I) In omnibus, quae scribimus, v. c. confirmamus, laudamus, vituperamus, videndum, ut ea lector intelligat, et credat; hinc multa e *cap. de perspic.* huc pertinent. V. c. non dixerim: *gratulor tibi, quod munus amplum nactus es;* et hic silere; sed potius sic: *Gra-*

Gratulor tibi munus, quod tu in primis bene ornare potes cet. vel alio modo.

II) Humanitas ubique obſervanda; v. c. humanius eſt: *Quod tibi rex munus tam amplum credidit, non tam tibi, quam toti civitati gratulor, quae quantum utilitatis e tua doctrina* cet. *captura ſit, iam animo praevideo* cet. quam: *gratulor tibi de munere.* Sic ſi quid petimus, addenda eſt conditio, v. c. *ſi digni ſumus, ſi fieri poſſit* cet.: ſi recuſamus aliquid, addere debemus, *nos invitos facere*, et *cur* recuſare cogamur. In primis de nobis *modeſte* loqui debemus: it. *nos adcommodare* ad eorum, ad quos ſcribimus, guſtum et intelligentiam cet. cf. ſupra *Cap. de ſuavit.*

III) *Obſervantia* erga ſuperiores nunquam negligenda eſt. Quare v. c. ne dicamus: *Iterum ſcribo ad Te, Comes Illuſtriſſime* cet. ſed: *ad Te ſcribere auſus ſum, pietatis meae eſſe duxi* cet. vel alio modo. Hinc conſuetudini cedendum, a qua ſaepe pendet obſervantia: hinc honorum nomina ſ. titulos, ut vocantur, non negligere vel latinius exprimere debemus. Nam in colendis hominibus non quaeritur, quam latine, ſed quam obſervanter loquamur. Nec cauſam video, cur abſtracta illa, v. c. *Serenitas, Excellentia Tua* cet. uſurpari non poſſint. Non enim vivimus amplius in romana republica, ubi dicebant: *Tu, Caeſar* cet. Hinc nec cum Cicerone ſcribendum, v. c. *Io. Fridericus N. N.* S. P. D. *Comiti Illuſtriſſimo* cet. ſic et obſervantius eſt dicere *Tibi me*, quam *me Tibi* cet.

IV) In epiſtola delectus et ordo verborum debet eſſe curatior, quam in ſermone. Nam ſermo mox evaneſcit: at epiſtola ſervatur ſaepe, vel aliquoties perlegitur, vel aliis oſtenditur. Et omnino in epiſtola plus diligentiae exſpectatur quam in ſermone cum

praesentibus. Sed ornamenta oratoria, figurae cet. absint: nam epistola est similior sermoni vulgari quam orationi.

V) *Finis epistolae* non debet esse: *Cura, ut valeas:* non quod hoc per se vitiosum sit, sed quia haec formula nimis vulgaris est et sapit nimiam imitationem Ciceronis. Nec subscriptionem nominis cum epistola cohaerere volunt bene latine scribentes; v. c. reiiciunt hoc: — *mihi tribua, qui perpetuo manebo, Comes Illustrissime. Tuo nomini Illustr. addictissimus*, sed ita malunt poni: — *mihi tribuas.*

Comes Illustrissime, vel *Vir illustris*
Nomini Tuo Illustrissimo vel *Illustri*
addictissimus
N. N.

In his rebus multum valet mos receptus, quem sequi debemus. Nec video tamen, cur subscriptio nominis cum epistola non cohaerere bene possit, praesertim cum sic, more epistolarum francogallicarum, non parum observantiae declarari possit.

VI) In adiectivis muneris amplitudinem et generis splendorem indicantibus, quae vulgo *den Titul, die Titulatur* vocant, sequenda est magis consuetudo, quam elegantia styli Tulliani. Offendimus hominum animos, si titulum honoris, cum quo coniunctus est honoris gradus, locus et ordo, illis non tribuimus. Adponam hic eiusmodi Adiectiva s. honoris titulos, prout vulgo usurpantur:

1) ad *Regem* ab initio epistolae:

Rex Sereniſſime ac Potentiſſime,
Domine longe Indulgentiſſime,

Hi duo versus in fine repetuntur, et additur:

Nomini Tuo Augustissimo
devotissimus
N. N.

Sic et ad *Imperatorem romanum*, nisi quod post *Potentissime* adhuc *Invictissime* addi solet.

2) ad *Principes Electores, Duces, Landgravios, Marchiones, Principes:*

Princeps Elector (Dux, Marchio, Princeps) Serenissime,
Domine Indulgentissime,

Hi duo versus in fine repetuntur et additur:

Nomini Tuo Serenissimo
devotus
N. N.

NB. Nonnulli ad Principem Electorem scribentes addunt *Potentissime* post *Serenissime.*

3) Ad *Comitem Imperii* vel etiam alios *Comites:*

Comes Illustrissime,
Domine (Maecenas) *Gratiosissime*, it. vidi *Clementissime,*

Hi versus repetuntur in fine et additur:

Nomini Tuo Illustrissimo
devotus vel *addictissimus*
N. N.

4) ad *Nobiles: Perillustris* cet. Si summis muneribus funguntur, quales sunt ii, qui *Status Ministri* adpellantur, dicitur etiam: *Illustrissime.* Et in fine:

Nomini Illustrissimo vel *Perillustri*
devotus vel *addictissimus*
N. N.

5) ad eos, qui *non sunt nobiles*, varie scribi solet. Qui munere funguntur, quo nobiles fungi solent, vel qui inter eos, qui non nobiles sunt, amplissimum munus administrant, quales sunt *Consiliarii*, ad eos scribitur: *Illustris* (Wohlgeborner). Deinde sequuntur vulgo

Praenobiliſſime et *Nobiliſſime*, quae creduntur reſpondere vernaculis *Hochedelgeborner* et *Hochedler*, it. *Hochwohledler* vel *Wohledler*. Hic quiſque videre debet, quid cuique conveniat. Regnat enim in hoc genere magna confuſio. Alterum verſum quiſque pro relatione, quae inter ipſum et eum, ad quem ſcribit, eſt, adponere debet; v. c. *Patrone* vel *Fautor magni aeſtimande*, cet. In fine pro relatione varie ſubſcribitur, v. c. *Nomini Tuo Illuſtri addictiſſimus* vel *addictus;* it. ſi ad inferiorem ſcribitur, *Tui ſtudioſiſſimus* cet. — Habemus et *Excellentiſſime*, *Celcberrime*, quae nonnulli v. c. Profeſſoribus tribuunt; it. *Praecellentiſſime*, it. *Ampliſſime* et *Conſultiſſime*, quorum poſterius ſolis Iureconſulſis, prius et his et aliis tribuitur. Cuinam enim proprie conveniat *τὸ Ampliſſime*, nemo certo ſcit. It. *Experientiſſime*, quod medicis tribuitur.

6) ad *Sacerdotes*, quo pertinent *Equites Maltenſes* ſimilesque, ſic ſcribitur: a) ad *Papam Romanum: Sanctiſſime Pater* cet. b) ad *Cardinales: Eminentiſſime* cet. c) ad *Archiepiſcopos* et *Epiſcopos: Reverendiſſime* cet. d) ad *Conſiliarios eccleſiaſticos* et *conſiſtoriales*, *Superintendentes generales* et alios quoque *Superintendentes*, it. *Profeſſores Theologiae academicos: Vir ſumme venerabilis et doctiſſime*, e) ad *Inſpectores* ſ. *Superintendentes* in minoribus oppidis (titulus enim ſaepe variat pro oppidi vel parvitate vel magnitudine), *Archidiaconos* in maioribus oppidis et *Paſtores: Vir maxime venerabilis et doctiſſime*, f) ad *Archidiaconos* minorum oppidorum, *Diaconos*, *Paſtores rure degentes*, eisque ſimiles: *Vir plurimum reverende et doctiſſime* cet.

Haec poſui, ut more recepta vidi. Quae ſi cui non placeant, is non me, ſed morem reprehendere debet.

VII) Cicero incipit epiſtolas interdum: *Si vales bene eſt, ego quoque valeo.* Qua formula qui uti vult, ei non invidendum eſt. Alii ſtatim a re ipſa initium fieri

fieri volunt: nec hoc iniquum est, praesertim inter amicos. Interdum per ambages ad rem perveniri solet, v. c. si quid petitur, quod difficile videtur impetratu, vel si res tractatur cautionem postulans.

VIII) *Titulus externus*, ut vocatur, s. *inscriptio, die Aufschrift*, non debet fieri latine, sed, more iubente, francice; v. c. *à Son Excellence* cet. aut *à Monsieur* cet. Nam quid ei, qui epistolam reddit, opus est scire, eam latinam esse? Imo non satis recte tradet, si inscriptionem non intelligit.

IX) Cetera in epistolis latinis aeque observantur atque in vernaculis, v. c. melius est literis circumdare *involucrum*, vulgo *Couvert*. Postulat hoc humanitas et necessitas. Tectior sic est epistola; et sine illo facile in aperiendo scindi potest.

SECT. VI.

De libellis ad doctrinam pertinentibus.

Pertinent huc v. c. Dissertationes, Programmata cet. Sed de his multa dici nequeunt, quia, qui tales libros scribunt, docti sunt, nec praeceptis egent. Addam pauculas cautiones:

1) Hic non ea exornatione argumentorum opus est, quae in orationibus adhibetur. Lectores enim sunt eruditi, qui per se argumentorum pondera aestimare possunt.

2) Abstinendum est ab adfectibus commovendis. Ergo figurae gravitati servientes pleraeque vel vitandae vel raro adhibendae. Lector eruditus vult argumentis vinci, non verborum lenociniis abripi. Si tamen res gravis immiscetur, gravitas dicendi adsumenda est. Tum commotio animi non abesse plane potest.

3) Ver-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0383
DFG

3) Verborum ſimplicitas in primis commendanda eſt. Quo enim maior eſt verborum ornatus, eo ſuſpectior eſt res, quam tractas.

Haec de elaborationibus. Sunt et alia ſcriptionum genera, v. c. *dialogi* et *inſcriptiones*, quales in marmoribus priſcis exſtant. At raro hodie occurrunt. Ac ſi quis ſermonis peritus eſt, hominum animos novit, non ingenio caret, ac perſpicue, graviter, ſuaviterque ſcribere didicit, is in dialogis ſcribendis non infelicem operam praeſtabit, dummodo materiam, cui par ſit, tractet. In *inſcriptionibus* ſpectatur brevitas et acumen. Materia praebetur ab ipſa re, quae inſcriptione ornanda eſt, v. c. ab aedificio publico, vel ab homine, cuius memoria inſcriptione conſervari debet.

APPEN-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0384
DFG

APPENDIX III.

DE VARIIS DICENDI GENERVM DIVISIONIBVS APVD PRISCOS MEMORATIS.

Memorabimus eas, more ducti, licet earum non magnam utilitatem esse credamus.

SECT. I.

Prima divisio.

Prima divisio est *in genus dicendi* (vel potius *causarum*, sic Cicero, h. e. materiae) *demonstrativum*, *deliberativum* et *iudiciale*. *Primum* dicunt versari in *laudando* vel *vituperando*: *Alterum* in *suadendo* vel *dissuadendo*: *Tertium* in *accusando* vel *defendendo*. Vid. Cic. Invent. I, 5. qui tamen non loquitur de *tribus generibus dicendi*, sed de *materia tripertita*, in qua orator romanus versari solebat et debebat. Et ipsa nomina *deliberativi* et *iudicialis* docent, nonnisi de romano oratore, vel pro rostris vel coram iudicibus dicente, sermonem esse. Recte ergo ista divisio cadit in illa tempora, non in nostra. Sunt qui eam hodie non omni utilitate carere putent. Recte. At non quaeritur, an quodam modo prosit, sed an ea carere plane possimus. Quo iure possumus nomine generis *demonstrativi*, *deliberativi* et *iudicialis* insignire, quando nostri oratores rem *laudant*, *vituperant*, *suadent*, *dissuadent*, *defendunt*? Non igitur memoria adolescentium talium vocabulorum numero obruenda est.

SECT.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0385
DFG

SECT. II.

Altera divisio.

Altera divisio est in *tenue, mediocre* (vel potius *temperatum)* et *sublime.* Difficile est singulorum, praesertim priorum, characterem definire, quia a) prisci non satis definiunt, b) Cicero obscure loquitur in Orat., ubi c. 23. tractat *submissum* et *humilem oratorem,* cui *tenue* dicendi genus convenit: cap. 28. loquitur de *amplo, copioso, gravi, ornato,* cui *sublime* genus convenire videtur, et c. 26, 27. inter utrumque interiicit medium quoddam, quod sit *uberius humili* et *submissius amplissimo,* quod *temperatum* vocare possis; c) quia vocabula male lecta sunt; *tenue et mediocre,* de quo Cicero cum laude loquitur, alibi in contemtum dicitur: deinde non dicendi genus est *tenue, mediocre, sublime,* sed materia est *tenuis, mediocris, sublimis,* ut rectius dicatur oratio *de rebus tenuibus, mediocribus, sublimibus.*

1) *Tenue,* quod Cicero et vocat *subtile, submissum, enucleatum, humile,* forsan melius dicatur *simplex* h. e. *ornatu carens;* pertinetque ad *res tenues* h. e. *ornatus non capaces.* Vsurpari debet in rebus, ubi non nisi veritatem adparere volumus, neque animos aliorum commovere cupimus, v. c. 1) in *narrando simpliciter:* v. c. si sermo est de re, quam vulgo vocant *indifferentem,* 2) in *genere dogmatico,* v. c. in explicatione loci biblici, praeceptorum logicorum cet. 3) in *dialogis,* omninoque ubi sermonem vulgarem imitamur, v. c. in *Comoediis* cet. 4) quando loquimur de *rebus parvis.* Hac simplici oratione usi sunt Caesar, Nepos, Cicero in libris rhetoricis et philosophicis; it. Livius saepe. Hac simplici tractatione nihil est suavius:

hinc

hinc patet, quam indigne vocetur *tenuis:* hocque nomen ortum esse ab iis, qui copiae dicendi adsueti essent.

II) *Mediocre*, quod sic dicitur vel de *rebus mediocribus*, quas tractat, (eae quae sint, definire non ausim) vel de tractatione ipsa, ut non sit tam expers ornatus, quam *tenue*, nec tamen tam ornatum, quam *sublime*. Cicero mire explicat Or. 26. ubi ait: *esse ornatius humili et minus ornatum quam illud amplissimum* h. e. *sublime*. Videtur forsan Cicero per *mediocre* intelligere *gravitatem dicendi*. Quia vero res alia alia gravior est, hinc forsan orationem res minus graves tractantem vocavit *mediocrem*. Cicero magis perspicue vocasset *genus dicendi paulo ornatius*.

III) *Sublime dicendi genus* s. *oratio sublimis* dicitur tropice pro *oratione* de *rebus sublimibus*. Res enim est sublimis, non *oratio* h. e. *verba*. Iam si quaerimus, *quid sit oratio sublimis*, et *quomodo efficiatur*, debemus ante quaerere, *quid sit res sublimis*.

1) *Quid est res sublimis? Sublime* est proprie id, quod versatur in aëre atque ita supra homines. Hinc *sublimis abiit* de Romulo Liv. 1, 16. Res ergo *sublimis* est talis, *quae in homines ob difficultatem non cadit:* atque ita 1) proprie de *divinis factis* dicitur: 2) de hominibus (si hic dicere licet) est *res*, quae ob difficultatem perrara est atque ita se e numero rerum humanarum eximit. Inter has res, quae semper *bonae* esse debent, refertur in primis contemtus earum rerum, quas homines nimiopere curant et instar deorum venerantur ac timent, v. c. *divitiarum*, *honoris*, *offensionum gravium* et *mortis*. Quas res si quis contemnere potest, magna pars hominum stupet, admiratur, et sublimem rem ab eo gestam esse credit. — Sed hic magna est cautio, ne omnem hunc contemtum statim pro re sublimi habeamus. Debet is esse verus, voluntarius et cum difficultatibus coniunctus. Nam si quis

1) di-

1) divitias et honores contemnit, quia has res nunquam se consecuturum videt, vel quia eas haud novit nec usurpare scit, vel si quis senex aut morbo confectus mortem contemnit, vel si quis offensiones, quia ulcisci se non potest, contemnit, talis contemtus non est res sublimis, quia non est difficilis, nec verus, nec voluntarius: sic 2) si quis divitias, quia iam ditissimus est, vel honorem, quia eo iam abunde ornatus est, vel vitam, quia diutissime vixit aut vitam molestam degit, vel offensiones, quia iam saepe ultus est, aut timido lentoque est ingenio, contemnit, hoc itidem non difficile atque ita non sublime est. At si quis pauperrimus divitias sibi honeste oblatas spernit et paupertatem illis sua sponte et cum iudicio praefert (v. c. Curius); si quis gravissime laesus, cum potestatem sui ulciscendi habeat, tamen se ulcisci non vult, imo inimicos beneficiis ornat (v. c. Camillus, Fabius Cunctator cet.); si quis iuvenis, sanitate corporis fruens, in honore et divitiis vivens, mortem sua sponte ob bonum publicum subit (v. c. Decius uterque), hae sunt profecto res sublimes.

2) *Quando igitur oratio est sublimis?* quando per eam manifesto adparet, rem esse vere maximam, extraordinariam ac sublimem.

3) *Quomodo id efficitur?* Potest hoc saepe per simplicem orationem fieri: v. c. *Et deus dixit: fiat lux, et facta est lux.* At quia a) qui de magnis et sublimibus rebus loquitur, semper est mota mente, b) quia auditor lectorve, in primis imperitus, qui de veste ad hominem concludere solet, non semper veram magnitudinem rei paucis, iisque simplicibus, verbis expressam, sentit; hinc scriptores ad hanc magnitudinem declarandam solent 1) magnitudinis signa s. argumenta copiose exponere, illustrare cet. 2) figuras gravitati rerum servientes adhibere, 3) periodica verborum conclusione, numerosaque structura, verbis productioribus et sonantioribus uti cet. De his supra P. II. c. 2. de *gravitate* dictum est. Et forsan *grave* nihil est nisi *sublime.* Et Cicero Or. 28. tertium genus vocat *grave.* Ceterum

1) nemo

1) nemo potest oratione sublimi uti, nisi rem sublimem tractat. Qui de rebus non sublimibus sublimiter loquitur, is *frigide* et *tumide* loquitur: *frigide*, quia auditores frigent; *tumide*, quia nihil verbis inest.

2) nemo potest rem sublimem recte tractare, atque ita vere sublimiter loqui, qui eam non plane cogitat et sentit. Is eam tantum vere cogitat ac sentit, qui eandem vel similem rem efficere potest. Rem bello praeclare gestam nemo recte cogitare et describere potest, nisi talem vel similem gessit aut gerere potest. Magnum heroa, philosophum, poetam cet. nemo recte cogitare potest, nisi magnus heros, philosophus cet. Hinc patet, quam paucis facultas sublimiter loquendi contingere possit. Cum vero plerumque descriptio rerum sublimium ad eos venire soleat, qui eas similesve patrare non possunt, nos autem res sublimes legere valde cupiamus, humanitatis est, aliquid hic remittere et istam facultatem quoque iis quodam modo concedere, qui, etiamsi non sublimes res gerere possunt, tamen 1) generosum animum, qui illarum magnitudinem quodam modo capere queat, ingenii, educationis, exemplorum et experientiae ope consecuti sunt, 2) virtutum vere amantissimi et vitiis inimicissimi sunt, 3) sublimibus rebus indagandis sedulo operam dederunt. — Sed longe alia res est, quando fictae res sublimes traduntur. Hic sibi scriptor talem sublimitatem finxit, qualem mens eius capere poterat; hinc facile est ei illam tractare, quia non res est in rerum natura, sed in scriptoris animo: hinc lector de eius ratione iudicare non potest.

3) Raro ergo in rebus humanis res sublimis, quae tractari possit, occurrit; nisi velis fictionibus uti. Sed in deo est vera ac perpetua sublimitas; eius res gestae sunt omnes sublimes.

4) Non facile tota oratio potest esse sublimis: quia a) non omnis materia magnae rei illustrandae serviens est sublimis, b) oratio ubique sublimis auditores defatigaret vel tandem vim amitteret. Hinc variatione utendum et interdum sine ornatu dicendum: sic praecipit Cicero Or. 28. *Qui enim nihil potest tranquille, nihil leni-*

ter — dicere, — furere apud sanos — videtur. In omni oratione occurrunt fere *tenuia, modica* et *magna.* Vere igitur eloquens est, qui, ut Cic. ibid. ait, *humilia subtiliter, magna graviter* et *mediocria temperate* potest dicere.

5) Tractans res sublimes non per se pluris faciendus est tractante tenues. Imo ambo scriptores sunt boni, si materiam suam bene tractant: ambo mentis nervos debent intendere. Nec minoris artis est ornatu abstinere, quam uti in tempore. Imo maioris artis et difficultatis est ornatu abstinere, quam eum adhibere, atque ita fere facilius est de sublimibus quam de tenuibus rebus dicere. Nam 1) homines natura ad ornatus studium propensi sunt, cum contra simplicitatem contemnant, et de rebus et hominibus magnis, quam de parvis loqui malint. Sed ad quod quis natura ducitur, id ei est facilius. 2) res magnae et sublimes praebent sua sponte largam materiam de se dicendi, cum in tenuibus saepe materia diu meditando conquirenda sit; quod Ciceroni adcidit in Oratione pro Archia. 3) magnae res per se movent animum dicentis et scribentis. Mens vero mota per se loquitur. At in tenuibus rebus tractandis mens dicentis vel scribentis fit languida, nisi se ipsa interdum excitet. 4) peccantes interdum in tractanda re sublimi facilius solent hodie veniam consequi, quam qui in tenui labuntur; quia vulgo creditur equo generoso lapsus facilius esse ignoscendus quam ignobiliori: quasi facilius sit tenuiter quam sublimiter scribere ac dicere.

Ceterum ista divisio in *tenue*, *mediocre* et *sublime genus dicendi* non placet. Melius *genus dicendi* dividatur in *simplex* h. e. ornatu carens, et *ornatum;* ubi deinde dici possit, aliud alio esse ornatius, prout res sit gravior alia; vel saltem, si vocabula recepta tueri placet, in *tenue* et *grave*, ubi addi possit, aliud alio debere esse gravius pro rei vel minori vel maiori gravitate. Nec vocabulo *sublimis* opus foret. Si tamen retinere placet, possit dici sublimitas esse summus gra-

gradus gravitatis. Forsitan et melius fuerit, in libris rhetoricis, omissis generibus dicendi, nonnisi de rebus tractandis agere et docere, quae sint tenues, quae magnae vel maximae. Cicero ipse in *Orat.* in explicandis istis tribus generibus ita se torsit, ut facile adpareat, hanc divisionem ipsi non placuisse, nec tamen eum illam, utpote vulgo receptam, abiicere ausum esse. — Memorantur et alia genera dicendi, v. c. *floridum*, *moratum* cet. Sed quis tam innumerabilibus distinctionibus tirones torqueat?

SECT. III.

Tertia divisio.

Tertia divisio est in genus dicendi *Asiaticum*, *Rhodium*, *Atticum*, quibus nonnulli addunt *Laconicum*, quod alii, omnem eloquentiam Tulliana metientes, omittunt et negant. Tota res nititur fere auctoritate Ciceronis, quam Quintilianus aliique secuti sunt.

I) *Asiaticum* dicunt fuisse omnium copiosissimum h. e. omnibus ornamentis abundasse. Quale si fuit, vitiosum fuit. Est enim modus servandus. Cicero creditur Asiatico more locutus esse pro Rosc. Am. de parricidio: sed forsan culpa est in eius adolescentia.

Rem sic cogitare debemus. Si verum est, quod Cicero Brut. 13. narrat, Asiaticos eloquentiam ex Athenis hausisse, non mirum est, eos, quo remotiores erant a matre sua, Athenis, ubi doctrina vigebat et ubi adcurate loquebantur, quo minus doctrinae operam dabant, et quo minus occasio dabatur eloquentiae ostentandae, eiusque praemiis fruendi (ut Athenis), eo magis praecepta Athenis hausta sensim oblitos esse et eloquentiam in verbosam loquentiam mutasse. Elo-

quentia enim pendet a doctrina, praemiis et honoribus, et exercitatione. Nec tamen credibile, omnes Asiaticos sibi aequales hic fuisse, ut nec omnes Attici sibi similes erant. Pendet enim haec res ab ingenio, educatione cet.

II) *Rhodium* dicunt medium tenuisse inter Asiaticum et Atticum h. e. ornamentis neque nimis multis neque nimis paucis usum esse. Quod si est, fuit optimum. Res forsan sic cogitanda. Eloquentia Rhodia, quae forsan Asiaticae simillima fuit, correcta est per *Atticam*. Aeschines enim Athenis pulsus Rhodi docuit eloquentiam. Deinde Rhodus erat respublica libera; in qua eloquentia praemiis adfici et propterea studiose coli solet. Et credibile, post mortem Demosthenis eloquentiam magis Rhodi floruisse quam Athenis. Et Cicero usus est Rhodi Molone magistro.

III) *Atticum* nonnulli aetate Ciceronis in sicce dicendo versari et omnibus ornamentis carere, atque ita ab illo *tenui genere*, quod supra memoravimus, non discrepare putarunt, et principes eius fecerunt Thucydidem et Lysiam. At Cicero hoc negat: et recte, si quidem Isocrates, Demosthenes cet., Attici oratores fuere: quod nemo negaverit. Videtur ergo a Rhodio non multum discrepasse et in eo constitisse, ut de humilibus rebus humiliter s. tenuiter, de mediocribus temperate, de gravibus graviter diceretur, sed omnis redundantia vitaretur. Vid. Cic. Or. 9. Brut. 84. et Opt. gen. or. 4. cf. Quintil. XII, 10. qui ait, *Attice dicere esse optime dicere.* Sed not.

1) haec divisio est *parvae utilitatis*. Pertinet nonnisi ad historiam eloquentiae graecae, vel potius ad historiam opinionum romanarum de eloquentia graeca.

2) divisio

2) divisio ista totaque res *non* est *subtilis*. Quis enim eloquentiam vel dicendi genus ab urbe, praesertim magna, atque adeo tota terra nominet? An credibile est, Athenis, Rhodi, vel in Asia eandem eloquentiam ubique et semper viguisse? Eloquentia saepe multas ob causas variam formam et habitum induit; nec in *eodem loco*, *in iisdem hominibus* facile est eadem. Forma eloquentiae pendet 1) a *forma reipublicae*, in qua quisque vivit; 2) a *gustu plurium*, praesertim *magnorum virorum*. Qui si copiam dicendi vel amant vel oderunt, oratores eandem vel amant vel fugiunt; 3) a *gustu magistri*; 4) a *magistri cuiusdam celebritate* et *auctoritate*. Quae si perit, forma eloquentiae ab eo hausta perit; 5) a *doctrina*; 6) ab *aetate*: aliter dicit adolescens ac senex; 7) ab *ingenio*; 8) a *materia*. Non omnis materia ornatum admittit. Qui saepe magnas res tractat, is copiosius et ornatius scribit et dicit, quam, qui nonnisi tenues tractavit. Hinc Demosthenes didicit ornate dicere, quia graves tractavit: Lysias contra tenuiter, quia res tenues. Et Cicero, si non nisi causas Quintianae similes habuisset, non tam copiosam eloquentiam consecutus esset vel ostendere potuisset. Non igitur eodem loco ac tempore eadem eloquentiae forma reperiri potest, multo minus temporibus et locis diversis. Alia Romae eloquentia erat Crassi, alia Antonii, alia Hortensii, Ciceronis cet. et Athenis alia Demosthenis, alia Aeschinis, Lysiae cet. Non igitur eloquentiae formam s. dicendi genus ab urbe vel terra aliqua nominari debebat: ut olim genus dicendi sacrum male dividebant in *methodum Ienensem* et *Lipsiensem*. Melius prisci genus dicendi ab hominibus nominassent, v. c. *Demosthenicum*, *Aeschineum*, *Lysianum* cet.

IV) *Laconicum genus dicendi* an unquam fuerit, quaeritur. Qui adfirmant, ponunt in brevitate, eaque maxima. Ac profecto Lacedaemonii dicendi copiam fugiebant; sic v. c. rescripsisse dicuntur Philippo: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, quibus verbis intelligi volebant, Philippo sortem Dionysii vel similem contingere posse.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0393
DFG

Iidem dicuntur ei, ad negandum id, quod voluerat, scripsisse ο pro ου. Qui contra negant Lacedaemoniis fuisse genus dicendi, dicunt, eos caruisse eloquentia: sic Cicero, v. c. Brut. 13. ubi ait: *Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem (oratorem).* Possit hic opponi, utut Cicero nihil audiverit, tamen potuisse Lacedaemone Oratores esse; res eorum, quippe mercaturae expertium, erant ignotiores. — Sed tota ista lis, tota quaestio nititur in notione *eloquentiae.* Hanc si cum Cicerone ponimus in *copia dicendi*, Lacones caruerunt eloquentia. Sin eloquentiam dicimus esse facultatem de rebus perspicue, graviter et suaviter dicendi, vel etiam persuadendi, quocunque modo id fiat, non video, cur Lacedaemonii, qui haud dubie *persuadere*, atque ita *perspicue*, *graviter* et *suaviter* dicere potuere, eloquentiae laude careant. a) Lycurgus iis suas leges persuasit. b) Philippus intellexit eorum mentem in verbis: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ cet. c) conveniebant et deliberabant inter se de republica: hic opus erat persuasione, perspicuitate, gravitate et suavitate, ut consilia sua ceteris probarent: uno verbo *eloquentia.* Nam si quis paucis verbis idem, quod alius multis, efficit, an ille minus eloquens est quam hic? Eloquentiae magnitudo non ex ornamentis, sed ex eius effectis iudicari debet. Omnis eloquentia, etiam romana (vid. v. c. oratio Menenii Agrippae ap. Livium) primis temporibus brevis ac Laconica fuit. Brevitas haec oritur e paupertate, matre parsimoniae. Vbi luxuries est in vita, ibi luxuries quoque est in verbis. Natio paucis rebus ad vitam sustentandam contenta, paucis item verbis est contenta: est legibus obedientior, modestior et facilius atque adeo *uno verbo* flecti potest. Sic Roma, quamdiu pauper et parsimoniae amans erat, tamdiu brevitatem dicendi amavit. At luxuria, filia divitiarum, parit luxuriem verborum:

borum: a magnificentia supellectilis transimus ad magnificentiam verborum. Homines luxuriae dediti minus legibus obediunt, fiunt duriores erga praecepta, consilia cet. Ergo maiori verborum copia, pompa et fulmine opus. — Laconibus ergo tribuenda est eloquentia, at non copiosa: tribuendum est genus dicendi, at non copiosum, quale Demosthenis et Ciceronis fuit. Hoc ipsi spreverunt, nec eo eguerunt, quia cives, artibus graecis nondum corrupti, nondum ad voluptatum sensum translati erant, sed, vitae severae adsueti, paucis verbis flectebantur et ad utilia amplectenda, ad noxia fugienda impellebantur. — Haec sufficere possunt ad eloquentiam, modo hoc vocabulum recte intelligatur, et ad genus dicendi Lacedaemoniis vindicandum. Notum est proverbium: *Quod fieri potest per pauca, non debet fieri per plura.*

FINIS.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0395
DFG



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800882130/phys_0400
DFG

CT. VIII.

atione coniunctionum.

ommutantur *inter se*, v. c.

autem. *At* in primis usurpatur de
n obiectionibus. Not. *neque vero,*
tem.

ntur de rebus diversis: *seu* et *sive*

v. c. Cic. Rosc. A. 20.

ni consecutionem effectumve prae-
i praefixa, libenter ponitur *ut*, prae-
ic: v. c. pro: *deus est valde beni-*
beneficia cet. rectius dicitur: *deus*
ut cet. sic vernacula: *wie könnte*
yn, und dir es abschlagen: du bist
und hast mir cet. *sey so gütig und*
da sunt, v. c. *Quomodo tam inhu-*
ut tibi denegem cet.

n ponitur *ut*, praecedente *tantus,*
: *in magna versor perturbatione.*
nfugiam, dici potest: *in tanta per-*
ut, quo confugiam, nesciam.

poni interdum potest *ut;* v. c. *tam*
t non mirari debeas, te cet. pro:
taque non debes cet. It. sine *tam,*
em egisti, ut facile adpareat, quan-
re possit, pro: *itaque facile adpa-*
I, c. p. 192.

millies dicitur *etsi, quamquam, li-*
non possumus quidem omnia efficere:
ntis nervos intendere debemus, poni
non omnia efficere possumus, tamen
illies Cicero.

interdum dici potest *cum, da*, sed
c. *cum librum adceperit, tamen ne-*
ic sive vertas *da* seu *ob er gleich,*
res